DE ILIADIS
FONTIBUS ET COMPOSITIONE

DE ILIADIS
FONTIBUS ET COMPOSITIONE

SCRIPSIT

MATTHAEUS VALETON
litt. hum. dr., gymn. Arnh. conr.

LUGDUNI—BATAVORUM
E. J. BRILL — 1915

EX OFFICINA TYPOGRAPHICA ET BIBLIOPOLIO QUAE ANTEHAC E. J. BRILLII FUERUNT.

PRAEFATIO.

Libro hoc repetuntur septem commentationes, Bibliothecae cui titulus „Mnemosyne" intervallis semestribus insertae abinde Kalendis Ianuariis anni p. Chr. n. MDCCCCXII. In qua bibliotheca editas semel, non licebat eas, si qui errores comparebant, emendatiores proferre libro hoc, quippe cum cuiusque commentationis omnia exempla èt quae destinarentur bibliothecae èt quae libro, uno tenore confecta essent. Iam vero, id quod vix aliter potuit in opere maioris ambitus in cuius praesertim effectu consumebatur satis longum temporis spatium, saepius mihi scribere pergenti accidit ut intellegerem, in eis quae iam publici iuris fecissem, aliqua aut praetermissa esse aut minus recte proposita; praeterea non sine pudore vidi, non paucos locos diversorum scriptorum a me citatos, laborare numeris capitum paginarum versuum vitiose redditis, typographorum scilicet erroribus festinantius in aliarum curarum frequentia correctis. Propter has causas cogebar addere satis longam seriem eorum quae corrigenda vel addenda esse compereram, cuius ne pigeat rationem habere oro te lector benevole. Postremo notandum, quod tamen minoris momenti est, in prooemio, i.e. p. 1 sq. nonnulla inveniri quae tres annos abhinc prorsus apta, hodie minus conveniant.

dabam Arnhemiae
mense Maio anni p. Chr. n. MDCCCCXV.

CONSPECTUS OPERIS.

DE ILIADIS FONTIBUS ET COMPOSITIONE.

Scriptio haec, pars iam confecta pars eius materies in scriniis collata erat, cum prodiit commentatio de Iliadis compositione auctore Leeuwenio nostro [1]. Praemonendum hoc censui, ne viro clarissimo mihique amico, quem in hac provincia unice habitare nemo negat, viderer obloqui voluisse, cum vix aut nondum tacuisset. Nam quamvis libens et gaudens confitear, multa e dissertatione eius me didicisse, de summa rerum tamen nonnihil ab eo dissentio. Sed Bethii, Bruechnerii, Gruppii, Vuerthemii aliorum virorum doctorum studia, postremis his annis in lucem edita, quibus multa ad fontes et compositionem Iliadis pertinentia debentur altius inquisita quam ante eos haec habebamus, me induxerunt ut tentarem in uno conspectu ponere, quid in toto de eis rebus sciri posse videretur, simul ut quae ipse antea de eis edideram, auctius et, si quid video, emendatius denuo proferrem. Librum D. Muelderi v. cl. cui titulus „die Ilias und ihre Quellen", anno proximo superiore datum, apte et composite scriptum, ita

1) Mnemosyne 1910, p. 354 sqq.

vero ut quae acute argumentetur auctor saepius contrarium probare videantur atque ipse voluit, serius cognovi quam vellem, in perorando tamen et in annotationibus respexi. De scriptis autem quae A. Lang, C. Rothe alii viri docti et ante et nuper ediderunt, quo probarent unius poëtae ingenium in Iliade et Odyssea conspicuum esse, hic quid sentiam paucis complectar. Permulta monuerunt quae non sine detrimento tuo neglexeris, haud dubie ostenderunt multas discrepantias, quas in utroque poëmate longo temporis decursu multi viri docti investigaverunt, non eius modi esse, quae in unius auctoris opere ferri nequeant; sed illud reprehendo, quod in disputando hoc fere principio usi esse videntur, a magni poëtae opere — plurima autem apud omnes constat in Iliade et Odyssea inveniri, quae summi poëtae manum prodant — artem criticam, quae dicitur, arcendam esse. Hac ratione id quod demonstrandum erat, Iliadem, ut Odysseam iam mittam, unius poëtae opus esse, praeceperunt. Qua in re longe differunt et a Leeuwenio et a Mueldero, quorum ille nullus negat repugnantiis non tolerandis laborare Iliadem quas interpolatoribus tribuendas censet, hic eam repugnantiis etiam scatere perhibet ita tantummodo tolerandas, si sumis, id quod ipse primus dispexisse sibi videtur, poëtam eos qui sua carmina audirent vel legerent, ludibrio habuisse. Contra Rothe c. s. toti sunt in admirando, et multa mihi videntur admirari, de quibus numquam poëta cogitaverit.

I. De Iliadis fontibus.

a. *Quae prima fuerint de bello Troiano carmina.*

Septem annos abhinc E. Bethe v. cl. primus censuit [1] antiquissimis carminibus, quae non dubitavit quin veras Locrensium res referrent, Troiam tradi expugnatam ab illo Aiace quem solum commemorarent, qui postea a poëtis quasi divisus esset in Telamonium et Oileï filium. Anno post O. Crusius v. cl.

---

1) Cf. die Troj. Ausgr. u. d. Hom. Krit. Neue Jhrb. 1904 p. 1—11.

argumenta quaedam Bethii minus valida insectans, contemptim eius sententiam reiecit [1]). Postremo O. Gruppe v. d. nulla huius controversiae mentione facta, quasi res integra esset, statuit [2]) fabulam de bello Troiano originem ducere a proeliis, quae coloni Locrenses et Thessali oriundi e Maliaco et Pagasaeo sinibus in Troade gessissent cum habitatoribus Graecis iam multo ante eo profectis e Boeotia. In carminibus ad haec proelia pertinentibus primas quidem partes egisse putat Gruppe Aiacem illum *πρωτότυπον*, praeterea tamen in eis iam prodisse èt Achillem, heroëm Phthiotam, èt Helenam, Clytaemnestram, Agamemnonem, Menelaum qui e stemmatis Aetolicis in ea invecti essent, quippe cum Aetolia tum temporis Locrensium esset [3]). Gruppii sententia satis infirmis nititur fundamentis. De Troianorum Boeotica, quam ille vult, origine post agam. Sed propterea quod domus regia, cuius auctor Peleus esset, hunc filium fingeret Aeaci „herois proprie Locrensis'' [4]), quodque Patroclus Opunte in urbe Locrensi natus esset, Achillem iam in antiquissimis Locrensium carminibus extitisse censet; Agamemnonem autem, ceteros, quos utrum recte necne Aetolos faciat hic non quaero, eo ipso quod Aetoli sint Locrensibus tribuendos esse putat, nullam aliam ob causam, nisi quod Aeolus, per filiam suam Perimeden princeps generis regii Aetolorum, oriundus sit Orchomeno ex urbe Boeotiae „a qua urbe non amplius tria milia passuum absit Opus'' Locrensium caput [5]), Aeolique avus Deucalion cum patre Prometheo eiusque fratre Menoetio, qui, a deo in hominem conversus pater factus sit Patrocli Opuntii, locum obtineant in mythologiis Locrensium. Testimonia haec vinculi quo coniuncti fuerint Locrenses cum Aetolis et Thessalis, satis levia puto, sed fac gravissima esse, nequaquam constat eius vinculi coniunctionem aetate antecedere antiquissima carmina de bello Troiano. Ab altera parte, quaecunque horum vestigia sive ex Homero, sive aliunde indagare licet, omnia alia probant. Utrum revera necne

1) Sitz. Ber. der K. Bair. Akad. d. Wiss. München 1905.
2) Gr. Myth. u. Rel. Gesch. 1906 pp. 309, 612 sqq.
3) l.l. p. 618.
4) l.l. p. 112.
5) l.l. p. 96.

Graeca aliqua gens urbem Troiam expugnaverit mitto, id enim sciri non posse iudico; illud vix dubitandum est, quin poëtae, qui primi proelia inter Graecos et Troianos cecinerint, hoc apud animum sibi proposuerint, Troiam captam esse ab Aiace quodam cum suis militibus nullo alio summo duce. Primum videamus, quid de ea re ex Iliade efficere liceat.

Graecis, qui Troiam peterent, classem appellentibus in Asiae litus, Protesilaum primum omnium, cum e nave in terram desiliret, interfectum esse legimus B 697 sqq., qui locus invenitur in Catalogo navium, quem dicunt; in pugna autem apud naves quam Ilias habet, quae, si totam spectas, incipitur initio libri N et perducitur usque ad Π 305, navem Protesilai, qui ibi quoque iam antea interfectus esse memoratur (O 706), primam agressum esse Hectorem discimus N 681. O 704, eandemque primam Patroclum eripuisse Troianis invenimus Π 286 sqq. Adventus in Troiae litus a pugna apud naves illa plus novem annorum spatio, ut nunc Ilias legitur, aut, si Leeuwenio credis [1]), paucis quibusdam Iliadis versibus sublatis, quadraginta fere dierum intervallo separatus est, causam autem probabilem cur de Protesilai nave congruant, nullam aliam inveniri posse patet, nisi quod Graecorum adventus iam ante Homerum celebratus sit carmine, unde èt locus Catalogi modo laudatus èt pugnae illius apud naves descriptio originem duxerint [2]). Catalogi ratio ad locum quem in Iliade obtinet minus apte quadrat, ibi enim militum cum ducibus in aciem consistentium, non navium et urbium unde profecti sint, recensionem iure expectes, quae ne satis quidem intellegi potest, nisi sumis initio eam pertinuisse ad profectionem e patria. At vero idem carmen vel carminum *κύκλον* egisse de profectione e patria deque adventu in litus hostile veri simillimum est, unde concludere licet universum Catalogum, qualis quidem a principio fuerit, nam minime constat iam ab initio eum complexum esse omnes nationes Graecas quae apud Homerum in eo recensentur, nedum Troianos eorumque socios, ad illud pertinuisse carmen, sive fuit carminum *κύκλος*,

1) Mnem. 1907 p. 45—54.

2) Haec sententia cum iam multos annos mihi constaret, gaudens vidi in eandem disputare Leeuwenium Mnem. 1905 p. 305, 1911 p. 358, Muelderum l.l. p. 176 sqq.

unde pugna apud naves Homerica est hausta. Iamvero illo Catalogi loco B 697 sqq. ubi de Protesilai morte agitur, Podarces Iphicli filius eius frater fuisse eumque in regnum successisse traditur, in pugna autem apud naves N 693 Podarces Iphicli filius, simul cum Medonte Aiacis Oïlidae fratre, imperare dicitur Phthiis; itaque, quamvis Catalogus Homericus in recensendis Podarcis et Medontis copiis (B 695—710 716—728) Phthiorum nomen taceat [1]), neque ab altera parte usquam in Iliade nisi in Catalogo Podarces Protesilai frater esse dicitur — omnino nisi l.l. neque Phthii neque Podarces usquam in Iliade commemorantur, Medon recurrit tantum O 332 sqq. — non dubitamus credere a Catalogi principalis auctore Podarcem et Medontem Phthiorum duces habitos esse. Et facile quidem intellegitur cur in Catalogo Homerico Phthiorum nomen omissum sit [2]), omitti enim debebat nisi in lucem prodiret repugnantia quae inde oritur, quod, cum in Iliade in belli Troiani parte Phthii sint, Achilles Phthius iis non imperat. Eam autem repugnantiam deberi fontium discrepantiae non vero adfuisse in uno eodemque fonte nemo negabit. Nihil igitur dubii, quin in fonte nostro res ita proposita sit ut in eo Achillis nulla mentio sit facta. Neque enim mihi obieceris, cum in Iliade Achillis milites Myrmidones, non vero Phthii, audiant, et simul cum rege bello absistant, neque eorum principes sint Podarces et Medon, sed Menesthius, Eudorus, Pisander, Alcimedon (Π 168 sqq.), fieri posse ut in fonte nostro res eodem modo se habuerit, ut enim Phthiorum *parti* tantum cui Myrmidonibus nomen, praefuerit Achilles, ceterae *parti* Podarces et Medon; revera etiam urbes, quae ab his habitatae tradantur B 695—710, 716—728, cunctas sitas esse in Phthiotidis, quae postea dicebatur, parte septentrionali. Omitto quod, si res ita se haberet, Achilles aut in fonte nostro pugnae adfuisset in Iliade remotus esset, aut

---

1) Eatenus etiam discrepant N 686 sqq. et B 695—710, 716—725 quod cum illic Phylace Medontis sedes dicatur, hic Podarces solus ibi habitat, eaque urbs distinguitur ab iis quibus Medon imperat, isque Philocteti in imperium successisse traditur. Philoctetem non ex fonte nostro sed ex alio fonte arcessitum puto, quod post nobis apparebit; quod autem Medon ei successisse refertur incuria factum censeo cum Catalogus Homericus componeretur.

2) Nam casui deberi posse, quod Podarces, ubi in pugna apud naves comparet, taceatur Protesilai frater esse, in expedito est.

iam in fonte iratus destitisset, quorum neutrum credibile. Sed Phthia ipsa aut fuit urbs, id quod incertum est, aut regio. Si fuit urbs, Phthii huius urbis cives erant, sive potius, ne obstet N 696, ubi Medon Phylacae habitare dicitur, èt huius urbis cives et simul oppidorum cum ea in unam civitatem coniunctorum; si vero regio, prorsus nescimus fuerintne eius regionis fines iidem atque Phthiotidis posterioris, sed hoc constat Achillem dici imperasse (B 683) „iis qui Phthiam habebant," non vero „iis qui in ea regione" — fortasse cum aliis — „habitarent". At, inquis, Phthiorum gentem Ilias interpolatori debet. Ne alia afferam, quam veri simile est, cum quisque in Homero suo legere posset Achillem Phthium imperasse Myrmidonibus, inculcari potuisse inventum quo Phthii fingerentur ducibus aliis in partem belli Troiani venisse! Permanendum ergo in sententia, nullum in fonte nostro locum fuisse Achilli. In pugna autem apud naves praeter Achillem desiderantur Agamemnon, Diomedes, Ulixes, Eurypylus. Hi iam ante vulnerati erant, teste libri Λ parte priore, cum in planitie procul a navibus certaretur. Sed ad id certamen non pertinet fons noster, quippe in quo de adventu classis Graeca ageretur. Aut igitur hic fons ab initio iis carebat, aut cum in Iliadem adhibitus est hi omissi sunt propter praecedentem vulnerationem; utrum vero credibilius sit, cum praesertim tamen Achilles illi fonti defuerit, unusquisque videt. Iam vero satis multi Graecorum duces reliqui sunt, qui in pugna apud naves commemorentur, Menelaus, Nestor cum filiis Antilocho et Thrasymede, Idomeneus, Meriones, Aiaces, Teucer. Sed in summo discrimine (Ο 674—746, Π 101—123) omnes evanuerunt praeter Telamonium. Nimirum cunctos Graecorum milites recessisse totidem verbis poëta auctor est (Ο 655 sqq. 675). Neque hoc habet quod magnopere offendat, quamquam iure expectaveris de singulis principibus paululo explicatius cur quisque cessisset rationem fore redditam. Sed illud permirum neque credibile in tanta navium multitudine Aiacem solum etiam per brevissimum temporis spatium valuisse ab omnibus ignem prohibere, neque Hectori contigisse ut unam aliquam inflammaret priusquam Aiacem fugasset. Quis non perspicit propterea tantum poëtam cunctorum militum recessum finxisse ut duces quoque removeret, et abuti posset imagine pugnae quae in fontibus

praesto esset, quae Aiacem non tam solum propugnatorem quam solum propugnatorum ducem haberet. Neque igitur si res se hoc modo habet, fons noster ita accipiendus est, quasi nulli principes minorum gentium, ut ita dicam, in eo prodierint, quos tamen non opus erat in describendo summo discrimine nominatim efferre, cum Aiax longe omnibus in defendendo periculo praestaret. Inter quos supra iam offendimus Medontem et Podarcem. Ceterum ea quae attulimus non obstare quominus etiam Oileï filius credatur in fonte nostro ducis munere functus esse, infra videbimus.

Iamvero ex fonte antiquo quem deprehendisse nobis videmur, etiam plura quam deprompta iam invenimus, elicere nobis licebit. Nam in pugna apud naves coniuncte Phthiorum et Boeotorum populi in scenam prodeunt (N 685 sqq.), ex singulis autem Boeotis — universa enim gens nusquam memoratur nisi l.l. et in Catalogo — sed ex singulis Boeotis, decem numero, quorum in Iliade mentio fit [1]), septem in ea pugna offenduntur, Peneleus N 92, Ξ 487 sqq. Leïtus N 91, Ascalaphus N 478, 518, O 112, Prothoënor Ξ 450 sqq., Promachus Ξ 476—503, Arcesilaus O 329, Clonius O 340, eidemque praeter Promachum in Catalogo extant (B 494 sq., 511 sqq.), sed nemo eorum in cetera Iliade occurrit nisi Leïtus Z 35, P 601, Ascalaphus I 82, Peneleus Π 335, P 597 sqq., qua in re ne hoc quidem negligendum est, ad libros Π P, quamquam abinde Π 306 iam pugna apud naves non agitur, tamen, id quod mox ostendam, fontem de quo agimus pertinere. Atqui neque per se veri simile est, temere et de nihilo confictos Boeotos etiam multo plures quam per ceteram Iliadem totam [2]) in una prodire pugna apud naves, èt id ipsum quod a Phthiis separari nequeunt, eo tendit ut credamus eos ex eodem fonte atque illos receptos esse. Accedit, quod Telamonii patria,

---

1) Boetis commodi causa Minyas, Aspledonis et Orchomeni cives, adnumero, quamquam in Catalogo ab eis separantur B 511 sqq.

2) Boeoti, quos cetera Ilias habet, si discedis ab iis qui etiam in pugna apud naves commemorantur, sunt Oresbius Hylensis E 707, ubi additur „et alii Boeoti", Menesthius H 8 sqq., Ialmenus I 62 qui in catalogo quoque invenitur (B 512). Propter nomen patris Creontis Lycomedes I 84, M 36, P 344, T 240, cum comite Leocrito P 344, et propter suum ipsius nomen Melanippus T 240 e carminibus Thebanis transsumti esse videntur. Neque tamen apud Homerum patria traditur, neque in Catalogo commemorantur.

cum duobus Iliadis locis Salamis esse dicatur (B 557 sq. H 199) alio tamen loco haud obscure significatur Boeotia esse. Nam H 219 sqq. Telamonii scutum ingens, quo apud Homerum insignis est, confecisse ei dicitur Tychius Hylensis ex urbe Boeotiae, cuius nomen ipsum ex eius arte inventum docet, non cogitandum hic esse de artifice, quem fama tulerit olim in Boeotia vixisse, sed de persona ficta. Cur ergo Boeotus, nisi quod unde heroës oriundi essent, inde quisque sua arma sibi comparasse crederetur? Versus H 197—199 insertos puto ab aliquo, qui versus praecedentis sensum non caperet, nam vox δέδϝιμεν vs. 196, si ad Aiacem solum refertur, inanis iactantiae est heroïbus Homericis alienae [1]). Sed fac genuinum, et poëtam diversis fontibus usum esse, quorum repugnantiam aut non perspexit aut non curavit, utique concludendum est fontem de quo hic agimus, èt Telamonium Boeotiae adscripsisse èt tot Boeotos apud naves pugnantes habuisse, quippe quarum rerum concursus unice sic facile intellegatur. Praeterea hoc vide. Ad Catalogum navium supra demonstravimus fontem nostrum pertinere, simul dantes vix eum ab initio omnes nationes Graecas complexum esse, quae apud Homerum in eo recenseantur. Sed principali Catalogo Boeotos non defuisse veri simile est, quia in Homerico Catalogo primum eumque permagnum locum obtinent, isque ab his altero nomine Βοιωτία est appellatus. Itaque sic quoque confirmatur sententia nostra, quamvis simul sequatur Telamonium, cum Catalogus in Iliadem reciperetur, e proprio loco quem in eo obtineret remotum et in alienum locum (B 557) transportatum esse, addita patria Salamine ex eodem fonte atque H 199. Postremo hoc notandum, fieri non posse ut apte explicetur, cur Aulide e Boeotiae portu classem universam Graecorum solvisse Homerus nobis auctor sit, nisi sumas hoc derivatum esse e carminibus quae agerent de Boeotorum expeditione transmarina. Veram aliquam memoriam ea carmina servasse perquam credibile est.

Quemadmodum Boeoti sic Athenienses èt in pugna apud naves cum Phthiis coniuncti proponuntur (N 685 sqq.) èt in Iliade

---

1) Verba ἐπεὶ οὔ τινα δέδϝιμεν ἔμπης sic explicanda censeo: „cum nos Graeci minime metuamus, ne hostes sive precibus contrariis, sive incantamentis, nostras valeant preces irritas reddere". Cf. Mnemos. 1908 p. 28.

paene nusquam commemorantur, nisi in illa et in Catalogo. Eorum dux Menestheus nobis etiam occurrit in *Ἀγαμέμνονοσ ἐπιπωλήσει* (Δ 326 sqq.) et partes aliquas agit in *Τειχομαχίᾳ* (M 333 sqq.) ubi eius praeco quoque memoratur, Thootes nomine, et praeterea Pandionis cuiusdam mentio fit (M 372) quem, etiamsi patria non additur, èt nomen ipsum èt contextus narrationis prodit Atheniensem esse, ceteroquin nulli usquam extant Athenienses in Iliade nisi idem Menestheus B 546 sqq. N 195, 690, Stichius N 195, 691, Phidas N 691, Bias N 691 [1]), Iasus O 332. Itaque in eisdem carminibus quibus celebraretur Phthiorum et Boeotorum expeditio, mentionem etiam sociorum Atheniensium puto factam esse [2]). Tum Locrenses una cum Phthiis, Boeotis, Atheniensibus comparent in pugna apud naves, neque horum quidem praeterquam ibi (N 686, 712) et in Catalogo (B 527—535) usquam in Iliade mentio fit, si discedis ab eorum duce Aiace Oileï filio et a Patroclo, qui, quamquam apud Homerum coniunctus cum Achille proponitur, quod vinculum non antiquissimum esse videtur, explicatur enim Patrocli fuga e patria, origine Locrensis est, quippe oriundus Opunte ex urbe Locridis. Aiax praeterquam in pugna apud naves et in rebus Patrocli satis raro apud Homerum prodit [3]), Patrocli autem res quae in Iliade narrantur, pars saltem, eiusmodi sunt ut si recte eum Locrensibus adnumeravimus, magnum momentum habeant ad probandam Locrensium societatem expeditionis Phthiorum cett., quo accedit quod Locrenses et Phthios artissime coniunctos fingi eo quoque apparet, quod Medon frater Aiacis Locrensis simul cum Podarce Phthiis imperare narratur. Patroclus Protesilai navem Troianis eripit (Π 236), et in proeliis quae, postquam eos fugavit, committuntur in planitie, rursus comparent Peneleus

---

1) Sic libri, Nauck v. cl. pro *Βίας τ' ἐὺσ: καὶ Ἴασοσ*.

2) N 685 Athenienses vocantur *Ἰάονεσ ἑλκεχίτωνεσ*, quam appellationem in promptu est suspicari repetitam esse ex hymno in Apollinem 147. Nam ibi cum de festo et pompa agatur optime se habet, nostro vero loco minus apte adhibetur militibus in acie versantibus. Fortasse versum N 685[b] interpolaverunt rhapsodi Ionii studiosi inserendi in Iliadem nomen gentis suae et memores Iones Asiaticos credi esse colonos Atticos et ipsos Atticos natione Iones. Genuina lectio potest fuisse: *Ἀθηναῖοι μενέχαρμαι* (*μεγάθυμοι? ἀγέρωχοι?*).

3) His locis K 53, 175, 110 M 356, 366 Ψ 473 sqq. et simul cum Aiace Telamonio („*Αἴαντε δύω*") B 406 Δ 273 sqq. E 519 Z 436 Θ 79 K 228 M 343 sqq.

(Π 335, Ρ 597) et Leïtus (Ρ 601) Boeoti; tum, Patroclo occiso in defendendo eius corpore Aiax uterque insignis est; denique eo quod non unius Hectoris sed, ut Apollinem mittam, etiam iuvenis Euphorbi ope Patroclus interficitur, apparet iam ante Homerum eius mortem celebratam esse. Nam qui primus Patroclum ab Hectore interfici fecit, credibile non est Euphorbi huius rei socium adsciturum fuisse nisi eum in fontibus suis invenisset, nec magis credibile Euphorbum a recentiore esse additum, sed sic unice veri similiter res explicatur, si sumimus poëtam qui Patrocli exitu uti vellet ut Achillem in aciem reduceret, pro Euphorbo substituisse fortissimum Troianorum propugnatorem — ita sane ut illum non prorsus negligeret — ne se indignum adversarium haberet Graecorum fortissimus heros, utque simul sic Graeci liberarentur malo quod Achillis ira eis contraxisset. Omnibus quae attuli computatis non frustra conieceris Patrocli res, quae traduntur libris Π, Ρ, Σ, quamvis in Iliade sint aucta ac amplificata — nonne de Aiacibus quoque nonnulla [1]), de Hectore permulta habet Ilias, de quibus ante Homerum nullus poëta cogitavit? — ex eodem fonte atque pugnam apud naves et Catalogum originem suam ducere. Ceterum, quo plura quoque magis diversa ea sunt quae ex hoc fonte derivanda esse apparet, eo magis adducimur ut non unum carmen, sed, id quod supra iam suspicati sumus, carminum *κύκλον* eum fontem fuisse persuadeamus nobis, de qua re, sicubi perspexerimus, quod nunc nobis indagandum est, quae ratio in eo fonte inter Aiacem utrumque intercesserit, etiam confirmabimur. Ambos Aiaces a poëtis ex uno derivatos esse, ipsa ostendit *ὁμωνυμία* [2]) et confirmat, id quod sagaciter demonstravit Vuertheim v. d. [3]), utriusque ingenium, ut non ab omni parte aequale ita eiusmodi proprietatibus quibusdam insigne, ut appareat eun-

---

1) Praeterquam in Catalogo et in libris Ν—Σ Telamonii fit mentio Τ 225 sqq. Δ 473 sqq. Ε 610 sqq. Ζ 5 Η 179 sqq. Θ 267 sqq. Ι 169 sqq. Λ 463 sqq., 526, 542, 544 sqq. Μ 349 Ψ 708 sqq. Sed locus Η 179 sqq. satis certo (vide infra p. 15) loci Ε 610 sqq. Ζ 6 (vide infra pp. 37, 41) fortasse e fonte nostro derivati sunt. De Aiace Oilei filio deque Aiacibus coniunctis vide p. 9 in ann. 3.

2) Non ita res se haberet si hic ageretur de nomine qualia hominibus e plebe tribuuntur cf. ex. gr. Λ 305 sqq., vel omnino qualia quid significent statim perspicis, ut sunt Medon vel Creon.

3) De Aiacis origine, cultu, patria pp. 26 sqq., 42 sqq., 82 sqq.

dem daemonem in utrumque mortalem abisse; tum ira Minervae in utrumque apud Homerum conspicua, cuius causam non intellegis, nisi eam refers ad inimicitias numinum quae mutuo sibi infesta homines crederent. Sed πρωτότυπον illum Aiacem, quem forsitan aliae quoque gentes coluerint, at coluisse et Boeotos et Locrenses perspicuum est, consentaneum erat, sicubi cantores illi extiterunt, qui horum expeditionem Asiaticam, Aiacemque in mortalem conversum, eius ducem celebrarent, ab aliis, qui e Boeotis orerentur, natione Boeotum fingi, ab aliis, Locrensibus, Locrensem; cumque ab illis appellaretur Telamonius, ab his Oileï filius — de qua re infra accuratius agam — atque fortia facta quae utrique tribuerentur pro parte saltem diversa essent, ita quidem, quod ex ipsa Iliade apparet, ut quae Telamonio adscriberentur insigniora essent et digniora viro ingenti statura, sequebatur ut procedente tempore ab eisdem iam poëtis non aut solus Telamonius aut solus Oileï filius laudaretur, sed in easdem quoque scenas producerentur Αἴαντε δύω, alter μέγας Τελαμώνιος Αἴας (I 169 Ξ 409), alter μείων οὔ τι τόσος γε (B 528), attamen, ne sua quoque careret laude, Ὀιλῆος ταχὺς υἱός; neque mirum est ipsam appellationem „Αἴαντε δύω" ansam dedisse eos coniungendi, quemadmodum in Iliade compluribus locis fieri videmus, ut heroüm par inde existeret [1]). Hoc vero, utrum iam ante Homerum factum sit, an tum demum cum in Iliadem inducerentur, perspicuum est sciri non posse, quamquam

---

1) Auctor loci N 712 significat sibi notatu dignum i. e. mirum videri, quod Aiax Locrensis a suis discedat et Telamonio se applicet. Apparet igitur hunc poëtam quodammodo invitum eos coniungere, at tamen coniungere, sive quod iam invenit coniunctos in fontibus, sive quod appellatione Αἴαντε δύω quam in fontibus inveniret, colligeret eos coniungendos esse. Vuertheim l.l. p. 13—17 ita ratiocinatur, quasi coniunctione significetur eos ab initio unum fuisse. Hoc, quid sibi velit non teneo. An huius rei conscii erant, qui eos coniungerent? Si fuissent, negassent duos esse. Censet tamen ita viri doctus. Nam cum duo Aiaces comparentur cum duobus leonibus una unam capellam rapientibus iudicat poëtam „idcirco ea imagine abusum esse" „quia Aiaces divellere neque vellet neque posset". Neque ei assentior illam imaginem ineptissimam esse; quid enim impedit quominus alter leo capellae caput, alter pedem dentibus teneat, et sic ambo eam absportent? Scholiasta annotans „οὐ συμμαχοῦσι λέοντες ἀλλήλοις" egregie fallitur. Cf. Brehm (Illustr. Thierleb. Leipzig u. Wien, Biograph. Instit. I die Saügethiere p. 114) „Haüfig kommt es vor, dass sich zu grösseren Jagdzügen mehrere Löwen vereinigen: die Paare gehen regelmässig in gemeinschaft au die Jagd aus".

patet illum Iliadis locum, ubi Telamonius solus naves defendit, fluxisse e carmine quo hic solus laudaretur.

Nondum ad finem perduximus recensionem earum gentium, quas Boeotorum cett. expeditionis arbitramur socios fuisse. Nam Phocenses, quamquam non ita cum Boeotis, ceteris, de quibus egimus, coniuncti proponuntur, ut ab eis salvo contextu versuum separari nequeant, tamen ut huc referas, induceris quoniam Ilias nusquam eos habet nisi in Catalogo (B 517—526), in pugna apud naves (O 516), in pugna de Patrocli corpore (P 307); quo accedit quod necessitudo aliqua iis cum Boeotis fuisse significatur, quoniam, quemadmodum Phthii (N 699 sqq.), sic hi quoque (B 523 sqq.) proxime illis in acie stare narrantur. Praeterea Epei nostris adnumerandi videntur, neque tamen ubicunque in Iliade occurrunt nostro fonti debentur. N 686 commemorantur coniuncte cum Boeotis, Atheniensibus, Locrensibus, Phthiis, ibique eorum principes sunt Meges, Amphion, Dracius, quorum Meges solus recurrit, nam memoratur etiam B 627, E 69 sqq., K 110, 175, O 302, 520 sqq., Π 313, T 289. Tum Epei cum principibus Amphimacho et Thalpio, qui sunt Actorionum Cteati et Euryti filii [1]), Diore Amaryncei filio, Polyxeno Agasthenis Augiadae filio, inveniuntur B 615 sqq., e quibus soli Diores et Amphimachus recurrunt, ille Δ 317, hic N 185 sqq., Amaryncеus Ψ 360. Praeterea Nestor res in iuventute gestas repetens Epeiorum principes memorat Itymoneum (Λ 671), Actoriones (Λ 709, 750), Mulium generum regis Augiae (Λ 739), regem Augiam ipsum (Λ 701). Diversis fontibus haec deberi, ea autem quae de certaminibus Epeiorum et Pyliorum narret Nestor non hausta esse e carminibus, quae pertinerent ad expeditionem transmarinam, per se perspicuum est. Sed hoc notatu dignum, Epeiorum principes qui in Catalogo (B 615 sqq.) commemorentur, alios esse atque eos qui in pugna apud naves occurrunt, filios vero eorum quos Nestor inter aequales suos numerat, nam etiam Amaryncеus Dioris pater, quamquam Λ 671 desideratur, tamen a Nestore memoratur (Ψ 630); in Catalogo autem (B 627) Megetem prin-

1) Ipsi Amphimachus et Thalpius hoc loco dicuntur Actoriones, sed hoc nomen hic valere „Actoris *nepotes*" apparet e patrum nominibus additis. Congruit locus N 135, ubi Amphimachus dicitur filius Cteati Actorionis. Actorem alio nomine Neptunum esse apparet N 206.

cipem esse non Epeiorum sed Dulichiorum. Apparet igitur nomina principum Epeiorum, quae Catalogus habet, aut ex eisdem carminibus atque Nestorea illa hausta esse, aut excogitata tum cum Catalogus Homericus conficeretur, eo consilio ut vinculo aliquo coniungeretur illorum carminum materies et fabula de bello Troiano, aut deprompta esse e stemmatis iam ante Homerum ad illa carmina applicatis; Megetem vero, quem etiam propriis carminibus iam laudatum fuisse inde efficias quod saepe numero apud Homerum recurrit, et imprimis inde quod eius loricae ἱστορία copiose narratur (O 629), cum eius persona et genealogia vulgata ad Nestorea illa non quadraret, ne tamen in Catalogo desideraretur, ibi Dulichiorum principem esse fictum sive e suis carminibus, sive de nihilo. Quoquo modo hoc se habet, Epei, qui in pugna apud naves cum ducibus Megete, Amphione, Dracio prodeunt, quin e nostro fonte deprompti sint haud dubium videtur, unde sequitur ut in Catalogo principali hi, non vero Amphimachus, Thalpius, Diores, Polyxenus eorum fuerint duces. Postremo Thoas Aetolus cum militibus suis nescio an nostro fonte adiudicandus sit. Nullus sane fons ex Iliade elici posse videtur ad quem referatur aptius. Nam cum Oeneo et Meleagro ei ab initio nulla videtur intercessisse ratio. Quippe enim in Catalogo (B 642) nullos Oeneo filios superstites fuisse ideoque ei successisse Thoantem legimus; et recentiores Thoantem Oenei generum finxerunt, nullo nimirum alio consilio, nisi ut aliquod vinculum inter utrumque constituerent. Bis Thoas in pugna apud naves appellatur, N 216 ubi eius specie Neptunus Graecos cohortatur, et O 281, ubi miratur Thoas Hectorem ab Aiace Telamonio prostratum mox surrexisse; praeterea commemoratur Thoas Δ 527 sqq., H 168, T 329.

Ex eis, quae demonstravimus sequitur, ut ab initio in Catalogo extiterint Boeoti, Phocenses, Locrenses, Athenienses, Epei, Aetoli, Phthii, non extiterint Achilles, Agamemnon, Menelaus, Diomedes, Nestor cum filiis, Ulixes, Idomeneus ac Meriones, Tlepolemus, Podalirius atque Machaon, Philoctetes, Eurypylus, Polypoetes atque Leonteus, Elephenor horumque omnium milites, ut qui omnes, ne in Catalogo desiderarentur ei qui in bello Troiano, quem admodum eius fabulam longa dies auxerat et mutaverat, primarium locum obtinebant vix dubium sit quin,

tum additi sint cum Catalogus in Iliadem adhiberetur. Neque ullo modo mirum est Catalogi principalis rationem, qua navium, quibus milites transportati essent numeri et urbium e quibus profecti essent nomina ederentur, etiam in iis quae adderentur, observatam esse, quamvis ad contextum rerum cui Catalogus applicaretur minus conveniret. Iam vero supersunt in Catalogo Graecorum Homerico — ut mittam Catalogum Troianorum eorumque sociorum, quem, quamvis nonnullos horum in sequentibus nobis apparebit ex antiquo nostro fonte derivatos esse, res ipsa tamen docet quo tempore, vel etiam postquam Graecorum Catalogus Homericus conficeretur esse additum collectis undique ex Iliade populorum nominibus qui in illa a partibus Troianorum starent [1]), — nonnulla nomina populorum, urbium, ducum, quae nusquam in Iliade nisi ibi inveniuntur, neque igitur propter eandem causam atque illa de quibus modo vidimus, inserta esse possunt, Arcades, Eniani, Perrhaebi, Magnetes, Dodonaei atque insulae Symae incolae. Quid ergo? Suntne haec deprompta e Catalogo principali? Noli credere antiqua carmina, quae praesertim veram aliquam memoriam redderent, Enianes, Perrhaebos, Dodonaeos diversissimas terras incolentes ducem eundem sequi, quemadmodum fit B 748 sqq., vel ab eis, simul cum Arcadibus ex intima Peloponneso cumque insulanis litori Asiae propinquis, eandem expeditionem consociari fecisse. Sed cum multitudo nationum, quae in cetera Iliade aliquas partes agerent, unicuique rem non accuratissime consideranti speciem praeberet, universam Graeciam contra Troianos bellavisse, in promptu erat, si quis cantor vel rhapsodus casu quodam aliquam notionem haberet, sive claram sive obscuram et perplexam, gentium Graecarum quae in ea multitudine desiderarentur, eas Catalogo inserere, inprimis si aliqua fama extaret, eas expeditionum maritimarum non expertes fuisse, aut si ipse nobilem aliquam domum vellet honore afficere. Quod autem supra monui, quam veri simile sit Aulide, e portu Boeotiae, solvisse naves Boeotorum et Phthiorum ad mare Aegaeum traiciendum, attendendum est eundem locum aptissimum esse quo illum ad finem convenerint homines

---

1) In his desiderantur Cilices, Leleges, Caucones, fortasse propterea quod cum Catalogus Troianus conficeretur, nondum in Iliadem recepti essent.

ex ceteris gentibus quas ab initio Catalogus recensuerit, contra parum idoneum, si quaeratur statio unde universae Graeciae classis in litus Troianum transmiserit [1]).

Carminum quibus expeditio Boeotorum cett. celebraretur auctores, quamvis apud Homerum cedat etiam Telamonius, cadat Patroclus, fieri non potest ut hostes victoriam reportavisse narraverint, sed sine ullo dubio est statuendum illos rem ita proposuisse, ut post multa discrimina rerum populares sui superaverint, idque sine Achille, cuius nullam rationem habuisse supra ostendimus. Atque illos cantores non credibile tantum, sed prorsus verisimile est, hostium etiam ducem interfici fecisse, idque manu Aiacis, sive eum Telamonium sive Oilei filium appellaverint. Nam in Iliade cur id ita mutatum sit ut Hector Achillis telo succumbat, supra vidimus [2]), sicubi vero hic in aciem prodit, uterque Aiax e conspectu abiit, per cunctos libros Τ—Χ desideratur. Fieri potest ut aliud carmen antiquum Telamonium, aliud Oileï filium habuerit Hectorem obtruncantem, sed de Telamonio solo huius rei nobis Ilias vestigia servasse videtur. Nam Η 268 sqq. is Hectorem in certamine singulari lapidis coniectu leviter vulnerat, quod certamen ex antiquo nostro fonte derivatum esse inde collgere licet quod Aiax ibi natione Boeotus proponitur [3]). Iamvero Ξ 401 sqq. eiusdem certaminis aliam imaginem vetustiorem ex eodem fonte repetitam habemus; nam hic quoque Hector ab Aiace lapide percutitur, sed, cum altero illo loco certamen eiusmodi sit quod paene ludicrum voces, quae forma originem recentiorem prodit, hic ad extremas incitas Troianus deducitur; lapidis ictu circumagitur in turbinis modum, et corruit veluti arbor icta fulmine magni Iovis, neque tamen occiditur, sed mox Apollinis opere recreatus in pugnam redit. Quis non animadvertit rem gravem a poëta gravissime tractatam similem eventum non habere? Sponte mentem subit, ab Aiace

1) Muelder l.l. p. 114 vocem „αὖλισ" censet significare „locus quo convenitur" et portum Aulidem, unde Graeci Troiam profecti sint, merum poëtarum esse φάντασμα, quo recentiores demum respici portum ὁμώνυμον Boeotiae opinati sint. Sed vox αὖλισ significare videtur „cubile" (cf. Ι 69 αὖλιν θέσθαι) et portum Boeotiae inde suum nomen habere, quod ibi revera Boeoti cett. in mare Aegaeum soluturi consederint.

2) Cf. p. 10.

3) Supra p. 8.

olim Hectori, non ab Achille necem paratam esse traditam, idque nos hic habere incohatum, sed ab Homero a proposito deflexum. Eodem spectat, quod Hector in planitie pugnans certamen cum Aiace evitasse dicitur (Λ 542), cuius pugnae pictura non sine respectu *κύκλου* nostri instituta esse videtur. Nam Agamemnon in ea vulneratus exclamat (vs. 275) „defendite naves, commilitones cum Iuppiter me non sinat diutius pugnare." Illud „defendite naves" non optime se habet, nam pugnatur etiamnunc *procul a* navibus, et superiores fuerunt Graeci, neque fortuna commutatur nisi postquam Agamemnon discessit, cur igitur Agamemnon adhortaretur ut naves defenderent? Sed poëtae ob animum versabatur pugna apud naves sine Agamemnone commissa, quam ex antiquis carminibus cognitam haberet [1]). Tum eodem tendunt Telamonii minae in Hectorem iactae (N 810 sqq.) [2]). Ibi autem non modo Hectori necem minatur, verum etiam Troianae urbis exitium poetae verbis portendere videtur, neque sane credibile est cantores, qui hostes ex urbe sua profectos ad Graecos navibus adventantes et in litus egredientes repellendos, sed ab his victos fingerent, non hoc quoque apud animum sibi proposuisse, urbem ipsam a victoribus, ab Aiace volo eiusque militibus, expugnatam esse, quem belli finem etiamsi non narraturi essent, variis modis tamen significare potuerunt in fatis esse. Quo etiam spectare videtur fabula de equo ligneo quo urbs capta sit, quam fabulam, in Odyssea primum nobis obviam (θ 493), errore vocis ortam esse, principio equum marinum i. e. navem designantis [3]), iam diu viderunt Fick [4]) et v. Leeuwen [5]) vv. cll. Equi lignei

---

1) Minus offensionis habent loci Λ 309 sqq. ubi Graeci dicuntur se in naves proiecturos fuisse nisi Ulixes Diomedem allocutus esset „pudendum sit si Hector naves capiat", et 557 ubi Aiax dicitur „valde metuere navibus", nam paulo ante (299 sqq.) Hector coeperat stragem edere. Sed comparato vs. 275 hic quoque pugna apud naves spectari videtur.

2) Diomedes quoque (Λ 349) Hectorem galea telo percussa afflixisse et evertisse narratur, eique minatus esse (262 sqq.) Nimirum poëtae qui Diomedem in bellum Troianum induxissent, verentes ne Aiaci cederet laude bellica, huius cum Hectore certamen suo heroï assumserunt. Minatur Hectori Achilles quoque Υ 444 sqq. idque eiusdem verbis atque Diomedes.

3) Cf. δ 108 *νηῶν ὠκυπόρων ..... αἵ θ' ἁλὸς ἵπποι ἀνδράσι γίγνονται.*

4) Die Hom. Il. 1886 p. 571.

5) Mnem. 1901 p. 121—140.

fabricator in Odyssea vocatur Epeius eiusque patrem audisse Panopeum apparet ex Iliadis loco ψ 665, siquidem non est cur credamus Epeum illum qui in Ἄθλοισ ἐπὶ Πατρόκλῳ caestibus contendit cum Euryalo Mecistei filio, aliam ob causam ibi induci, nisi quod omnibus notus esset propter opus artificiosum. Atqui nominibus Epeio et Panopeo remittimur ad Epeios et Phocenses inter quorum urbes Panope erat, et ipsa fabula significare videtur eas gentes, quarum utramque offendimus inter socios expeditionis Aulide emissae, insignes fuisse in aedificandis navibus quibus transvecti essent Troiae expugnatores [1]).

Cum eis, quae ex Iliade adhuc probare tentavimus, ea iam conferemus quae aliunde de eadem re sciscitari licet. Apud Homerum cum agatur de *Troïbus* deque urbe *Troia*, dubitare non licet, quin spectentur incolae eius regionis, quae postero tempore Troas appellabatur, et urbs in ea sita. Tractum collis Asar-lyk non procul ab Hellesponto siti, prope locum ubi amnes Mendere et Dumbrek Tschar confluunt, e quo colle vv. dd. Schliemann, Doerpfeld, alii, novem, vel potius decem sedes hominum, aliam super aliam positam, eruerunt, apte quadrare ad Homeri descriptionem situs urbis Troianae in cuius vicinia flumina Scamander et Simois suas undas conferrent, praeterea e sedibus illis sextam ab imo, quam arcem fuisse apparet ingentibus moenibus munitam, vi et incendio semirutam, multa etiam hodie signa servasse, quibus rite consideratis neminem Iliadem perlegentem fugere possit Homerum ipsam respexisse, luculenter ostendit Doerpfeld [2]). Quid? Urbis quidem, arci subiectae, quae suis muris circumdata esset, nulla vestigia superesse, neque verisimile esse talem extitisse, sed ne Homerum quidem moenia urbis et arcis distinguere, Hector autem cum ter circum urbis

1) Doctius Gruppe l.l. p. 614 inde quod equus ille ligneus Minervae sacer esset, in cuius aede Metapontina Epei instrumenta servarentur, fabulam e cultu deae coniuncto cum Neptuni vel Martis Equestris ortam esse putat, ipsumque equum ligneum eiusdem generis atque Pegasum vel Arionem. „Eine isolirt stehende Legende" vir doctus ait „liess, scheint es, aus dem Verderbenschwangeren Leib des gefürchteten Dämonischen Wesens, bewaffnete Männer, auch unheilvolle Dämonen, hervorgehen, welche niedermetzelnd durch die Städte gehen". Parum hoc credibile puto.

2) Troia und Ilion p. 604 sqq.

moenia fugiens fingatur, de urbe cuius circuitus maior fuerit quam arcis erutae, nequaquam cogitari posse, idem Doerpfeld acute demonstravit [1]). Sane, nullo modo multitudinem sociorum, qui in Iliade Troianis adscribuntur, arx capere potuit, sed ut iam in antiquissimis carminibus, quibus de bello Troiano ageretur, non pauci Troianorum socii enumerati fuerint, tamen minime constat *huius* rei memoriam *veram* in his carminibus esse relatam neque cantores ea Troianorum auxilia confinxisse, praeterea autem, quid est cur credamus eos, nisi obsidionem per aliquos menses, nedum annos, perductam esse sibi proposuerint, quod parum credibile est, voluisse socios in ipsa urbe neque in campo consedisse prope urbem? Etiam Homerum tuum ubicunque evolvis, paucis aut versibus, ut vLeeuwen ostendere conatus est, aut, quod malim, partibus exiguis exceptis, narrari vides res non anno obsidionis decimo sed primo gestas, neque ullus invenitur locus ubi totidem verbis legas socios in ipsa urbe collocatos esse [2]). Tamen incrementum, quod semper crescente numero carminum, quae de bello Troiano conderentur èt copiarum Graecarum èt sociorum Troianorum cepit numerus, necesse erat efficere ut, etiam antequam quisquam poëta pronuntiasset tempus obsidionis decennale, sponte hominibus cogitatio incederet bellum ingens, tantis copiis gestum, non paucis diebus vel etiam mensibus confici potuisse; unde rursus sequebatur ut non possent, quin èt sibi proponerent socios Troianorum in urbem receptos esse èt urbem satis amplam fuisse quae eos reciperet [3]), quemadmodum apud Homerum saepius et magna et latis viis in-

---

1) l.l.

2) Nam minime id denuntiat locus Θ 5 sqq. cuius auctor, cum dicit Troianos se in urbe armare et ex omnibus portis effundi, de eorum sociis non cogitat, addit enim eos pauciores numero fuisse Graecis, sed tamen pro *uxoribus et liberis* certamen obisse.

3) Cum hac sententia convenit quod E 788 poëta Iunonem ita loquentem facit: *ὄφρα μὲν εἰσ πόλεμον ’πωλέσκετο δῖοσ ’Αχιλλεὺσ, οὐδέ ποτε Τρῶεσ τρὸ πυλάων Δαρδανιδάων ᾤχνεσκον.* Si metus Achillis Troianos in urbe inclusit, idem socios deterruerit ne in campo commorarentur. Eodem faciunt Aeneae verba P 335 sqq. *῞Εκτορ τ’ ἠδ’ ἄλλοι Τρώων ἀγοὶ ἠδ’ ἐπικούρων, αἰδὼσ μὲν νῦν ἥδε ῎Αρηι φίλων ὑπ’ ’Αχαιῶν Ϝίλιον εἰσαναβήμεν’ ἀναλκίηφι δαμέντασ*; cf. Z 73 sq. (P 319 sq.) *ἔνθα κεν αὖτε Τρῶεσ ῎Αρηι φίλων ὑπ’ ’Αχαιῶν Ϝίλιον εἰσανέβησαν* cett. Θ 131 *καὶ νυ κ’ ἐσήκασθεν κατὰ Ϝίλιον ἤυτε Ϝάρνεσ*; cf. etiam E 202, Σ 288 sqq.

structa dicitur, et a cetera urbe distinguitur *πόλισ ἄκρη*, quamvis propriis muris non munita. Sed perspicuum est hac re nullo modo imminui ea, quae placuerunt viris doctis Doerpfeldio cett., ab altera parte Hectoris fugam, ab Achille circa urbem acti, deberi carmini antiquo cuius auctor urbis oppugnatae circuitum nondum magnum sed satis exiguum sibi finxerit. Quem nihil vetat inter eos habere qui carminum *κύκλον* nostrum condiderint, modo Aiacem substituas pro Achille.

Verum enim vero ex omnibus, quae attuli neque sequitur, si rem per se spectas, ut in omnibus carminibus, quibus Homerus argumenti sui materiem debeat, scenae in quas personae prodierint eaedem fuerint atque in Iliade, neque ut in eis carminibus quae pro nucleo fuerint Catalogo, pugnae apud naves, Patrocli virtuti et exitio, Hectoris neci, res ita se habeat; ut in iis quoque in *Troadis* litus Graeci classem appulerint, *Troiani* vocati sint hostes, qui eos arcere conarentur, et quorum dux Hector esset, *Ilium* eorum urbs audierit. Hoc tamen revera ita esse ex eis quae praeeuntibus A. Bruecknero [1]), Bethio [2]), Gruppio [3]), Vuerthemio [4]) nunc afferam perspicere licebit, quae simul apparebit mire cum eis, quae adhuc ex Iliade eruimus, congruere. Proxime supra arcem, de qua modo egimus, collocatum fuisse vicum — cuius sedem Doerpfeld designavit numeris VII[1] — quem minime vetare domuum reliquias et vasa ibi reperta, habitatum credere ab hominibus natione Graecis, monuerunt Doerpfeld [5]) et Brueckner [6]), quorum hic copiose demonstravit id adeo veri simillimum esse. Ex eis autem quae disputavit Brueckner sequitur ut in eorum Graecorum numero Locrenses fuerint. Nam ad oppidum Novum Ilium, cuius rudera implent alteram a summo sedem in colle Asar-lyk detectam, virgines nobiles quae Minervae Iliensis *ἱερόδουλοι* fierent, mitti e Locride solitas esse, ita ut semel duabus missis, deinceps, singulis mor-

1) Troja u. Il. 1902 p. 540—572.
2) Die Troj. Ausgr. u. d. Hom. Kr. p. 4 sq.
3) l.l. p. 90, 309, 609, 613.
4) Troja u. Il. pp. 200, 646.
5) l.l. p. 604 sqq.
6) l.l. p. 555 sqq.

tuis semper singulae aliae succederent [1]), testantur Timaeus [2]), Lycophron [3]), Plutarchus [4]), e quibus hic addit, usque ad sua prope tempora hunc usum permansisse. Causam mittendi scriptores illi aiunt fuisse pestem paulo post Troiam expugnatam Locrensium agro a Minerva inmissam et oraculum hac de re invocatum, quod enuntiasset deam, iratam propter vim Cassandrae, sacerdoti suae ab Aiace Oileï filio in aede sua, cum urbs caperetur, illatam, nonnisi sic placari posse. Quodsi rem per se spectas minime absurdum videtur Locrenses pestem ingruentem in religionem vertisse, oraculum autem, propter veterem memoriam sacrilegii, quod aliquis dux eorum in expeditione transmarina commisisset, urbe hostium vastata, quam propter famam belli Troiani facile crederent homines ipsam Troiam fuisse, enuntiasse ut ad Troiae sedem virgines in Minervae servitium mitterentur. Sed considerato ritu, qui hac in re observabatur, quo Ilienses virginibus specie insidiabantur velut eos interfecturi, eaeque per devia a comitibus suis clam introducebantur in urbem [5]), mox intellegis veram causam mittendi fuisse humanitatis progressum, quo virgines, quae more antiquo deae immolarentur,

---

1) Ridiculas nugas addunt Schol. ad Lyc. Alex. 1141, Serv. ad Aen. I 141, *quot annis* missum esse, Ep. Vat. Wagner II 20 p. 222 primum virgines, postea *infantes* missas, Tzetzes ad Lyc. Alex. 1141 infantes *unum annum natas* mitti solitas. De universa re vide Vuerth. l.l. p. 104 sq. Sed scholiastarum ineptias noli imputare Callimacho. Nam quod Schol. ad Lyc. Alex. 1141 tota re de virginibus narrata addit „ταύτης δὲ τῆς ἱστορίας καὶ Καλλίμαχος μέμνηται", minime inde sequitur ut is dixerit missionem *annuam*, vel perhibuerit *infantes* mitti.

2) Apud Schol. ad Lyc. Alex. 1155, cf. etiam Polyb. XII. 50, Strabo XIII p. 600 sq., Schol. ad N 66, Ael. infr. adv. ποίνη.

3) Alex. 1151 sqq.

4) De sera num. vind. 557 D.

5) Tam Schol. ad Lyc. Alex. 1141, quam Tzetzes l.l. significare videtur, *plerumque* virgines ab Iliensibus trucidatas esse, *raro* effugisse eorum insidias. Quod absurdum est. At videntur id collegisse ex eo quod legitur in schol. ad Lyc. Alex. 1159, unam aliquando e virginibus infelici casu interfectam esse in Trarone, Troadis colle prope urbem Ilium novum sito, quod ipsum, quamquam fieri potest ut revera acciderit, ut simile quid accidisse in Agrioneis auctor est Plut. Qu. gr. 38, tamen nescio an perperam derivatum sit e Lyc. Alex. 2126 sq. „φυτοῖς ἀκάρποις γυῖα συμφλέξας ὅταν Ἥφαιστος εἰς θάλατταν ἐκβράσῃ σπόδον τῆς ἐκ λόφων Τράρωνος ἐφθιτωμένης", quos versus unice recte interpretatus est Vuertheim (l.l. p. 115) ostendens nihil aliud voluisse poetam nisi hoc, quotiens e virginibus aliqua morte absumta esset corpus mortuum in Trarone crematum, cineres in mare deiectos esse.

hominum ingeniis mitigatis satius videbatur ei adiudicare in servitutem externam [1]), neque iam credis scriptoribus, qui huius rei anctores sunt, peste Locrenses inductos esse ad mittendum. Atqui simul cum peste etiam causa pestis, quam tradunt, tollitur et integrum manet rogare, quid Locridis incolas permovere potuerit, ut ex omnibus in orbe terrarum locis oppidum in Troade situm eligerent, quo virgines suas Minervae sacras, ne necare cogeret religio, relegarent; quid oppidi cives adduxerit ut illas reciperent et ad deae ministerium admitterent. Ad quae aliud responsum non dari potest, nisi hoc, eas missas esse ad populares et patrium cultum. Itaque luculenter apparet Ilienses, quo tempore missio fieri coepta est, pro parte saltem e Locride oriundos fuisse. Atqui fabula de Aiacis flagitio, quoniam èt in poëmate iam, quod inscribitur Ἰλίου Πέρσις, narrabatur [2]), èt in cista, quae dicitur Cypseli, eius argumentum insculptum erat [3]), veram mittendi causam iam medio saeculo ante Chr. n. VII in oblivionem venisse apparet. Fieri igitur nullo modo potest ut virginum missio tum demum initium ceperit, cum collem

---

1) Auctor est Athenaeus (p. 516) Locrenses Epizephyrios virginum suarum sacrificasse pudicitiam, additque èt Epizephyriis èt omnibus, qui hunc morem eolerent, causam eius fuisse παλαιᾶσ τινὸσ ὕβρεωσ memoriam. Vuertheim ad hunc locum animadvertit (l.l. p. 194) „ἡ παλαιὰ ὕβρισ nulla alia videtur fuisse quam ἡ τοῦ Αἴαντοσ." Velle videtur v. d. Athenaeum cum moris causam omnibus, qui eum colerent, flagitii alicuius memoriam esse diceret, non dubitavisse quin Epizephyrii memoria tenerent Aiacis flagitium. Utrum Athenaeus ita iudicaverit necne, mitto. Sed quod Vuerth. suspicatur morem sacrificandi virginitatem Locrensibus Italicis ortum esse *ex eadem origine* atque morem relegandi virgines Locrensibus Graecis, minus verisimile puto. Id enim si ita est, sequitur, ut virgines relegari coeptae sint post demum saeculum VIII a chr. n., quo exeunte colonia in Italiam est deducta. At hoc longe aliter se habere infra ostendam. Praeterea per se parum credibile, morem sacrificandi omnium virginum pudicitiam ortum esse e more sacrificandi binarum virginum vitam. Itaque aut morem suum Epizephyrii deprompserant a populis finitimis Italiae aut, si eum e patria repetiverunt, ibi extabat etiam postquam mos immolandi binas vigines ibi mutatus est in relegationem. Affert quoque Vuertheim locum Lycophr. Alex. 1128, ubi legimus Cassandram vaticinari virgines Daunias παρθένιον ζύγον — i. e. quod recte monuit Vuertheim, sacrificium pudicitiae — effugere conatas suam statuam amplexaturas esse. Itaque Lycophron aliquam deam a Dauniis cultam Cassandrae assimilavit, neque mirum erat illam pudicitiae tutelam fingi. Sed quid inde lucis aut Locrensium Graecorum aut Epizephyriorum mos accipi possit non video.

2) In Procli excerptis, Mythograph. Gr. I p. 245, 273.

3) Troja u. Ilion p. 554 sq.

Asar-lyk, postquam eum aliquod tempus habuerunt barbari e regionibus circa Istrum Tanaïnque sitis oriundi, quibus Doerpfeld, Brueckner cett., sedem proxime supra priorem Graecorum vicum sitam (VII²) tribuerunt, iterum Graeci occupassent [1]); fuisse enim barbaros illos e numero Trerum et Cimmeriorum, qui ex eisdem regionibus profecti, inde a saeculo VIII a Chr. n. exeunte, fere per quinquaginta annos partem Asiae minoris obtinerent, propter similitudinem originis apparet [2]); sed omnia eo tendunt ut credamus Locrenses ad quos primae virgines mitterentur, aut ipsos aut eorum patres aut avos inter eos Graecos fuisse, qui primi considerent supra rudera arcis de qua supra egimus [3]). Hanc, quamvis fieri possit ut ipsi deleverint, aeque tamen credibile est, iam ante ab indigenis hostibus vastatam esse. Sed fac hoc verius, nihilominus in promptu erat cantores, si qui inter illos colonos extitissent quo tempore, quid in illa re verum, quid minus verum esset, animis iam excidere coepisset, proeliorum vero, quae haud dubie Graeci adventantes cum indigenis commisissent, teneret memoria, persuasisse sibi, arcem quoque cuius sedem inhabitarent a suis maioribus captam esse. Omnino monumentis coloniae Locrensis ad Hellespontum deductae, insignite confirmari ea quae ex Homero collegimus de expeditione a Locrensibus, coniuncte cum Boeotis cett. emissa, neminem poterit latere, neque ullo modo dubium esse potest, cum apud Homerum illius arcis vel urbis cives Troes, Troiani, appellentur, et ipsa urbs Troia i. e. Troiana dicatur, quin carmina quibus haec expeditio celebraretur, idem habuerint. Alia vero

---

1) Hoc contendit Strabo (XII p. 600) auctore non addito, qui tamen quin sit Demetrius Scepsius, ex iis, quae praecedunt, dubitari non potest. Sed non melius id se habet quam quae attulit Demetrius ad probandum Troiam Homericam non quo loco postea Ilium novum conditum est, sed XXX stadios abinde positam fuisse, ubi vicus situs erat cui nomen Forum Iliensium. De qua re post Schliemannium ne verbo quidem opus est.

2) Huc etiam spectat quod collis in quo virgines mortuae cremabantur *Traron* audiebat.

3) Mittendi morem, semel constitutum, ne intermissum quidem esse cum barbari locum occupassent, non est quod miremur, hos enim religione adductos abstinuisse fano eiusque antistitibus et ministris, et sic missionem perdurare potuisse dum rursus coloni Graeci eum habitarent, quos etiamsi Locrenses non essent, tamen Minervam Iliensem coluisse constat.

res est credere cantorum temporibus eius nominis *memoriam* extitisse, vel idcirco eos urbem Troianis adscripsisse, quod suis auribus audirent incolas regionis in qua sita fuerat ita vocari. Contra supersunt aliqua indicia, quae alio tendant. E Strabone (XIII p. 604) certiores fimus inter demos Atticos eius aetate nomen Xypeteoni fuisse ei demo, qui antea — id autem non potest fuisse nisi ante Clisthenem, qui a vicis et heroïbus nomina posuit demis Atticis [1]) — Troum demus nuncuparetur. Rei huius notionem Phanodemo deberi apparet, quia apud Dionysium Halicarnassensem (I 61) legimus eundem Atthidographum perhibuisse Teucrum, *Ξυπετεῶνοσ ἄρχοντα*, Teucrorum nationis auctorem, ex Attica in Asiam profectum esse, quae nugae recurrunt apud Strabonem. At priscum nomen demi Xypeteonis non potest esse Phanodemi somnium, id enim de nihilo fingere non potuit [2]). Accedit, quod in genealogia regum Troianorum, quae traditur Υ 213 sqq. Tros est filius Erichthonii, quod nomen aliam esse formam nominis Erechthei, daemonis vel heroïs Attici, nemo negat. Mero casu deberi duplicem *ὁμωνυμίαν* Troum Atticorum et Asiaticorum et heroïs Attici et Troiani non est credibile. Vuertheim censet (l.l. pp. 60, 61, 63) nomen Troës inter ea nomina habenda esse „quae gentes, nomadum more vagantes in utraque ora maris Aegaei disperserint", „ita ut poëtae quibus Troum demus haud esset ignotus in maiorem Atheniensium gloriam Erichthonium Xypeteonum vicinum Trois patrem fecerint." Iam vero supra vidimus inter Boeotorum socios in expeditione Asiatica etiam Athenienses fuisse. Nihil igitur vetat credere inter hos Athenienses fuisse etiam qui e demo Troum Attico profecti essent, et ab his quoque heroëm Erechtheum cultum esse. Ab altera parte saepe

---

1) Aristoteles Ἀθ. Πολ. 21. 5 *προσηγόρευσε δὲ* (Κλεισθένησ) *τοὺσ μὲν* (*δήμουσ*) *ἀπὸ τῶν τόπων, τοὺσ δὲ ἀπὸ τῶν κτισάντων* cf. Busolt Griech. Gesch. II^{2} p. 405 sqq.

2) Crusius l.l. p. 117 allatis Procli verbis (ad Tim. p. 30 C. 97) „*τοὺσ δὲ Ἀθηναίουσ* Καλλισθένησ *καὶ Φαινόδημοσ πατέρασ τῶν Σαϊτῶν ἱστοροῦσι γενέσθαι*" „die Troer" inquit „haben in Attika nichts mehr zu suchen, als die Männer von Saïs". Perperam; nam illud de Saïtis Phanodemus *coniecit*, et inepte coniecit, ineptiarum autem originem veri similiter suspicatus est Vuertheim (ll. p. 63) hanc esse, quod Herodotus (II 28, 59, 169, 170, 175) commemorat *ἱρὸν τῆσ* Ἀθηναίησ in Saïtarum urbe constitutum; hoc de Troïbus non coniecit Phanodemus, sed suis auribus audivit.

numero fors tulit ut a nationis particula aliqua ad nationem totam, vel etiam latius, nomen se extenderet, ut Italia tota nomen accepit ab exigua sua parte meridionali, ut Libya nuncupata est nomine gentis ignobilis Syrtidem maiorem accolentis, ut multa alia eiusmodi. Minime igitur absurdum videtur nomen Troës casu quodam universis coloniae civibus, quorum Troës Attici exigua pars essent a finitimis inditum esse, inde autem veteres poëtas id simul cum eorum heroë Erechtheo sive Erichthonio transtulisse in cives urbis pristinae, in quam eodem modo mox demonstrabimus nomen Ilium a coloniae nomine translatum esse. Quoquo modo hoc se habet, minime constare mihi videtur unquam extitisse in ea regione, quae postea Troas audiret, gentem indigenam quae ipsa se Troes vocaret. Veros autem Troadis incolas tempore cantorum nostrorum Dardanos fuisse alio loco ostendere conabor. Quocum convenit, quod duobus Iliadis locis ita Dardani appellantur ut cum Troianis unum populum efficere videantur, nam Γ 456 Agamemnon, Θ 497 Hector utitur appellatione „Τρῶες καὶ Δάρδανοι ἠδ' ἐπίκουροι, qua discernuntur Dardani a sociis. Atque M 87 sqq. ubi copiae, quibus Hector imperat in quinque partes dividi dicuntur, quorum pars quinta e sociis consistit, Aeneas, Archelochus, Acamas, qui in Catalogo (B 819—823) Dardanorum duces dicuntur, non quintae parti praesunt, sed quartae. Praeterea in illa genealogia regum Troianorum Dardanus et Tros ita coniunguntur ut ille huius avus sit, et urbem Dardaniam condidisse fingatur, quo tempore Ilium nondum extaret (Υ 216, 230). Tamen censenti Troianos et Dardanos apud Homerum ita distinguendos esse, ut illi sint cives urbis Troiae, hi ceterae Troadis incolae, non hoc quidem obstat, quod Troiani in Iliade saepissime ita usurpantur, ut simul èt Dardani èt socii intellegendi sint, vel quod socii iis adiunguntur Dardanorum nulla mentione facta; sed repugnant Iliadis loci (B 826, E 211) quibus Pandari milites, qui in urbe Zelea (Δ 103, 121) apud flumen Aesepum (Δ 91) in confiniis Troadis et Phrygiae minoris habitant, totidem verbis Troiani dicuntur, et locus M 96 ubi Asius Hyrtaci filius, qui imperat Arisbae et aliis oppidis Troiae finitimis (B 835—839) tertiae ex partibus in quas Hectoris copias dividi moniumus, non quartae vel quintae praeest. Forsitan Pandarus et Asius cum in Iliadem inducerentur, propterea

inter socios habiti non sint, hic, quod in vicinia urbis Ilii habitaret, ille, ne eius patria, cum Lycia audiret (E 105, 173) [1]), pro eadem haberetur atque Glauci et Sarpedonis; neque tamen Dardanis adnumerati, quod horum principes alii ex antiquis carminibus cogniti essent; ideoque Troiani latiore sensu nuncupati. Ceterum, cum duo sint Iliadis loci (H 414, Θ154) ubi ita coniunguntur Τρῶεσ καὶ Δαρδανιῶνεσ, et item duo (Σ 122, 339) ubi ita Τρωιάδεσ καὶ Δαρδανίδεσ ut nihil inde efficere liceat, ex cunctis locis, ubi una cum Troianis commemorentur Dardani, sex restant (Θ 172, Λ 285, N 150, O 425, 486, P 184) quibus sic hi compellantur ut tertio loco ponantur, interpositis Lyciis, hoc modo „Τρῶεσ καὶ Λύκιοι καὶ Δάρδανοι ἀγχιμάχηται", cum tamen e contextu rerum narratarum minime appareat, eos Lycios potius esse Pandari milites, quam incolas notissimae illius regionis, e qua Glaucus et Sarpedon profecti erant, qui se ipsi socios vocant (E 476). Neque tamen illud urguendum puto, quia eius ordinis minus apti èt metri necessitates èt aliqua poëtarum incuria causa esse potest [2]). Lycios autem Glauci et Sarpedonis in Iliade praecipuum locum inter socios obtinere, ita ut saepius Τρῶεσ καὶ Λύκιοι appellentur, quasi Lycii socii soli sint, satis explicatur insignibus illorum principum in ea partibus. Ager Troianus, Troas, cum ante Herodotum hoc nomen apud scriptores non inveniatur, primum sic appellatus esse videtur a Graecis qui, ea regione saeculo VII a. Chr. n. occupata, Homero suo crederent, eam olim cum oppidis suis, sub urbis Troiae dicione fuisse. Teucrorum populum, qui forsitan Homeri temporibus iam dudum partem Troadis in orientem spectantem incoluerit, cum Ilias taceat, ne in fontibus quidem Iliadis extitisse puto, sive adventu

---

1) Hoc patriae suae nomen Pandarus debere videtur errori nominis Λυκηγενής. Nam cum haud dubie initio Pandarus fuerit aliquod numen luciferum, quod Apollini assimilabatur, consentaneum erat eum, quemadmodum hunc, appellari Λυκηγενῆ ad significandam originem e luce, sed, numine in mortalem converso, nomen ipsum Λυκηγενής iam reservabatur Apollini, sed simul inde efficiebatur terram unde Pandarus oriundus esset, Lyciam audire.

2) Duae hae res, et quod patria Pandari, qui tamen inter Troianos habebatur, Lycia erat, èt quod flumen Troianum Scamander alio nomine Xanthus appellabatur, quo eodem Sarpedonis patrium flumen, efficere potuerunt illum appellandi ordinem, quasi omnes Lycii cum Troianis et Dardanis in unum populum coaluissent. Is autem ordo semel institutus inconsulto repetebatur.

Graecorum Teucri in illa sede nondum comparuerant, sive, quod verius videtur, iam comparuerant sed Graecis hostiles non fuerant. Nam inde quod Teucer Aiacis Telamonii frater fingitur, haud absurde suspicatur Ed. Meyer v. cl., Teucros cum Graecis foedus inisse [1]), idque eo credibilius est quia antiquissima carmina Aiacem adventantium Graecorum ducem habuisse vidimus [2]). Simul autem sic via monstratur explicandi cur Aiaci Telamonio tributa sit patria Salamis. Nam collatis Herodoto (V 122, VII 43), qui Gergithes, quorum urbem Gergithen in Troade sitam memorat Xenophon (Hell. III 1. 5), Teucrorum tradit gentem fuisse, et Athenaeo (VI 256 B) qui Gerginos, e Cypro oriundos, urbem in Troade condidisse auctor est, Kretschmer v. d. Gergithes et Gerginos pro eisdem habens veri similiter coniecit Teucros, qui Troadem incolerent, eo profectos esse ex insula Cypro [3]). Graeci qui in hac insula Teucros offenderent, proponere sibi poterant Teucrum, gentis auctorem, habitasse Salamine in urbe Cypri, quem Teucrum in expedito erat sequentem aetatem assimilare illi Teucro, quem poëtae fecerant fratrem Aiacis Telamonii, unde rursus sequebatur ut Teucer quoque Salaminius origine Graecus esset; hunc vero propter *ὁμωνυμίαν* facile fingebant profectum ex insula Salamine [4]). Atqui si haec illius patria esset, etiam eius fratris patriam esse necesse erat. Haec non mirum est si rhapsodorum Atticorum opera vetustiorem patriam Hylen e memoria hominum exturbaverit, illis enim insula Salamis, sicubi ab Atheniensibus est expugnata, ansam dabat Aiacem Telamonium vindicandi suis

---

1) Gesch. des Altert. I² 2 p. 659. Sed minus recte Meyer putat ad foedus Teucrorum cum Graecis pertinere fabulam recentiorem („die spätere Sage") qua Teucer fingebatur natus Hesione regis Laomedontis filia. Contra, cum posteriore tempore Teucri habiti sunt Graecorom hostes, ipsique Troiani, Teucer Aiacis frater origine materna Troianus est factus.

2) Teucrum in iis carminibus memoratum esse, quamquam in libris Ν—Σ nonnisi raro invenitur (Ν 91, 170 sqq. 313 Ξ 515 Ο 436 sqq.) nihil vetat credere. In cetera Iliade Teucri fit mentio Ζ 31, Θ 366 sqq., Μ 362 sqq., Ψ 859 sqq.

3) Einleitung Griech. Spr. p. 189.

4) Postremo Phanodemus, postquam Salamis Atheniensium est facta et Teucer origine Troianus est habitus, omnia ridicule conturbans, Atticam pro Salamine, demum Xypeteona i. e. Troes Atticos pro Troianis Homericis substituens, has nugas protulit (Dion. Hal. I Strab. XIII p. 604) *„τοῦτον (τὸν Τεῦκρον) ... ἐκ τῆσ Ἀττικῆσ μετοικῆσαι ... εἰσ τὴν Ἀσίαν δήμου Ξυπετεῶνοσ ἄρχοντα"*.

popularibus. Illis igitur vix erraveris si tribueris locum H 197 —199 et Catalogi interpolationem, de qua supra egimus. Ceterum, Teucrum a poëtis propter nomen suum sagittarium esse factum, non contra Teucrum esse vocatum, quod sagittarius esset, ex iis quae disputavimus sequitur.

Tum vero a cantoribus iam antiquis, qui maiorum suorum celebrarent expeditionem Asiaticam, urbem, quam illos expugnasse fingerent, Ilium vocatam esse, hinc efficere licet. Pater Aiacis Locrensis apud Hesiodum, Stesichorum, Pindarum, Euripidem, alios, pro Oileo vocatur Ileus, Ϝιλεύσ, quae eiusdem nominis nonnisi alia forma esse videtur [1]), quod Zenodotus attendens, pro Oileo apud Homerum Ileum substitui volebat [2]). Ileus autem, cuius vocis propriam vim esse „Propitius" vidit Vuertheim [3]), cum apud Hesiodum Apollinis filius sit [4]), antea haud dubie Apollo ipse fuit eo cognomine appellatus a Locrensibus, idque eo nonnihil confirmatur quod Physci in oppido Locridis, colebatur Minerva Ilias [5]); sponte enim hinc colligis, nominibus Ileo et Iliade a Locrensibus eandem naturam divinam designatam esse, altero masculine et mox coniunctam cum Apolline, altero feminine et coniunctam cum Minerva [6]). Itaque quod in Iliade urbs Troiana Ilium, Ϝίλιος, audit, sic explicandum videtur ut sumatur èt Locrensium opera, qui inter conditores essent vici arci dirutae superpositi, cum colerent Apollinem Ileum et Minervam Iliadem nomen Ilium coloniae datum esse èt deinde cantores, qui inter eos existerent, id nomen transtulisse in urbem antiquam, quae olim stetisset eodem loco. Quod autem Apollo in Iliade èt apud Graecos in summo honore habetur èt tamen praecipua Ilii tutela est èt (cum Neptuno) urbis moenia aedificasse narratur (H 453) inde factum videtur, quod Apollinis Ilei cultus, quamvis genuini Graecorum dei, ita a nomine Ilio seiungi non posse videbatur, ut simul cum hoc adscriberetur

1) Cf. Rzach op. Hesiod.² fr. 116 et Vuerth. l.l. p. 83.
2) Schol. Townl. O 353 Schol. N 203.
3) l.l. p. 131 sqq.
4) Vide ann. 1 in hanc pag.
5) Troja und Ilion p. 572. C. I. G. Sept. VII. 1. 349 sqq. Wilh. Anz. d. phil. hist. Klasse d. Wien. Akad. 1897 XXVI p. 9.
6) Cf. Usener Götternamen p. 216 sqq.

urbi barbarae [1]). Ut Minervam quoque, quae ob alias causas, manifesto ad fontem Iliadis de quo adhuc egimus non pertinentes, sed alii alicui fonti eius debitas, apud Homerum Troianis infestissima fingitur, tamen legimus (Z 88 sqq., 269 sqq.) cultu in urbe non caruisse et ῥυσίπτολιν audisse, etiamsi propter illam inimicitiam matronarum Troianarum preces supplices repudiaret [2]). Ab altera parte Aiax Locrensis ut Apollinis Ilei filius haberetur nullam aliam ob causam ei contigisse videtur, nisi quod coloni Locrenses volebant suum ducem esse natum deo coloniae praeside [3]). Utrum Ileus vel Oïleus iam ante Homerum in mortalem sit conversus an tum demum cum Ilias conderetur, quamquam illud verisimilius videtur, sciri non potest. Sed quoquomodo hoc se habet, apparet colonos Locrenses cum satis auctoritate valuissent ut coloniae constitutae ab ipsorum deo nomen Ilio daretur, parum valuisse ad cantores e Boeotis qui secum coloniam collocassent permovendos ut, suum exemplum secuti prisco Aiacis cognomine Telamonio dimisso, eum eadem ratione Oilei filium appellarent. Deum marinum Telamonium nomine non frustra demonstravit Vuertheim [4]) antiquis temporibus cultum esse in diversis Graeciae regionibus cumque hoc Aiacem coniunctum esse quo tempore hic nondum pro heroë verum pro daemone haberetur, neque enim tantummodo terrestrem sed marinum quoque daemonem habitum esse [5]). Vuertheim censet Τελαμώνιοσ a Τελάμων derivatum esse ad significandum „Telamoni dedicatus" [6]). Hoc non optime in numina quadrare videtur ut di-

---

1) Postea cum huic urbi conditor mortalis quaereretur hic Il*us* non Il*eus* vocatus est (Υ 232), quoniam Ileus mortalis factus, tamen natione Graecus manebat et pater quidem heroïs quo duce urbs fingeretur capta esse. Cognomen satis mirabile πολίπορθος quo Oileus appellatur B 728, ortum esse potest quo tempore Apollo Ileus nondum praeses urbis dirutae a poëtis factus esset quae eius ope credebatur capta esse.

2) Quemadmodum Apollo deseruit Hectorem postquam Iuppiter declaravit eius exitium in fatis esse (X 213).

3) Apud Lyc. Alex. 1150 pater Ilei est Hododocus i. e. Orcus (vide Usener der Stoff des Griech. Ep. p. 25 sqq.). Fortasse Hododocus initio fuit ipsius Aiacis pater, quod optime convenit ad naturam daemonis qualis Aiax initio fuisse videtur, Gigantum naturae consimilem (cf. Vuerth. l.l. pp. 26 sqq., 82 sqq.), Ileusque in mortalem conversus a mythologis insertus est inter Hododocum et Aiacem.

4) l.l. p. 68 sqq.

5) l.l. p. 90.

6) l.l. p. 73.

cantur aliis numinibus dedicata [1]), cur potius credas, Τελαμώνιοσ origine aliam formam esse nominis Τελάμων [2]) „Feretrius", et cum nomine Αἴασ in unam appellationem coniunctam esse quemadmodum Φοῖβοσ et Ἀπόλλων, alia. Antiquam eam coniunctionem ne Locrensibus quidem alienam fuisse Gruppe, nescio an recte, inde efficit, quod èt matri Aiacis Telamonii èt uni e virginibus, quae primae e gente Aiacis Locrensis Ilium missae dicebantur, Periboeae nomen a mythologis dabatur, quae res indicare videtur aliquod vinculum inter hunc Aiacem et Telamonem. Sed in Asiae litore Locrensium cantores pristinum cognomen dimisisse, Boetorum vindicasse et appellationem „Oilei filius" repudiasse perspicuum est, neque enim si utrique Aiaci utramque appellationem adhibuissent eidem poëtae, fieri ullo modo potuisset ut Aiaces pro duobus diversis heroïbus habiti essent, quemadmodum Aiax Boeotius et Aiax Salaminius semper pro eodem est habitus, uterque enim audiebat Telamonius. Vox Τελαμώνιοσ, quam apud Homerum patronymicum esse nemo nescit, ita ut saepius Τελαμωνιάδησ pro eo substituatur et commemoretur Telamon Aiacis Boeotii vel Salaminii pater, haud dubium est quin tum cum Aiax Telamonius in mortalem converteretur a propria sua sententia deflexa sit.

Illos autem Troadis incolas, qui Graecos adventantes suo litore arcere conarentur, sive eidem contra eos defenderunt arcem supra cuius rudera victores mox suam sedem collocarent, sive illa tunc temporis iam diu vastata iacebat, quod sciri non posse arbitrabamini, non dubitavimus passim *indigenas* vocare qua voce eos a natione Graeca distinguere voluimus. Verum Gruppe, id quod initio huius scriptionis monui, Troianos, quos Homerus dicit, ipsos quoque Graecos fuisse putat, eosque Boeotos, qui multo ante bellum Troianum eo migrassent [3]). Tamen Gruppium, quamvis non totidem verbis significet arcem quam pro Troia Homerica habent Doerpfeld c. s., se quoque habere, non est cur credamus de ea re dissentire. At vero, ut mittam quod Dörpfeld

---

1) Aliud quid est, quod Proteus dicitur Ποσειδάωνοσ ὑπόδμωσ δ 384.

2) Cf. Usener Göttern. p. 9 „Durch io entstehen Adjectivische Formen, welche die Sprache gleichwertig den Grundworten gebraucht ..... den Argonauten Παλαίμων (Apollod. I. 9. 16) nennt Apollonius u. a. Παλαιμώνιοσ.

3) l.l. pp. 303, 621.

animadvertit, prorsus aliam esse aedificationis rationem quam arx prodit, aliam, quam reliquiae domuum Graeci vici supra eam positi, tamen, cum vv. dd. eius rei periti vulgo contendant arcis originem adscribendam esse fere saeculo XV a. Chr. n. parum credibile videtur iam tum, sive potius aliquanto ante, Graecorum manus in Asiam traiecisse. Quae autem pro sua sententia affert Gruppe non satis valida sunt. Nam primo quidem loco Hectorem inter Boeotorum habet heroës, quoniam eius sepulchrum ostendebatur Thebis. Hoc vero argumentum, quod primus protulit Duemmler [1]) repetiverunt Bethe [2]) et P. Cauer [3]) vv. dd. eis eripuit O. Crusius v. cl. [4]) rite demonstrans non esse cur spernamus, quod tradunt Lycophron [5]), Aristodemus [6]) pseudo-Aristoteles [7]), Pausanias [8]), Strabo [9]), Thebanos Hectoris ossa Ilio arcessita sepulchro condidisse permotos oraculo quodam; saepius enim, imprimis abinde saeculo VI a. Chr. n. civitates arcessivisse heroum reliquias [10]), quo praesidio bellum grave sustinerent vel pestem defenderent ingruentem, quam ipsam Hectoris ossa transferendi causam fuisse auctores sunt Lycophron Aristodemus, Strabo; neque mirum esse quod praecipue Hectoris ossa petere oraculum iussisset, quoniam ex Homero omnes scirent, ex omnibus fere Graecis solos Thebanos belli Troiani expertes fuisse; ab altera autem parte satis nobis cognitas esse Thebanorum mythologias ut statuere liceat in eis Hectorem nullas agere partes. Cetera autem quae Gruppe affert non minus valent ad nostram, quam ad ipsius sententiam confirmandam. Monet enim v. d. narrari bovem indicasse locum condendae Troiae non aliter ac Thebarum [11]), Apollinem et Neptunum

---

1) In Epilogo ad opus Studnickzcae „Kyrene".
2) Hom. u. d. Heldens. p. 15.
3) Grundfr. der Hom. krit.² p. 195.
4) Sagenverschiebungen, Sitz. Ber. der K. Bair. Akad. v. Wissensch. 1905 p. 760 sqq.
5) Alex. 1189 sqq.
6) Schol. N 1 sqq.
7) Pseudepigr. ed. Rose p. 575.
8) IX 18. 5 p. 405.
9) XIII p. 545.
10) Exempla attulerunt vv. dd. Lobeck (Aglaoph. 281⁴) Welcker (Götterlehre III 250) Rohde (Psyche I² 161, 1).
11) l.l. p. 303.

aedificasse moenia ut Troiae sic Eutresiae, Boeotiae oppidi [1]), Arisben non modo oppidi prope Troiam siti, sed etiam Boeotiae oppidi nomen esse [2]), Melanippum, heroëm Thebanorum, in Iliade esse Troianum, Hectoris comitem [3]). Sed etim sic haec optime explicantur, Boeotos èt nomina èt fabulas non modo in novam patriam, sed etiam in hostes, quibus eam ademissent, transtulisse, quod de Melanippo Thebano, si forte Boeoti qui in Asiam transissent Thebanis hostiles erant, eo facilius creditur. De Melanippo etiam egerunt Duemmler [4]) et Bethe [5]), praeterea autem hi monuerunt inter duo de triginta hostes, quos nominatim in Iliade appellatos, sua manu caedat Hector, quatuor Boeotos esse [6]), quinque — duplicem Schedium Phocensem [7]), Autonorem heroëm Delphicum [8]), Orestem cuius nomen a Phocide separari non possit [9]), Trechum, Aetolum ab Homero dictum, sed ἐπώνυμον Trachidis [10]) — e Boeotiae vicinia oriundos. Horum nominum utique partem deberi carminibus in Asiae litore a poëtis Boeotis conditis, supra demonstravimus; fieri potest ut cuncta inde oriunda sint, quod non minus est veri simile quam ut cogitandum sit de proeliis Boetorum inter se et cum finitimis.

Duemmler [11]) et Bethe [12]), cum Hectorem inter Boeotorum heroës fuisse putent, non tamen, ut Gruppe, idcirco Troianos Homericos e Boeotia oriundos censent [13]), sed existimant Hectorem tum demum coeptum esse Troianis adiudicari, cum illae gentes Graecornm, quae eum in patria inter hostes habuissent, partem belli Troiani sibi arrogare coepissent; in antiquissimis de eo bello carminibus nullum de eo sermonem fuisse. Sed si nobiscum feceris, nullum iam esse causam cur Hector antiquissimis illis carminibus abiudicetur, perspexeris. Gruppe, cum a Stesi-

---

1) l.l. 2) l.l.

3) l.l. Tres Melanippos inter Troianos habet Ilias uuum Θ 276, alterum Ο 547, hic est Hectoris comes, tertiom Π 695.

4) l.l.

5) Hom. u. d. Heldens. p. 15.

6) Oresbius Ε 507, Ascalaphus Ο 112, Arcesilaus Ο 329, Leïtus Ρ 601.

7) Ο 515 Ρ 305. 8) Λ 301. 9) Ε 705.

10) Ε 706. 11) l.l.

12) Hom. u. d. Heldens. p. 18, die Troj. Ausgrab. u. d. Hom. kr. p. 11.

13) Bethe credere videtur Troianos Homericos revera ex Attica oriundos fuisse. Cf. Hom. u. d. Heldens. p. 17.

choro [1]) et Ibyco [2]), Hector Apollinis filius dicatur [3]), principio eum fuisse Apollinem ipsum censet, in Boeotia eo cognomine appellatum. De cognomine non refragor, centiens enim apud Graecos deorum cognomina in filios abisse notissimum est. Sed quod addit v. d. de Boeotia, ex eo pendet, quod de Hectoris patria iudicat. Tamen si Hector fuit priscum Apollinis cognomen, sequitur ut e Graecis, qui sedem Troiae Homericae occupaverunt, quidam fuerint, sive de Boeotis cogitare iuvat, sive de Phocensibus sive de aliis, qui èt in patria antiqua hoc cognomine eum appellaverint, et in novis sedibus pro indigenae ducis nomine acceperint, neque mirum si, Apollinem habentes pro antiquae urbis praesidio — id quod supra demonstravimus — ei illo nomine filium tribuerunt, qui ingenti robore praeditus arcis propugnatoribus praefuisset. Huic autem in promptu erat mox, divina origine neglecta, ne patre mortali careret, patrem „Priamum" addere, quandoquidem „Priamus" derivatus est a „Pergamus" et valet „arcis dominus".

Praeter Hectorem in carminum κύκλῳ nostro etiam Euphorbum inter Troianos laudatum esse, supra ostendere conatus sum [4]). E ceteris Panthoï filiis Hyperenor interfici narratur in pugna apud naves (Ξ 516), nonnulla vero eo pertinentia, quae non memorata erant, tanguntur ubi de Euphorbi exitu sermo est (P 24 sqq.). Videntur haec, praeter quae de neutro fratre ne verbum quidem apud Homerum legitur, eidem fonti adscribenda esse, sed quod Menelaus utrumque occidisse fingitur perspicuum est in eo fonte aliter se habuisse. At ei fonti tertium quoque fratrem Polydramantem deberi èt quodammodo iam propter consanguineitatem credibile est èt confirmatur quia Boeotorum vulnerat principes Prothoenorem (Ξ 450 sqq.) ac Peneleum (P 599) et, postquam Hector cecidit Schedium Phocensem (O 515 sqq.), continuo interficit Otum Cyllenium, comitem Megetis Epeiorum ducis (O 518 sqq.), quos omnes in Iliadem e fonte nostro trans-

1) fr. 69 Bergk.

2) fr. 34 Bergk.

3) Quod Hector a Neptuno dicitur gloriari (N 75) se Iovis filium esse, accipiendum puto εἰρωνικῶς dictum, poëtam enim significare Neptuni iudicio tantos Hectorem spiritus sumere, quasi Iove natus esset. Conferatur ipsius Hectoris votum N 825 sqq.

4) p. 10.

sumtos esse demonstravimus. Praeter has res gestas nullae aliae ei in Iliade tribuuntur, sed quater Hectoris consiliarius prodit [1]), idque ita ut bis eius consilium placeat (M 60 sqq., N 725 sqq.) bis displiceat (M 210 sqq., Σ 254 sqq.). E quatuor eius consiliis postremum narraturus poëta praemisit nonnulla (Σ 249 sqq.) de eius ingenio unice apto ad consilia impertienda — „ὁ γὰρ οἶος ὅρα πρόσσω καὶ ὀπίσσω" — quod confert cum Hectoris indole bellicosa magis quam sagaci. Haec qui excogitavit, non praemisit ubi postremum sed ubi primum Polydamantem monitoris munere fungi fecit. Ab altera parte sic Hector nostro loco ei respondens infit (Σ 258) „Πουλυδάμαν σὺ μὲν οὐκέτ' ἐμοὶ φίλα ταῦτ' ἀγορεύεις," ita ut appareat eum respicere priora aliqua gratiora a Polydamante dicta, quo prohibemur credere huius personam excogitatam esse ab huius loci auctore, et trium reliquorum auctores sua inde derivasse. Cunctis igitur pro fundamento fuit carmen aliquod ante Homerum conditum, quo èt Polydamantis indoles èt Hector sive semel sive saepius ab eo monitus traderetur. Atque eo ipso quod sic quoque ad antiquum reicimur fontem, nonnihil commendatur Polydamas illi fonti nostro.

Iuxta Panthoï prolem etiam ex Antenoris filiis, quorum decem numero memorantur in Iliade genuini, spurius Pedaeus, nonnullos saltem ad eundem fontem referendos censeo. In Catalogo Dardanis praeesse dicuntur (B 819 sqq.), praeter Aeneam Anchisae filium, duo filii Antenoris, Archelochus et Acamas, quam notitiam haustam esse e duobus diversis fontibus inde iam sequitur, quod nullum consanguinitatis vinculum Anchisae intercedit eum Antenore quo factum sit ut eorum filii una Dardanis imperent. Iam vero Aeneam non e nostro fonte sed ex alio in Iliadem inductum esse suo loco demonstrare conabimur, Archelochum contra et Acamantem nostro deberi fonti propterea veri simile est, quod èt Archelochus ab Aiace Oileï filio occiditur (Ξ 462) èt in eius corpore defendendo frater Acamas interficit Promachum Boeotorum principem (Ξ 476) èt quo loco haec narrantur, qui locus pertinet ad pugnam apud naves, etiam Polydamas in scenam prodit, in eum enim hastam torquens, ulturus

1) Ceteri Iliadis loci ubi Polydamas commemoratur sunt Λ 57, N 790, O 433 sqq. Π 535, X 100 sqq. quibus obiter mentio eius fit.

Prothoenorem Boeotum ab eo interfectum [1]), Aiax Archelochum percutit. Videtur totius ἐπεισοδίου huius materies deprompta esse e carminibus κύκλου nostri. Praeterea forsitan indidem tertius quoque et quartus frater, Agenor et Laodamas, quamvis in Catalogo neuter extet, arcessiti sunt, nam ille caedit Boeotum Clonium (O 340), inque contextu eiusdem loci offendimus Arcesilaum Boeotum (O 329), Medontem Locrensem (O 332 sqq.), Menestheum, Stichium, Iasum Athenienses (O 329, 331, 332) [2]); Laodamas ab Aiace Telamonio trucidari narratur (O 516 sqq.) quo loco Schedius Phocensis ab Hectore et Otus Cyllenius a Polydamante. Ceteros Antenoris filios mitto, quippe qui neque coniuncte cum aliis personis quae fonti nostro tribuendae sint, neque in pugna apud naves quaeque ad eam pertinent, neque in Catalogo memorentur. Sed excipiendus est Pedaeus, hic enim èt interficitur a Megete Epeiorum duce èt educatus esse narratur a Theano Antenoris uxore (E 69 sqq.), quam alio loco legimus (Z 297 sqq) a Troianis factam esse sacerdotem Minervae. Atqui huius deae cultum Troianum in Iliade traditum supra demonstravimus [3]) e solo fonte nostro originem ducere. Itaque Pedaeus nostro fonti vindicandus videtur, una autem cum privigno Antenoris uxor Theano.

Sed ex ingenti numero Hectoris fratrum de Deïphobo solo idem conicere licet. Hic interficit Martis filium Ascalaphum (N 518), cuius ipsa caelestis origo ostendit eius nomen ex antiquo fonte ad Martis cultum pertinenti, haustum esse. Quod Ascalaphus hic a Troiano occidi narratur, vix in eam cogitationem incidisse puto poëtam qui aut fingeret, aut e vetustioribus carminibus cognovisset, eius patrem a partibus Troianorum stare

---

1) Acamas quidam, cuius pater non additur, quem igitur utrum Antenoris filius fingatur necne sciri nequit, occiditur a Merione (Π 342), quem fonti nostro abiudicandum censuimus.

2) Agenor quidam, patre non addito, caedere narratur Elephenorem Abantum ducem (Δ 467), et Echeclus quidam, dictus Agenoris filius ab Achille interficitur (Υ 474); haec ad nostrum fontem pertinere, non est cur credamus. Agenor, Antenoris filius, cum fratribus Acamante et Polybo iuxta Hectorem et Aeneam Troianis praeesse dicitur Λ 59, et cum fratribus Archelocho et Acamante M 93, 100; praeterea obiter commemoratur una cum Polydamante Π 525; eius speciem indutus Apollo Achillem a persequendo Hectore abstrahit Φ 544 sqq. Aliis locis nullis inveniuntur illi Antenoris filii, quos fonti nostro tribuimus.

3) p. 28.

quemadmodum in Iliade, si discedis a pugna apud naves quaeque cum ea cohaerent, Mars semper fingitur [1]). Hoc mitto, sed cum Ascalaphus in Catalogo (B 511 sqq.) recenseatur inter Boeotorum principes, eius mortem et victorem in aliquo carmine, quo de Boetorum nostra ageretur expeditione suspicamur laudatum esse. Tamen certamen elaborate depictum (N 155—538) quocum eius mors cohaeret, quod Ἰδομενῆοσ ἀριστείαν iure vocaveris, in quo de parte Troianorum Deïphobus unus omnium excellit, unde tandem vulneratus a Merione discedit, ad hunc fontem nihil pertinere, ex eis quae in superioribus demonstravimus, sequitur [2]). Vix erraveris ratus id tum inventum esse cum pugna apud naves Homerica componeretur, aut ei esse insertum. Atque reliqui Priami filii, quorum in ea pugna ceterisque ad quae idem fons pertinet nonnisi Paris, Polites, Helenus, Cebriones commemorantur, nemo autem nisi exiguas partes agit, cur potius ex aliis quibusdam fontibus recepti esse censendi sint, in eis fontibus perscrutandis exponemus.

Superest ex infinita multitudine Graecorum et Troianorum, quae in Iliade quodammodo ante oculos nostros decurrit, si eos eximis quos fonti quem adhuc investigavimus aut abiudicavimus aut attribuimus, tamen longe maxima pars. Sed hi, non multis exceptis, numerus sunt, quorum etiam permulti in scenam non prodeunt, nisi ut statim evanescant. Ex iis negare non licet, fieri posse ut nonnulli, quamvis id dispicere nequeamus in fonte nostro non defuerint; ab altera vero parte èt his omissis èt praeterea eis, quos ad alios fontes referendos esse posthac ostendere conabimur, vel qui, quamvis id nos lateat

---

1) Duo Iliadis loci extant quibus, etiamsi Mars Troianorum sociis fingitur, tamen aliqua memoria retenta esse videtur in antiquis carminibus rem aliter se habuisse. Nam E 563 sqq. Menelaum suscitare legitur ad mortem Crethonis et Orsilochi, quos Aeneas interfecerat ulciscendam. Id hoc consilio Martem fecisse ibi additur ut Menelaus quoque manibus Aeneae caderet, sed minus veri simile est hoc sibi proposuisse eum, qui primus illud excogitaret. Quod tamen ex hoc loco collegit Robert v. cl. (Studien zur Ilias p. 192) principio in Iliade („in die Ur-Ilias") Martem aut Graecis aut neutris favisse inde non sequitur. Altero loco (E 832) Minerva Marti exprobrat mobilitatem, quod Troianis adsit pollicitus se Graecos adiuturum.

2) Praeter locos tractatos Deiphobus in Iliade non occurrit nisi ubi Hector a Paride quaerit (N 770) et certior fit (N 781), quid de eo in pugna factum sit; tum X 227, ubi Minerva eius speciem inducit ut Hectorem fallat, et X 251 ubi pater eum cum ceteris filiis suis superstitibus increpat.

ad alios fontes pertinent, haud dubie complures relinquuntur, qui ante Homerum in nullo carmine extiterint, sed tum demum sint inventi, cum Ilias componeretur. E Troianorum sociis vix dubium est quin Cilices, qui nusquam in Iliade inveniuntur, nisi in Ἕκτορος καὶ Ἀνδρομάχης ὁμιλίᾳ (Z 397, 415) huius ἐπεισοδίου auctor e nullo fonte protulerit, quippe quem fere constet [1]) Thebas Hypoplacias, quam sedem iis attribuit, temere transtulisse e Thessalia in Troadem vel eius regionis viciniam [2]), cum tamen neque hic neque illic Cilicum vestigia quisquam unquam invenerit. Atque eadem ratione veri simillimum est Paphlagones cum rege Pylaemene, qui nusquam in Iliade comparent nisi in Catalogo (B 851) et E 576 et N 658, aut loci E 576 aut N 658 auctorem suo Marte evocasse in lucem poëticam [3]). Tamen non omnia φῦλα περικτιόνων ἐπικούρων in simili causa esse videntur. Nam Lycios, Leleges, Caucones, Cares, Paeones, Thraces, quibus imperat Rhesus, arcessitos esse e fontibus, qui ad bellum Troianum non pertinerent, posthac ostendere conabor. Supersunt Cicones, Halizones, Pelasgi, Maeones, Mysi, Phryges Ascanii, Thraces illi quibus praesunt Acamas et Pirous, quos distinguendos esse a Rhesi populo apparet, non

---

1) De ea re alio loco accuratius agendum erit.

2) Nam e veris Cilicibus extremam Asiae minoris partem incolentibus nemo censebit Hectorem uxorem duxisse; neque inde in castra ad Troiam Achillem absportavisse reginam et deinde eo remisisse pretio redemptam.

3) Loci E 576 et N 658 inter se pugnant, nam hic Harpalionem Pylaemenis filium a Merione occisum dum comites Ilium transportant, pater lacrimans corpus prosequitur, qui E 576 ipse Menelai manu cadere narrabatur. Sed animadvertendum est ab eodem Merione a quo N 656 Harpalionem, alio loco (E 59) interfici Phereclum quemdam eodem vulnere satis singulari; nam utroque loco legimus ’βεβλήκει γλουτὸν κατὰ δέξιον; hoc tantum interest, quod altero loco hasta, altero sagitta vulnus infligitur, cur hic ita pergit poëta ἡ δὲ διὰ πρὸ ἄντικρυς κατὰ κύστιν ὑπ’ ὀστέον ἤλυθ’ ἀκωκή, ibi αὐτὰρ ὀιστὸς ἄντικρυς κατὰ κύστιν ὑπ’ ὀστέον ἐξεπέρησε. Quo accedit quod utrique loco praecedit mentio Menelai facta in quem uterque et Harpalio et Phereclus impetum fecerant cum a Merione vulnerarentur. Nullum dubium igitur quin alter locus ad exemplar alterius informatus sit, neque mirum, praesertim quo tempore carmina nondum scripto mandabantur, eiusdem ἐπεισοδίου duplicem extitisse formam. Itaque suspicor initio vss. N 643—672 non aliter ac E 58—68 destinatos fuisse ei loco, quem nunc hi obtinent, eo ipso autem quod hi eum locum sibi vindicaverunt, factum esse ut illi alio loco insererentur. Atque locus quidem ubi nunc extant aptus videbatur inserenti, quoniam ibi quoque de Menelao sermo fuerat, sed patuisset eum ineptissimum esse, dumne neglexisset sic Pylaemenem ab inferis revocari.

tantum quod hic desideratur in Catalogo, sed inprimis quod Rhesi milites νεηλύδεσ dicuntur (K 434), qua voce, si confers K 471 „οἱ δ' ηὗδον καμάτῳ ϝεϝαδηκότεσ" apparet significasse poetam eos exeunte demum proximo die superiore advenisse, itinere enim defatigatos alto somno oppressos esse, Pirous contra illo die iam in proelio occisus est (Λ 527). Thracum horum, quos Acamas et Pirous ducunt, praeterquam in Catalogo nonnisi bis mentio fit, altero loco ubi Pirous occiditur, altero ubi Acamas (Z 5 sqq.). Sed notatu dignum est Piroum occidi a Thoante Aetolo postquam ipse trucidavit Diorem Epeiorum ducem, quorum utrumque fonti nostro de expeditione Boeotorum cett. censuimus vindicandum esse, Acamantem autem interfici ab Aiace Telamonio. Cicones, qui inveniuntur tantum in Catalogo (B 846) et P 73, hoc loco ducit Mentes, in Catalogo Euphemus, quem igitur Catalogi Troiani auctorem nisi eum invenit in carmine ante Homerum condito, ipsum excogitasse necesse est. Sed hoc minus veri simile, nam cur non utebatur nomine Mente, quod praesto erat e loco P 73? Neque aliter se habet Halizonum causa, quibus in Catalogo (B 856) praesunt Odius et Epistrophus e quibus Odius solus recurrit, nam interficitur (E 38 sqq.) ab Agamemnone. Videamus nunc de Pelasgis, Maeonibus, Mysis, Phrygibus Ascaniis. Hector copias in acie versantes hortaturus adit decem principes quorum mera ibi nomina eduntur (P 216 sqq.), Mesthlen, Glaucum, Medontem, Thersilochum, Asteropaeum, Disenorem, Hippothoum, Phorcyn, Chromium, Ennomum, quos tamen, etiamsi discedis a ceteris Iliadis locis ubi inveniuntur, ex ipsis Hectoris verbis intellegis omnes in sociorum numero esse, sic enim infit: „audite frequentissimae gentes sociorum circa habitantum", quaeque deinde profert, tantummodo ad socios pertinent. Glaucum Lyciorum, Asteropaeum Paeonum ducem in vetustioribus carminibus iam celebratos esse supra monuimus, de iis igitur non opus est verbum addere; Thersilochus inter Paeones est quos Achilles in Μάχῃ παραποταμίᾳ occidit (Φ 209), cuius sitne iam facta mentio in antiquo fonte in quo Asteropaei, non quaero nam nullius momenti est. Una cum Thersilocho interficitur e Paeonibus Mydon quidam („Θερσίλοχόν τε Μύδωνα") nostro autem loco quoque cum Thersilocho coniungitur Medon („Μέδοντά τε Θερσίλοχόν τε"), qua propter

suspicio in promtu est — neuter enim alio loco invenitur — diversitatem nominum deberi incuriae poetarum vel librariorum. Hippothous est dux Pelasgorum. Eum interemit Aiax Telamonius (P 287) in defendendo Patrocli corpore; alter dux Pelasgorum Pylaeus appellatur in solo Catalogo (B 840 sqq.). Praeterea Pelasgi inveniuntur in Δολωνείᾳ (K 429). Mesthles in Catalogo (B 864) est dux Maeonum una cum Antipho, qui nonnisi ibi offenditur. Sed Maeones praeterquam quod extant in Δολωνείᾳ (K 430), cum duce Phaesto memorantur E 44. Phaestum depromptum esse ex antiquo carmine, at in eo non fuisse Maeonem, sed Cretensem, eius enim nomine reddi urbem Cretensium Phaestum, ipsumque interfici ab Idomeneo Cretensi, vidit Bethe [1]); itaque tum demum cum in Iliadem reciperetur a Cretensi Maeon est factus. Chromius sive potius Chromis, quam discrepantiam non moramur, et Ennomus in Catalogo sunt duces Mysorum (B 858), qui praeterea non inveniuntur nisi in Δολωνείᾳ (K 430) et Ξ 512, ubi eorum princeps Hyrtius necatur ab Aiace Telamonio. Phorcys in Catalogo (B 862 sqq.) una cum Ascanio dux Phrygum Ascaniorum est, e quibus Phorcys — si idem est nam natio non additur — obtruncatur ab Aiace Telamonio (P 312 sqq.). Sed alio loco (N 792) Phrygibus praesunt Ascanius, Palmys (quod nomen sponte suspiceris errore aliquo irrepsisse pro „Phorcys'') Hippotion, Morys, e quibus Hippotion et Morys (Ξ 514) occiduntur a Merione. Tum Phryges extant in Δολωνείᾳ (K 431). Postremo Disenor nusquam apud Homerum occurrit nisi nostro loco. Nunc sic ratiocinandum videtur. Rem si per se spectas, satis credibile est auctorem loci nostri decem enumerantem principes, quos universe significaret sociorum Troianorum principes esse, nonnullos horum petivisse sive ex antiquis fontibus sive ex Iliade ipsa, alios ipsum excogitavisse, hos autem quarumnam nationum principes vellet esse ipsum se non interrogavisse, neque enim de ea re cogitasse omnino, sed eos sive omnes a Catalogi Troiani auctore, sive nonnullas ab aliorum Iliadis locorum nostro loco recentiorum, singulis nationibus distributos esse, sive nationum nomina quas scirent habitare in Asia vel Europa ipsi temere arripuissent, sive id primum factum

1) Hom. u. d. Heldens. p. 13.

esset a Δολωνείας auctore et ex hac ea repetivissent. Verum si Pelasgi et Maeones e nullo antiquo carmine sunt derivata eorum duces Pylaeum et Antiphum auctor Catalogi Troiani excogitavit, id autem supra arbitrabamur minus veri simile esse eum nomina ducum aliqua sine ulla necessitate addidisse eis quae Ilias ei offerret. Accedit quod Hippothoum alterum Pelasgorum ducem et Phorcyn, qui in Catalogo Phrygum dux est, caedit Aiax Telamonius idque in defendendo Patrocli corpore, quo loco Hector interficit Schedium Phocensem, quos omnes in superioribus fonte nostro attribuendos esse censuimus, qua propter totius ἐπεισοδίου (P 288—318) materiem fere dicas e carmine aliquo κύκλου nostri depromptam esse. Omnia si computantur, quae attulimus suspicio nascitur, nam confirmare nihil licet, Thraces cum ducibus Acamante et Piroo, Cicones, Halizones, Pelasgos [1]), Maeones, Mysos, Phryges Ascanios, cum ducibus, quorum nomina nobis tradidit Ilias [2]), in illo iam carminum κύκλῳ quibus celebraretur Boeotorum Locrensium cett. expeditio ad Hellespontum emissa, commemoratos esse. Unde minime sequi ut, quemadmodum ipsius eius expeditionis, sic quoque sociorum urbis expugnatae, ducumque eorum nominum vera aliqua extiterit

---

1) Ed. Meyer v. cl. (Forsch. z. Alt. Gesch. I p. 34 sqq.) cum in Catalogo et quo loco Hippothoi exitus narratur (P 288 sqq.) Pelasgorum sedes appelletur Λαρίση ἐριβῶλαξ, nullam censet respici e tribus urbibus Larisis nomine quae ab antiquis traduntur in Asia sitae, quippe quae omnes collocatae fuerint in regionibus parum fertilibus, sed Pelasgos *Thessalicos* propterea apud Homerum inter Troianorum socios esse receptos, quoniam Hellenes Thessalici, qui in Catalogo sub Achillis dicione esse dicuntur, iis hostiles essent. Quae si vera sunt concedendum est vix in antiquis carminibus quae neque Achillem neque Hellenes haberent, Pelasgos inter Troianorum socios enumeratos esse, cum praesertim regionem habitarent a Troianis remotissimam. Sed quamvis ea quae attulit v. cl. satis speciosa sint, non habent tamen eam vim ut nos a sententia nostra avertant. Minime enim contendimus urbis Larisae, nedum Λαρίσης ἐριβώλακος in nostris carminibus mentionem esse factam; sed cum Larisa Thessalica Homeri aetate urbs esset nobilissima, fieri potuit ut cum Ilias conderetur Pelasgis, ex antiquo fonte inter Troianorum socios receptis, ea urbs adscripta sit. Quid, si primus Catalogi Troiani auctor eam urbem in Iliadem induxerit et vss. P 301—303 manu recentiore inserti sint? Ab altera parte Pelasgos, quos minime constat Graeca fuisse origine, non tantum in Thessalia sed etiam in Troade vel in eius regionis vicinia habitasse quid vetat credere?

2) Nisi forte Morys et Hippotio qui occiduntur a Cretensi Merione Ξ 514 et nusquam nisi eo loco et N 792 in Iliade comparent, ab initio Cretenses fuerint, quemadmodum vidimus de Phaesto, e carminibus Cretensibus petiti.

memoria supra iam monuimus, nam perquam credibile est, cantores ultro collegisse nomina populorum in urbis eius vicinia vel etiam remotius habitantium, ne propterea maiorum suorum laus imminueretur, quod bellavissent cum hostibus suae multitudini imparibus. Nomina ducum excogitare nihil negotii erat et revera excogitasse ea cantores Graecos inde efficias quod tantum non omnia origine Graeca sunt.

Pauca verba addam de Asio Hyrtaci filio deque Merope Percosio cum filiis Adresto et Amphio, quippe de quibus in Iliade inconcinna referantur. Asium supra vidimus numerari M 96 inter duces Troianos qui a sociis distinguantur, Meropis autem urbes ubi in Catalogo recensentur (B 828—839), quae sint nomina vel populi qui eas habitet, vel regionis in qua sitae sint non editur. Sed haec non quadrant quod inter urbes, quibus Asius imperat, etiam est *Percote*, Merops autem *Percosius* cum filius non Percotae, sed in aliis urbibus dominatur. Asium qui in Τειχομαχίᾳ aliquas partes agit (M 96, 108 sqq., 139) et in pugna apud naves ab Idomeno occiditur (N 348) [1]) nulla est causa cur credamus e vetustiore fonte petitum esse, nam locus ubi eius mors narratur, qui non recentior esse potest quam Τειχομαχία, ibi enim tangitur (M 113 sqq.), est pars Ἰδομενῆοσ ἀριστείασ quam supra suspicati sumus non ante inventam esse, quam componeretur pugna apud naves Homerica. Neque Adrestus et Amphius ad antiqua carmina referenda esse videntur, nam haud dubie quidem eorum nomina poëta arripuit e carminibus de bello Thebano quae cognita haberet [2]), sed manifesto nihil nisi nomina [3]). Quod in Catalogo Percote oriundi tamen non ibi sed in aliis urbibus dominantur, sic explicare licet, alium fuisse qui Asium, alium qui eos Catalogo inseruerit, hunc autem cum Percoten ibi iam inveniret inter Asii urbes, eam omisisse ex illorum. Sed eos in Catalogum transsumsit ex Λ 328, qui locus non repugnat iis, quae in Catalogo de Asio

---

1) Una cum Asio nostro bis mentio fit (M 140 N 771) Adamantis cuiusdam Asii filii, qui a Merione interficitur (N 560), sed utrum is Adamas Asii nostri filius sit necne non apparet. Alius Hectoris avunculus commemoratur Π 715 sqq.

2) Amphium idem nomen esse atque Amphiaraum ostendit Usener (der Stoff des Gr. Ep. Sitz. Ber. d. Wien. Akad. 1897 p. 37).

3) Alter Adrestes ab Agamemnone trucidatur (Z 37 sqq.), tertius a Patroclo (Π 694).

traduntur, nam dum illo loco uterque Meropis filius a Diomede obtruncari narratur [1]), patria Percote additur quidem, non vero additur Meropem cum filiis ei urbi *imperare*, nullo modo igitur hic locus prohibebat Percoten Asii imperio adiudicare. Ceterum, cum in Catalogo inter eorum urbes etiam Apaesus numeretur, alio loco E 612 Amphius *Selagi* filius Apaesi habitare dicitur. Hic cum a Telamonio perimatur, fieri potest ut e fonte nostro haustus sit; utique nihil vetat credere eum qui Adrestum et Amphium in Catalogum adhiberet, propterea eis inter alias urbes Apaesum tribuisse, quod memoria teneret Apaesum Amphii cuiusdam sedem esse, oblitus huius Amphii patrem esse Selagum non Meropem.

b. *Quibus carminibus Ilias doceat Achillem, alios Thessalorum heroes ante Homeri aetatem celebratos esse.*

Commemorans Nestor (γ 102 sqq.) labores et pericula quae exhausissent Graeci in bello adversus Troianos, incidit in memoriam expeditionum quas praedandi causa mari suscepissent Achillis ductu. Rogas cur Achillis, non Agamemnonis; reputanti vero, id quod in Iliade narratur, insulas Lesbum (I 129—132, 271—279) et Tenedum (Λ 625) ab Achille captas, urbes Thebam (A 366, B 691, Z 397, 416, X 479), Lyrnessum (B 691, T 60, Υ 92), Pedasum (B 691, Υ 92), Scyrum (I 688) ab eo eversas, id quod in Cypriis traditur, victum ab eo Telephum Teuthraniae regem (Proclus Et. Gud. fr. 18, 19) occisum Cycnum qui Colonis vel Tenedi imperaret (l.l. Paus. X 142, Diod. V 38, Schol. A 38, Tzetz. Lyc. 232, 233), id quod Aristobulus testatur, Trambelum regem Lelegum ab eo necatum (Athen. 2. 43[d], Schol. ad Lycophr. 427), quarum omnium rerum nemo e ceteris Graecorum principibus particeps fingitur, vix cuiquam dubium esse potest quin olim fuerint carmina quibus is solus proponeretur dux classis Graecorum mare Aegaeum traductae. Quo eodem tendit quod Achilles ipse gloriatur (I 328 sqq.) navibus se duodecim

---

1) Nomina propria filiorum ibi excidisse vidit vWilamowitz-Moellendorf (Isyllos p. 52 A 20), qui idem monuit nomen Meropis deberi memoriae bellorum, quae cum Meropibus gessissent Graeci in insula Coo occupanda.

urbes cepisse, copiis pedestribus expugnasse undecim. Tamen ingentem hunc locorum numerum potius credas temere editum ipso consilio rem in maius augendi quam e fontibus petitum. Neque omnia quidem quae supra attuli, ad carmina de quibus agimus pertinere videntur. Nam infra ostendere conabor neque urbis Thebae in iis mentionem esse factam neque Trambeli regis, quem in urbis Mileti vicinia interfectum ab Achille legimus. Sed quoniam his exceptis cuncta loca ad quae referri vidimus incursiones Achillis ductu factas, postea universo nomine Aeolis vocata a Graecis habitata sunt, apparet carmina quibus illae agerentur condita esse a poetis qui, e colonis in eam regionem deductis oriundi, maiorum res gestas in ea occupanda in laudem converterint daemonis ab his culti — nam inter daemones quin Achilles initio fuerit vix quisquam hodie dubitat — deinde in hominem conversi. Belli autem adversus urbem Troiam, quod in superioribus vidimus ab initio cantatum esse nulla Achillis ratione habita, in illorum carminibus manifesto mentio non est facta.

Iam vero non meram recensionem sive locorum sive regum huc pertinentium — Lyrnessi Mynes (B 692, T 296) et Epistrophus (B 692) Eueni filii (B 692), Pedasi Altes (Φ 86, X 51), Scyri Enyeus (I 668) regnasse leguntur [1]) — verum etiam nonnulla quae pertinerent ad pugnas et praedationes, quas una cum his proponi consentaneum erat, nobis servavit Ilias. Sed huc referendum esse, id quod narratur Λ 625, in Tenedo occupanda Achillem potitum esse Hecamede Arsinoi filia, in Lesbo oppugnanda, quod legitur I 665, Diomede Phorbante nata, in Scyro capienda, quod invenimus I 668, Enyei filia Iphitide,

1) B 690 sqq. legimus: *τὴν (Βρισηίδα) ἐκ Λυρνησσοῖ' ἐξείλετο (Ἀχιλλεὺσ) πολλὰ μογήσασ, Λύρνησσον διαπορθήσασ καὶ τείχεα Θήβησ, καδ δὲ Μύνητ' ἔβαλεν καὶ Ἐπίστροφον ἐγχεσιμώρουσ, υἱέασ Εὐηνοῖο Σεληπιάδαο ϝάνακτοσ*, T 296 *πέρσεν δὲ πόλιν θείοιο Μύνητοσ*. Quid autem vWilamowitz v. cl. (Hom. Unters. p. 410)? „Man kann sich, wenn man T mit B combinirt nur Mynes als König von Lyrnessos, Epistrophos als König von Theben denken.” Miror virum clarissimum in hanc cogitationem incidisse. Nam oculos ferit verba *Λύρνησσον διαπορθήσασ καὶ τείχεα Θήβησ* in parenthesi stare et sic iungendum esse *Λύρνησσον ἐξείλετο πολλὰ μογήσασ καδ δὲ Μύνητ' ἔβαλεν καὶ Ἐπίστροφον ἐγχεσιμώρουσ*. Quo accedit quod Mynes et Epistrophus fratres esse dicuntur, Thebae autem regnasse Eetionem docet Z 395 sqq. Praeterea minime incredibile videtur vs B 691 insiticium esse.

minus verisimile puto; malim credere eorum locorum auctores patrum nominibus e fontibus suis arreptis filias addidisse de suo. Neque alio modo septem eae mulieres quas I 129 Agamemnon monet se e praeda excepisse insula Lesbo ab Achille capta, videntur deberi ingenio huius loci auctoris.

De his vero mulieribus *ἀνωνύμοισ* aliter sentit Tuempel v. d. qui ingenti doctrina pervincere conatus est [1]) eas habendas esse pro heroïnis *ἐπωνύμοισ* septem urbium insulae Lesbi, neque dubitat quin in fonte unde poeta hauserit, qui fons ab eo nuncupatur „Achilleusmythos" nominatim laudatae sint. Mitto quod ab antiqua poësi epica alienum videtur urbibus tribuere heroïnas *ἐπωνύμουσ*, quod potius cadit cum in carmina epica *γενεαλογικὰ* quae dicuntur, qualia saeculum VII a Chr. n. genuit, tum in historicos antiquos quos aequales *λογογράφουσ* vocabant. Sed Tuempelii argumentationem nego recte se habere. Nam quia Agamemnon, septem illis Achilli oblatis, addit (I 131 sq.): *μετὰ δ' ἔσσεται ἣν ποτ' ἀπέϝραν, κούρη Βρισῆοσ*, Tuempel perhibet sequi ut poëta voluerit Briseïdem unam ex iis esse, atque hoc eo confirmari quod Aiax Achillem alloquitur (I 638) „*νῦν δέ τοι ἑπτὰ παρίσχομεν ἔξοχ' ἀρίστασ*", quem, nisi Briseïs una ex septem fuisset dicere debuisse „*ὀκτώ κ.τ.λ.*"; itaque locum T 246 ubi legimus *ἐκ δ' ἄγον αἶψα γυναῖκασ ἀμύμονα ϝέργα ϝιδυίασ ἕπτ' ἄταρ ὀγδοάτην Βρισηίδα καλλιπάρηον*, locosque B 690, T 59 sqq. ubi Briseïs ex urbe Lyrnesso capta traditur, recentioris esse originis, porro quoniam in insula Lesbo extitit promontorium *Βρίσιον* et oppidum *Βρῆσαν* [2]), sequi ut Briseïs fuerit heroïna *ἐπώνυμοσ* oppidi huius. Sed haec omnia pro nihilo habenda sunt. Nam totidem verbis Agamemnon dicit (I 128 sqq.) se septem illas mulieres e praeda Lesbia sibi excepisse, Briseïdem scilicet non sibi exceperat quam Achilli *'δόσαν υἷες 'Αχαιῶν* (A 162, 392) [3]). An quisquam credit eam summo duci ademisse

---

1) Philolog. 1889. 48 pg. 99 sqq. 1890. 49 p. 89 sqq.

2) Cf. vWilam. l.l. p. 409 sqq.

3) Ea quae affert Tuempel ut locum sibi molestum expediat non video quid sibi velint. Sic enim vir doctus: „*δώσω ἑπτὰ Λεσβίδασ*", inquit, „zuerst ganz unbestimmt, wohl weil aus einer grösseren Anzahl im *γέρασ* Agamemnons ausgewählt, dann erst bestimmt, *τὰσ μέν οἱ δώσω* zusammengefasst als Sühngeschenk an Achilleus; ‚eine unter ihnen soll die dem Achilleus besonders werthvolle Briseis sein'."

milites ut Achilli darent? Quod autem negligentius poëta hanc ab Agamemnone „inter illas" cum velit „simul cum illis" Achilli ait traditum iri non est cur moremur[1]); Aiax autem quod eam non commemorat (I 638), quid mirum? Ulixes iam nuntiaverat eam redditurum Agamemnonem, Aiacis intererat intellegi magnifice regem agere ideoque monuit septem mulieres dono dari. Inde vero quod Lesbi promontorio nomen Brisio, oppido nomen Bresae fuit, neutiquam sequitur ut huius oppidi Briseïs fuerit heroïna *ἐπώνυμοσ*. Nam nihil vetat credere Briseïdem ab initio fuisse numen quod èt in promontorio Brisio eiusque vicinia èt aliis locis coleretur[2]). Ut in Schol. ad Theocr. 13. 6 commemorantur nymphae Brisae dictae insulam Ceum incolentes. Hoc tantum sequitur Briseïdis personam non ab Homero inventam esse, cumque Lyrnessi captam esse dicat neque ulla iam causa sit cur huius urbis expugnationem, aliter quam Lesbi vel Tenedi, pro recentiore habeamus invento, apparet in antiquo fonte illam in mortalem conversam Lyrnessi civem esse habitam[3]). Porro Tuempel etiam Chryseïdem censet in septem Lesbiarum fuisse numero, miro modo negans ex Achillis dictis ad matrem (A 365 sq.) necesse sequi ut Homerus Thebae eam captam velit. Tamen constat Homerum noluisse captam ex urbe quam Achilles expugnasset, nam pater Chryses Apollinis auxilium implorans inter alia deum alloquitur *ὃσ Χρύσην ἀμφιβέβηκασ* (A 37). An senex narratur deum dixisse praesidem urbis modo ab hoste expugnatae? *Οὐχ οὕτω μαίνεται ὁ ποιητήσ*. Accedit quod Ulixem non legimus (A 390, 431) patris domum, cui cum

---

1) Fere eodem modo poëta de veste pretiosa agens (Z 295) sic loquitur „*ἔκειτο δὲ νείατοσ ἄλλων*" pro „*πάντων*" et regis Rhesi morte narrata (K 560) Ulixen inducit primum sic loquentem *παρ᾽ δ᾽ ἑτάρουσ δύο καὶ δέκα πάντασ* (*ἔκτανε Διομήδησ*)" deinde sic pergentem „*τὸν τρὶσ καὶ δέκατον σκόπον εἵλομεν ἔγγυθι νηῶν*", pro „*τέσσαρεσ καὶ δέκατον*". Etiam neglegentius Antinoum Penelopae fallaciam exprobrantem facit primum sic (β 89 sq.) *ἤδη γὰρ τρίτον ἐστὶ ϝέτοσ τάχα δ᾽ εἶσι τέταρτον, ἐξ οὗ ἀτέμβει θυμὸν ἐνὶ στήθεσσιν Ἀχαιῶν*" mox autem sic (β 106) *ὣσ τρίϝετεσ μὲν ἔληθε δόλῳ καὶ ἔπειθεν Ἀχαίουσ· ἀλλ᾽ ὅτε τέτρατον ἦλθε ϝέτοσ καὶ ἐπήλυθον ὧραι, καὶ τότε δή τισ ἔϝειπε γυναικῶν.*"

2) Cf. Bacchus Bresagenes vWil. Moell. l.l.

3) In Cypriis legimus (Schol. Vict. Il. Π 57) ea potitum esse Achillem in expugnanda Pedaso, neque mirum in diversis carminibus quae essent de Achillis expeditione diversa ratione singula esse tradita.

urbem devastaret pepercisse Achilles potuit, sed εἰς Χρύσην reducere virginem, Calchasque monuerat (A 100) εἰς Χρύσην hecatombe mitteretur [1]. Inter urbes complures quibus Chrysae nomen fuisse traditur, una aliqua in insula Lesbo sita erat; hanc Tuempel opinatur Homerum respicere, de qua re non iudico. Sed et Chrysen sacerdotem èt eius filiam Homeri ingenio deberi puto, urbemque Chrysen eum non sibi proposuisse hostilem Graecis; quin virginem Thebae in Troianorum urbe peregrinari voluerit cum haec a Graecis caperetur, dubitare non licet [2]; sic iniuria patri ab Agamemnone illata gravior fiebat et Apollinis ira iustior. Ceterum quae e scriptoribus recentioribus affert Tuempel ad demonstrandum inter urbes Lesbias nonnullis fuisse heroïnas ἐπωνύμους, quaeque disserit de septem Musis Lesbiis [3]), deque virginibus Lesbiis inter stellas receptis aut ad Homerum non pertinent, aut, si qua pertinent, e solo loco I 129 derivata sunt nec quicquam valent ad locos Homericos explicandos.

Etiam Idum et Antiphum, quos in Idae montis convallibus apud greges deprehensos Achillem pretio dimisisse legimus (Λ 104 sqq.) nescio an Ἀγαμέμνονος ἀριστείας auctor, cum ex antiquo carmine cognovisset Achillem petentem urbes Pedasum ac Lyrnessum, in ea regione bellavisse, ultro excogitaverit; utique rege Troiano eos natos esse, id quod in Iliade traditur, ex illo fonte non didicit. Sed aliter res se habet de Lycaone quem in flumine Xantho obtruncat Achilles Φ 34 sqq. Hic frustra victoris misericordiam invocans inter alia memorat se natum esse matre Laothoë filia Altae Pedasiorum regis, patre vero Priamo, et paulo ante ab Achille e patris fundo abreptum

---

1) Perperam vWil. Moell. l.l. p. 411: „Man hat keine Veranlassung dem Dichter von A die Erbeutung bei einer andern gelegenheit als dem Falle von Chryse zu schreiben." Recte vLeeuwen Mnem. 1910 p. 384 „Chrysen urbem non captam esse ab Achivis aperte dicit Homerus A 37, 390, 431."

2) Recte hoc perspecto temere recentiores causam confinxerunt cf. Schol. A ad A 18: εἰς Θήβας ἤκουσα ἡ Χρησηὶς πρὸς Ἰφινόην τὴν Ἠετίωνος ἑάλω ὑπ' Ἀχιλλέως.

3) Lesbos apud Homerum dicitur „Macaris sedes" (Ω 544) cuius regis nemo negabit fieri posse ut mentio sit facta in carminibus de quibus hic agimus. Verum quod Myrsilus narravit (apud Clem. Alex. Prot. p. 9. 24, Car. Muell. F.H.G. IV 457 Macarem pecunia sua Musas emisse, ecquis inde efficiet insulsam eam narratiunculam Homero cognitam fuisse?

Lemnum venditum, triplici pretio redemtum, ante duodecimum diem quam illi rursus occurreret patris domum redisse. Ex eius verbis (vs. 80) „νῦν δ' ἐλύμην τρὶς τόσσα πορών" efficias eum sua vel suorum pecunia a suis solutum esse, sed paucis versibus ante poëta eandem rem narrans sic loquitur (vs. 42) „κεῖθεν δὲ" (i. e. ex insula Lemno) „ξεῖνος μιν ἐλύσατο, πολλὰ δ' ἔδωκε Ἴμβριος Ἠετίων." Haec quamvis non optime concinant tamen discrepantia non eiusmodi est ut ferri nequeat. Sed alia accedunt. Nam regis Troianorum filio potitus supersedere poterat Achilles labore eum mittendi Lemnum ut ibi eum venderet, quippe quem probe scire posset patrem haud gravate tanti quanti ipse vellet redemturum. Sed optime illud convenit si Lycaon captivus esset factus urbe patria deleta, nullis cognatis superstitibus qui pro eo pretium solverent, cumque nepos dicatur Altae Pedasi regis et revera Pedasum ab Achille devastatam legamus Υ 92, sponte inducimur ut credamus Μάχης παραποταμίας auctorem ex antiquo carmine quo Pedasi ageretur expugnatio Lycaonem arcessivisse ut eius casibus pugnae imaginem ornaret patre Priamo ei addito. Utrum fratrem quoque Polydorum, quem ab Achille in eadem pugna occisum legimus (Υ 407 sqq., Φ 89 sqq.), ex eo fonte repetiverit noster an ex nihilo finxerit, mitto, quamquam hoc verisimilius videtur. Sed illud notandum puto urbem Pedasum sitam dici (Φ 87) ad flumen Satniuntem. Nam Ξ 442 sqq. Aiax Oileï filius narratur vulnerare Satnium quemdam Enopis filium quem Naiadum aliqua in lucem edidisset prope Satniuntis ripam. At vero Σάτνιος et Σατνιόεις manifesto eiusdem nominis formae diversae sunt, neque ullo modo fieri potest ut Σάτνιος derivatum sit a Σατνιόεις. Itaque nomen ipsum bellatoris vulnerati prodit haec hausta esse e carmine quod ipsius amnis cum heroë Graeco certamen referret, quo etiam tendit Satnii matris origo e Naiadum genere. Illo autem carmine non Aiacem cui apud Satniuntem nihil negotii esset, sed Achillem laudari qui urbem adiacentem cepisset consentaneum erat. Videtur ergo Aiax pro Achille substitutus esse postquam clades ab Achille flumini illata a Satniunte in Xanthum translata est, sive hoc est factum iam ante Homerum sive ab auctore Μάχης παραποταμίας. Ceterum Pedasi in urbe prope ripas Satniuntis etiam Elatus quem Agamemnon interficit

habitasse narratur (Z 33 sq.). Nec tamen est cur inde efficias Elatum ex antiquo carmine receptum; satius enim erit sumere auctorem libri Z èt eius personam finxisse èt, ut patriam daret, notae urbis arripuisse nomen. Tum idem nomen Pedasus datur militi Troiano quem cum fratre Aesepo trucidat Euryalus Mecistei filius (Z 21 sqq.). Fratris nomen refert flumen Aesepum, et rursus mater Abarbarea nomine est e numero Naiadum (Z 22). Itaque hic quoque pro fundamento fuit certamen heroïs Graeci cum flumine barbaro, idque rursus coniunctum cum interitu urbis Pedasi, quippe cuius urbs Pedasus noster manifesto heros eponymus sit. Sed Aesepus ex Ida oritur ab oriente, Pedasum autem urbem ab occidente sub Idae radicibus sitam, praeterfluit, id quod supra vidimus, Satnius. Vix igitur potes quin suspiceris nostri loci auctori ob animum versatum esse Pedasum captam et Satniuntem victum ab Achille, sed pro hoc substituisse Euryalum, pro Satniunte Aesepum. Praeterea Pedasus audit Achillis equus funalis, qui equos immortales Xanthum et Balium currui iunctos comitatur (Π 152, 467). Illius equi nomini quoquo modo est explicandum — an ab eodem radice atque verbum πηδάω? — ab origine vix quidquam commune erat cum urbe Pedaso. Sed cum Πατροκλείας auctor narret ex Eetionis urbe Achillem eo potitum, fieri potest ut ὁμωνυμία induxerit eum qui primus Pedasi expugnationem cecinit ut inde absportatum narraret, deinde vero ille sive ob metri rationes sive mera incuria pro Altae urbe, Pedasum dico, substituerit Eetionis urbem i. e. Thebam. Porro hic paucis agendum est de Iphitione Othryntei filio, ipso quoque matre Naiade nato. Hunc Achilles peremit in flumine Xantho (Υ 381 sqq.), origo autem divina, vox πτολίπορθος patri adhibita (vs. 384), fundus regius prope lacum Gygaeum quo hic praeditus dicitur (vs. 390), tum quod ipse compellatur πάντων ἐκπαγλότατ' ἀνδρῶν si cuncta spectas, arguunt Iphitionem non confictum eese a poëta, qui nonnisi duodecim versus consumit in eius congressu cum Achille exituque depingendo, sed personam aliquam respici iam vetustioribus carminibus insignitam. Et quia mater eum sub Tmolo Lydiae monte peperisse narratur, Lydia autem finitima est Teuthraniae cuius regem Telephum supra monuimus in Cypriis ab Achille victum tradi, non absurde existimabis ipsius quoque cladem

in carminum de quibus nunc agimus argumenti parte fuisse [1]).

Postremo in his carminibus quas partes Aeneas egerit indagandum est. Hunc legimus (Υ 83 sqq., 188 sqq.) armenta pascentem in monte Ida ab Achille deprehensum Lyrnessum fugisse, ea autem urbe paulo post ab Achille capta, a Iove e periculo vitae ereptum esse, quod referendum esse ad carmen quo celebrata sit Lyrnessi expugnatio èt per se veri simile est èt in ea re praecipuam vim habet Iovis auxilium Aeneae latum. Nam quod Thetidis rogatu rectorem Olympi Homerus fingit paulisper Troianos iuvasse, acute vidit vLeeuwen [2]) poetam id excogitavisse ne absonum videretur, id quod in fontibus suis invenisset, deum Idaeum, quem initio ab Olympio diversum, antiqui iam cantores huic assimilassent, Troianis favere. At mons Ida cum ab urbe Troia satis longe remotus in antiquissimis de bello Troiano carminibus ullius momenti fuisse minime veri simile sit, tum denique huius montis praeses Troianorum tutela habitus esse videtur cum, Achille in bellum Troianum recepto, urbes Ideae Pedasus et Lyrnessus ab eo deletae sub Troianorum dicione et ipse mons cum regione adiacenti in eorum finibus situs esse crederetur. At manifesto Iuppiter Aeneae ex urbe Lyrnesso fugienti non propter Thetidis preces subvenit sed quia fuit deus Idaeus, Iovisque igitur auxilium neque ab Homero excogitatum est, neque ab antiquissimis belli Troiani cantoribus qui ne Achillis quidem rationem haberent, sed facillime intelligitur si sumitur haustum e carminibus de quibus nunc agimus. Tamen etiam alter fons extitisse videtur unde Aeneas in Iliadem receptus sit, carmina volo in Peloponneso condita e quorum materie ea fere derivata sunt, quae in libro E de illo narrantur; sed in eis neque Achilles ullas partes egit, neque, quod per se perspicuum, Iuppiter Idaeus. Ceterum in nostro fonte Aeneas rex Dardanorum fuisse videtur. Nusquam in Iliade sic appellatur nisi Catalogi loco B 819 sqq., huius vero loci auctorem e nostro hausisse fonte ostendere conabor. Ubi Aeneas Lyrnessum con-

---

1) Iphitionem per imprudentiam neglexi in superioribus cum scribebam (p. 38) Maeones i. e. Lydiae incolas in Iliade appellari tantummodo B 840 sqq., E 44, K 429, P 216. Itaque necesse est etiam Mesthlen et Antiphon fonti de quo hic agimus tribuere, aut duos diversos fontes admittere.

2) Mnem. 1906 p. 295 sqq., 1910 p. 387, 392 sqq., 1911 p. 425.

fugisse narratur hanc urbem Leleges habitasse dicuntur, quod in promptu est eidem fonti deberi atque fugam. Sed non additur hanc urbem illius fuisse sedem, contra legitur id quod supra iam monuimus, ibi imperasse Mynetem (B 692 Τ 296). Atque in ἐπεισοδίῳ, quod est de Aeneae cum Achille certamine (Υ 75—352), Aeneas èt cum Hectore collocutus fugae illius mentionem facit et paulo post, antequam proelium init, γενεαλογῶν memorat auctorem generis sui Dardanum etiamnunc in monte Ida residentem urbem Dardaniam condidisse in planitie adiacenti; cumque Catalogi auctor l.l. Aeneam a matre in Idae convallibus partum tradat, nusquam autem in Iliade praeterea neque de hac Dardani patria neque de loco quo Aeneas natus sit mentio fiat, in promtu est haec eidem fonti deberi, fontem autem hunc Aeneam Dardaniae regnantem habuisse. Neque tamen Aeneae stemmatis auctor e nostro solo fonte hausit. Nam non obscure indicat Dardanos et Troianos revera eosdem esse, quod ad fontem nostrum non quadrat, utpote qui Troianos omnino cognitos non habeat. Quid igitur? Dardano unum modo nepotem tribuit eumque Troëm, unde non potes quin colligas eum ab hoc velle Dardanis nomen Troianis obvenisse, non vero velle Troianos esse partem Dardanorum, nam si hoc vellet Dardano plures nepotes dedisset, quorum Tros unus esset. Itaque Troëm non Priami tantum, sed Anchisae quoque Aeneae patris abavum habet, sic significans eum Troianum esse, quo accedit, quod per totum ἐπεισόδιον nostrum nusquam totidem verbis populus Dardanorum appellatur, sed Neptunus inter pugnam Aeneae cum Achille ceteros deos qui proelio adessent allocutus, portendisse traditur Aeneam Priami stirpe deleta Troianis imperaturum. Atqui facillime stemmatis auctor Troem eiusque quem memorat filium, Ilum, derivare potuit e carminibus antiquis quibus de bello Troiano ageretur, quemadmodum Erichthonium, quem Troïs patrem habet, ex eisdem carminibus arcessivisse supra suspicati sumus [1]). Dardanos antiquorum cantorum temporibus inter veros Troadis incolas fuisse, satis fidenter statuere licet. Nam non poterant cantores rerum in Troade a Graecis gestarum non suis auribus audire nomina, quaequae fuerunt,

1) p. 23.

populorum ibi habitantium, cumque supra viderimus [1]) vehementer dubitandum esse an inter hos non fuerint Troiani, eo minus causa est cur credamus nomen Dardanorum fuisse *φάντασμα* illorum ingenio debitum. Neque ulla est causa cur censeamus id nomen ab illis ex aliis regionibus in Troadem esse transportatum. Nam verum quidem est Dardanos etiam in Europa offendi, est enim gens Illyrica, Dardanosque Asiaticos ab eadem stirpe oriundos esse atque Illyricos illos propter *ὁμωνυμίαν* ipsam veri simillimum est, quemadmodum Leleges quoque quos iuxta eos in Troade invenimus non levibus argumentis Fick v. cl. ex Illyria eo profectos demonstravit [2]). Sed nullum omnino vestigium extat cognovisse cantores nostros Dardanos et Leleges Illyricos. Revera autem multo recentiore tempore etiam extitit urbs Dardanus non longe a Troia orientem versus sita, cuius mentionem facit Strabo (XIII c. 1. 594), civem autem eius urbis commemorat Xenophon (Hell. III. 1. 10). Tum quod Troiae portae ter apud Homerum vocantur *πύλαι Δαρδάνιαι* (E 789, X 194, 413) forsitan pro documento sit portis arcis semirutae antiquorum cantorum temporibus hoc nomen, indigenarum ore versatum, remansisse [3]). Accedit quod in Catalogo praeter Aeneam Dardanorum principes appellantur Acamas et Archelochus, quos non ex eodem fonte atque illum depromptos esse posse supra demonstravimus [4]), unde sequitur ut duo diversi fontes fuerint de Dardanorum ducibus inter se repugnantes, alter Aeneam ignorans, alter Archelochum et Acamantem, at in ea re congruentes, quod in Troade Dardanos extitisse traderent, hic autem concentus intellegi nequit, nisi ex rei veritate. Ceterum, siquidem constat iam extitisse revera in Troade gentem antiquis poëtis cognitam quae Dardani audiret, quae non tantum in monte Ida sedes suas haberet, sed etiam regionem in qua urbs Troia sita esset, incoleret, incredibile est aut eam gentem siluisse antiquissimos belli Troiani auctores, aut nullos eorum commemorasse principes, cumque nulla sit causa cur

---

1) p. 23.

2) Fick Vorgriech. Ortsnamen p. 107.

3) Quatuor habuisse portas arcem semirutam ostendit Doerpfeld (Troja und Ilion p. 125 sqq.).

4) p. 33.

credamus Archilochum et Acamantem ex alio fonte quam ex horum cantorum carminibus in Iliadem receptos esse, confirmatur id, quod ob alias causas in superioribus suspicati sumus [1]) utrumque deberi fonti huic [2]). Inde autem, quod hi cantores Aeneam ignorabant satis facile explicatur, quod auctor loci N 459 sqq. eum fingit succensentem Priamo, utpote ab hoc neglectum ideoque proelio abstinentem, hoc modo scilicet explicaturus quod desiderabatur in horum carminibus. Neque ab his, quemadmodum a stemmatis auctore Troiani et Dardani pro eisdem habebantur. Nam compluribus Iliadis locis distinguuntur [3]), non ita quidem ut non unum populum efficiant — id quod in snperioribus ostendimus [4]) — sed ita ut unius populi partes diversae sint, quippe cum ille appelletur Τρῶεσ καὶ Δάρδανοι. At vero cum praeter fontes quos adhuc pertractavimus etiam alios fuisse unde in Iliadem recepti sint nulla causa sit cur credamus, discrimen intellegi nequit nisi deberi censeatur antiquissimis de bello Troiano cantoribus. Atque ita ab his distinctum esse ut Troes haberent cives urbis Troianae, Dardanos incolas regionis circumiacentis per se veri simile est. Nam tribus quidem Iliadis locis (B 826, E 211, M 96) de quibus locis in superioribus egimus [5]), res aliter proponitur, sed patet hoc ad fontem eum nihil pertinere. Ab altera parte ea quae in superioribus suspicati sumus de ratione poëtarum qui Troiam et Troianos primi usurpaverint [6]) optime quadrant. Quin etiam stemmatis auctor cui supra monuimus fontem de quo nunc agimus non ignotum fuisse [7]), quamvis Troianos et Dardanos pro eisdem habeat, tamen Aeneam quem in altero fonte suo regem Dardanorum esse invenerat, per transennam negare videtur civem urbis Troiae fuisse, neque enim eius originem ducit ab Ilo urbis Troianae heroë eponymo, verum ab huius fratre. Atque eodem

---

1) p. 33.

2) Hinc, quemadmodum Ilum ita Dardanum quoque cognoverint incertum est, at nihil credere vetat cognovisse. Itaque quod in Ἀγαμέμνονοσ ἀριστεία duobus locis (Λ 160, 372) Ilus Dardani proles dicitur, inde non necesse sequitur ut ἀριστείασ auctor Aeneae stemma cognoverit.

3) Γ 456, Η 414, Θ 154, 172, Λ 285, Ν 150, Ο 425, 486, Ρ 184, Σ 122, 139.

4) p. 24.

5) p. 24 sq.

6) p. 23.

7) p. 49.

tendit, quod Neptunus (Υ 297 sqq.): „cur" inquit „Aeneas immerito affligitur propter mala aliena" — i. e. regis civiumque urbis Troiae — „laborans". Ceterum, contendentes ab antiquissimis belli Troiani cantoribus Dardanos et Troianos pro diversis eiusdem populi partes haberi, nullo modo infitiamur, quod contra èt per se veri simillimum est èt confirmatur eis quae de portis Dardaniis disputavimus [1]), antiquissimo tempore, quod illorum poëtarum aetatem antecederet, quo tempore, volo, arx semiruta quam pro Troia Homerica habemus, integra etiamnunc staret et incoleretur, eius cives partem fuisse populi Dardanorum. Ab altera parte quod permultis Iliadis locis totus populus solo Troianorum nomine significatur [2]), non opus est sumere horum locorum auctores ita egisse quod ex Aeneae stemmate effecissent Troianos et Dardanos eosdem esse, sed potuerunt populi partem praepollentem pro toto usurpare populo.

Aeneas autem, aliter quam Dardanorum populus, a poëtis in Asiam est transportatus, a poëtis rex Dardanorum factus est. Ab initio inter Graecorum daemones eum fuisse produnt ea quae e fonte Peloponnesio hausta in libro E de eo narrantur, neque non origo divina e matre Venere cuius ἐπίκλησιν notissimam Αἰνειάδα ab Aenea seiungi non posse viderunt vv. dd. Quid, si eadem natura divina èt masculine èt feminine enuntiata, altera autem cum Venere coniuncta effecerit ut altera pro eius filio sit habita? Neque tamen poëtae hi, qui celebraverunt Aeneae congressum cum Achille in monte Ida et fugam ex urbe Lyrnesso, eum arcessiverunt e Peloponneso sed e Thessalia Quod cum contendimus minime negligimus daemonem Achillem praeterquam in Thessalia èt in aliis regionibus èt in Peloponneso olim cultum esse, quod luculenter demonstravit Usener [3]). Verum quaecunque Achillis res gestae a poëtis collocantur in eis regionibus quas posteri nomine Aeolidis complexi sunt, manifesto Achilli Thessalico sunt adscribendae nam e Thessalia atque Boeotia eae Graecorum manus profectae sunt quae eas regiones occupaverunt. Sed in Boeotia nullum Achillis vestigium reperitur nisi πεδίον Ἀχίλλειον

---

1) p. 50.

2) Vide supra p. 24.

3) Sitzungsber. Hist. Phil. Classe der k. Ak. d. Wissensch. 1898. Vol. CXXXVII p. 9 sqq., p. 57 sqq.

quod pro documento est ibi daemonis Achillis sacellum fuisse [1]), nihil aliud. Praeterea Boeotia ad nos nihil pertinet cum Aeneae in Boeotia omnino nullum vestigium cernatur. Ab altera parte ut id quoque hic addamus, si qua in Asiae litore praeterquam in Aeolide memorantur Achillis fortia facta, manifesto deneganda haec sunt Achilli Thessalico, quippe cum ad Thessalos non pertineant. Atque propterea in superioribus memorantes pugnam Achillis cum Trambelo quem apud fontem prope Miletum, i. e. in regione quam posteri Ioniam appellabant interemisset, negavimus hanc notitiam haustam esse e carminibus eiusdem κύκλου atque Lesbum, Tenedum, Lyrnessum, Pedasum ab Achille captas [2]). Revera autem ea de Trambelo narratio e nullo carmine epico deprompta, sed recta via e cultu daemonis Achillis orta esse videtur [3]). Iamvero, ut ad Aeneam redeamus, si quis rogat quid sit cur cogamur Aeneam, quem in regionibus Idaeis cum Achille conflixisse vidimus, ex eadem patria atque hunc eo a poëtis transportatum sumere, respondendum est propterea id sumendum quia alia causa non appareat cur Aeneas eo transportatus sit, nisi quod simul cum Achille ideo quod in communi patria iam hostilia egissent transportatus sit. Idque ultro confirmatur eo quod in Cypriis [4]) Achilles Aeneae κακὸς γείτων dicitur, qui eius armamenta rapiat. E nihilo id confingere Homero invito Cypriorum auctor non potuit. Neque spectavisse potest Achillis incursiones in regiones maritimas Asiae; nam cuius γείτων aliquis est in eius vicinia habitat, at Achilles non habitavit in illis regionibus quas cum classe adiret praedaturus. Nam quamquam carminibus quibus eius navigationes agebantur memoria est servata Graecorum occupationis earum regionum, procul dubio tamen hoc non ita se habebat ut Achilles proponeretur aliquam terram expugnavisse ubi domicilium regnumque conderet. Sin autem monet quis fieri posse ut Cypriorum locus non pertineat ad Achillem Thessalicum, sed ad Achillem Peloponnesium, respondemus tamen suo loco manere

---

1) Usener l.l. p. 10.
2) p. 42.
3) Usener l.l. p. 11, Vuertheim de Aiacis origine p. 78 sq.
4) Procl. apud Arist. Poet. c. 16.

id quod ostendere conamur, Aeneam Aeolicum — ut ita dicam — e Thessalia arcessitum esse, permirum vero futurum esse si Cypriorum locus ad omnia alia spectaret quorum ceteroquin nihil notum esset, cum praesertim heroem Achillem praeterquam Thessalicum carminibus epicis celebratum esse nusquam appareat. Statuendum ergo videtur in Thessalia iam Thessalorum carminibus Aeneam e daemone in hominem conversum fictum esse Achilli hostilem, et deinde eosdem poetas qui Achillem in Asiam transferentes cum Dardanis proeliantem facerent, Aeneam quoque eo traduxisse et horum fecisse regem. Postremo hoc notandum. Certamen Achillis et Aeneae quod in Troiae campo commissum ab Homero narratur (Υ 259 sqq.) nihil est cur credamus haustum ex eorundem illorum carminibus; in eis enim quae hinc derivata esse vidimus nullus ei locus esse videtur, sed aut ex antiquis Thessalorum carminibus est derivatum aut e nihilo confictum ab eius auctore; quoquo modo autem hoc se habet insertum esse videtur inprimis ut ansa daretur Aeneae stemma proferendi. Nihilo minus credibile puto auxilium a Neptuno ei allatum petitum esse e fonte Peloponnesio, sed quod deus narratur (Υ 318 sqq.) eum e manibus Achillis detractum per aërem avectum procul deposuisse quo loco Caucones in acie constitissent, nescio an in Caucones inciderit poëta, quod in carminibus quibus de Aeneae fuga ageretur, in Cauconum fines ex fuga eum pervenisse vidisset; nusquam sane nisi nostro loco et Κ 249 in Iliade prodeunt. Omnino Caucones neque non Leleges, qui praeterquam nostro loco et Κ 249 etiam memorantur Φ 86, non aliter ac Dardani et fortasse Pelasgi [1]) et Teucri [2]) antiquorum cantorum temporibus inter veros Troadis incolas censendi videntur extitisse.

In superioribus cum ageremus de simultatibus quae Achilli cum Aenea in ipsa iam Graeca patria intercessisse traderentur, ansamque dedissent hunc simul cum illo in Asiam transportandi, apparuit cogitandum esse de carminibus antiquis Thessalicis quae cognita essent poëtis Achillem ducem fingentibus expedi-

---

1) Supra p. 39 in ann. 1 s. f.
2) Supra p. 26.

tionum in Asiam emissarum, quorum igitur auctores hos aetate superarent. Sic vero alia multa de Achille ex Iliade cognoscuntur, quae dubitari nequeat, quin iam antequam illius celebrarentur in Asia res gestae, in ipsa Thessalia carminibus divulgata sint, multa inquam, quae partim nunquam desierint ad antiquam referri patriam, partim magis minusve mutata novam in Asia scenam invenerint ubi acta esse in posterum crederentur. Inter illa commemoranda sunt parentum Pelei et Thetidis nuptiae, quibus dei adfuerunt (Ω 61 sqq.), quippe qui deam iunxissent homini mortali (Σ 84, Ω 536); equi et arma, deorum dona nuptialia, quae filius ad bellum Troianum secum absportavit (Π 381, 867, Ρ 202, Σ 84, Ω 354) [1]); fraxinus quam Peleo cecidit Chiron, Achilles contra Troianos gerebat (Π 143 sqq., Τ 388 sqq., Υ 277, Φ 162, Χ 133); idem Chiron Achilli artis medicae doctor datus (Λ 382); Achillis capilli devoti flumini Sperchio (Ψ 142); Thetidis taedium mariti mortalis (Σ 431) secessusque in patris Nerei sede marina (Α 358, Σ 36), Achillis filius Neoptolemus in insula Scyro eductus (Τ 326 sqq. cf. Ω 467) [2]); inter haec quae statim vides transformata esse, primum locum obtinent quae tradiderunt cantores de Achillis exitu. Nam in Iliade non tantum legimus (Α 352, 415, Σ 59 sqq., 95 sqq. 440 sqq.) mortem praematuram ei sorte paratam, verum etiam e bello Troiano eum non domum rediturum esse (l.l. l.l.), sed sagittis ab Apolline (Φ 277 sqq.), sive potius a deo simul et homine mortali (Τ 410—417), eoque Paride (Χ 359), oppressum, in Troiae porta Scaea extinctum iri, cum tamen demonstratu non opus sit eius fatum multo ante

---

1) Forsitan eiusdem fabulae forma alia fundamento fuit eis, quae in libro Σ narrantur de armis a Vulcano Thetidis rogatu fabricatis. Absonum enim erat, si rem per se spectas, quo temporis momento laboraretur in Patrocli corpore reducendo et periculum in mora esset, Achillem a matre moneri (Σ 135 sqq.) eiusque monitis obsequi (189) ne in aciem prodiret antequam ei arma a Vulcano attulisset, prorsus autem ineptum erat addere Achillem, nulla aliorum heroum arma sibi convenire nisi scutum Telamonii (vs. 192 sqq.), quasi, credo, scuto viri minoris staturae tegi non potuisset. Sed haec intelleguntur si sumis conficta esse a poeta qui abuti vellet antiqua fabula. Quid? ipsa armorum commutatio, quam Πατροκλείᾳ ab initio defuisse multi suspicati sunt, nonne eodem consilio in Iliadem inserta est?

2) Achillem ne propter virtutem bellicam in mortem praematuram rueret a matre in insula remota muliebri habitu inter regis filias collocatum ex una harum filium procreasse, nihil vetat credere antiquis carminibus traditum, dum ne ab initio bellum Troianum in causa fuisse censeatur.

quam in bellum Troianum induceretur, quo tempore nullaedum eius res gestae extra patriam Graeçam circumferrentur, ab antiquis cantoribus celebratum esse. Neque deest quod probare videatur his auctoribus eum ab Alexandro nondum Paridi assimilato sed inter Thessalorum heroës habito sagitta perfossum esse, sive propterea Paridi est assimilatus Alexander quod Achillis interfecti fama in Paridem traducta est, sive huius famae Paris particeps est factus, quod Alexandro assimilabatur. Plutarcho auctore (Thes. c. 34) Ister Alexandrinus in Atthide retulit nonnullos narrare Ἀλέξανδρον τὸν ἐν Θετταλίᾳ Πάριν, ὑπ' Ἀχιλλέως καὶ Πατρόκλου μάχῃ κρατηθῆναι παρὰ τὸν Σπερχεῖον, Ἕκτορα δὲ τὴν Τροιζήνων πόλιν λαβόντα ἁρπάσαι καὶ τὴν Αἴθραν ἐκεῖ καταληφθεῖσαν [1]). Probe distinguendum quid in hac relatione antiquum et genuinum, quid nugatorium et recens sit. Nam quem praepostera doctrina luderet, cum omnes scirent Sicyonem fuisse sedem Aethrae Thesei matris, apud Homerum autem commemorari (Γ 144) eodem nomine ancillam Helenae, sic secum agere potuit Aethram reginam Sicyoniorum cum Troiae serviret, nonnisi per vim urbe patria deleta a Troianis absportari potuisse, sed eiusmodi facinus a moribus consiliisque Paridis abhorrere [2]), itaque tribuendum esse Hectori cum classe in expeditionem profecto. Sed proelium apud Sperchium inter Achillem et Alexandrum nihil est neque in aliis quantum scimus Graecorum fabulis, neque in fabula Troiana, unde falso nugatoris acumine potuerit colligi, contra nonnulla sunt quae probare videantur id ex antiquis carminibus in memoria hominum resedisse. Verba Ἀλέξανδρον τὸν ἐν Θετταλίᾳ Πάριν, a multis sollicitata, vulgo de coniectura Coraesii v. d. sic leguntur: Ἀλέξανδρον μὲν ἐν Θετταλίᾳ τὸν Πάριν. Verum nihil moliendum est, dummodo recte interpreteris. Nam verba illa valent: „Alexandrum, Paridem Thessalicum" i. e. „Alexandrum quo nomine Paris appellabatur in Thessalia sive ab auctoribus carminum quibus agerentur Thessalica" [3]). Hoc autem quisquis primus

1) mss: καταλειφθεῖσαν, errore manifesto.

2) Paridem enim non armis infestis sed placide iter in Graeciam suscepisse docere videbatur locus Γ 353 sqq.

3) Eodem modo vertit Bethe v. cl. l.l. Quem perstringit O. Crusius (Sitz. Ber. d. K. Bair. Akad. d. Wiss. München 1905 p. 760 sqq.) fastu solito agens; „Bethe's

dixit, cur dixit nisi quod cognitum habuit id ita esse? An dubium est quin Paris et Alexander ab initio diversi fuerint? An raptor Helenae, fax belli Troiani, ab initio audivit „Alexander" i. e. „qui viros defendit"? Adde quod, cum vulgo in Iliade, sive Paris sive Alexander proponatur mollis, ignavus, hostem sagittis potius ex latebris quam cominus hasta petens, uno tamen loco (Z 503—H 14) depingitur acer, bellicosus, equo indomito per campum ruenti similis hostes adoriens, praeterea gravi armatura indutus. Haec igitur eius imago ex alio fonte derivata est atque altera. Atqui luxuries et mollities magis conveniebat mulierum amatori, bellatoris ferocis imago ad nomen „Alexander" unice quadrat, itaque ex eodem fonte est hausta atque hoc [1]). Unde tamen non efficiendum puto ut in hoc antiquissimo fonte Alexandro gravis armatura tributa sit. Nam, id quod acute animadvertit Bethe v. cl. [2]), sagittis suis vulnerat Alexander duos heroës Thessalos Machaonem [3]) et Eurypylum [4]). Antiquissimo autem tempore heroës ipsa sagittandi arte insignes erant, cui rei documento sunt Heracles, Eurytus, Philoctetes. Sed ex quo heroës coepti sunt proponi graviter armati, illa ars non necesse quidem erat ut dedecori verteretur, sed tamen molli militi convenientior habebatur quam hastae usus. Tunc temporis igitur Alexandro etiamtum forti bellatori, nondum mulierum insidiatori, illa ars adempta esse videtur a poëtis, eique tributa gravis armatura; illa ei reddita est e carminibus

---

Folgerungen" inquit v. cl. (p. 775) halten bei einer elementären exegetisch-kritischen Nächprüfung nicht stand" et (p. 774) „Bethe wird durch die alte Plutarchvulgata irregeführt sein", — quasi nemini sana mente liceat dubitare an libris plus fidei habendum sit quam Coraesii coniecturae — „Alexander der Paris in Thessalien wäre ja eine völlig verdrehte Anschauung". Sed hoc ne dixerat quidem Bethe, dixerat vir clarissimus „Alexander der Thessalische Paris", Crusii vero interpretationi repugnat sermo Graecus; quae ita recte se haberet, si legeretur: Ἀλέξανδροσ ὁ Πάρισ ἐν Θετταλίᾳ.

1) Aut utrumque fontem, aut ex Iliade utramque Paridis imaginem cognoverat, ipse cum esset inter recentiorum poëmatis partium auctores, is qui N 765 Paridem fortiter se gerentem et socios adhortantem ab Hectore tamen increpari finxit eisdem uso verbis ignominiosis quibus eum compellavit certamen cum Menelao detrectantem (Γ 39).

2) Hom. u. d. Heldensage p. 14.

3) Λ 505 sqq.

4) Λ 581 sqq.

antiquissimis postquam mollities ei iniungebatur. Graviter armatus occidit Menesthium, qui quo loco eius mors narratur (H 8 sqq.) Arna ex urbe Boeotiae oriundus dicitur, sed cuius ὁμώνυμος, Sperchei filius, commemoratur inter Myrmidones Achillis milites (Π 173 sqq.); hunc igitur vix dubium est quin e carmine vetustiore etsi non vetustissimo depromserit illius loci auctor patre et patria mutatis, quemadmodum heros claviger Areïthous, pater Menesthii Boeoti, alio loco (H 137) Arcadum princeps dicitur. Ab altera parte arcus intentus contra duos illos heroës Thessalos prodit fontem et unum et antiquissimum. Quod autem omnium gravissimum est, Alexander ipse, teste Iliade minore, occumbit sagittis Philoctetis qui etiam ab Homero inter Thessaliae heroes numeratur (B 716 sqq.), et aliis oppidis imperans et Thaumaciae in Sperchii vicinia sitae. Nam quod ante Troiae muros Philoctetes in Iliade minore Alexandrum caedit, vix quisquam censebit obstare quominus censeamus ab initio eam rem in Thessalia collocatam ibique celebratam esse. Idemque quod de Alexandri exitu, de Achillis iudicandum erit, deque hostilibus inter utrumque exercitatis. Ceterum quod in pugna illa apud Sperchium Achilli additur Patroclus, neque antiquissimum est, neque carminibus debetur Thessalicis si in superioribus recte monuimus [1]) eum ab origine Locrensem fuisse.

Porro Thebae expugnatio ad Achillis res Thessalicas referenda videtur. Nam apud Homerum quidem eam urbem in Troade vel in eius regionis vicinia collocari inde patet quod eius rex ab Achille in defendenda sua sede occisus, in Iliade Hectoris socer est, verumtamen Thebam in Troade sitam Ed. Meyer v. cl. [2]), non ante saeculum VII, Staehlin v. d. [3]) ne ante VI quidem conditam esse demonstravit [4]); cumque apud Homerum Thebe dicatur ὑποπλακίῃ (Z 397), et legatur sita esse ὑπὸ Πλάκῳ (Z 396, 425 X 479), montem cui conveniat nomen Πλάκος i. e.

---

1) p. 9.

2) Gesch. der Troas p. 80.

3) Programm. des Kön. Wilh. gymn. in München 1907.

4) Inde vero quod ante saeculum VII a Chr. nulla vera urbs Thebe in Troade exstitit, cave inde efficias non potuisse ante id tempus Homerum fingere urbem eo nomine in Troade sitam. Contra nihil prohibet sumere veram illam Thebam appellatam esse ab Homerica hac ficta.

tabulati formam reddens („Plattenberg", nostrates „Tafelberg") neque in huius urbis vicinia inveniri neque in ullius ex sex urbibus quae eodem nomine apud antiquos commemorentur, ostendit Staehlin, sed vocem „ὑποπλάκιοσ" unice quadrare ad Thebam Phthiotidem, dummodo pro vulgato ὑπὸ Πλάκῳ substituas „Ὑποπλάκῳ" i. e. „in regione cui nomen Ὑπόπλακοσ", et intellegas illo nomine ab initio indicatam esse imam partem campi Crocii, qui a radicibus montis Othryis declivis in planitiem vergit convenienter Strabonis verbis (IX 433), cui Demetrius Scepsius auctor est „ὑπὸ δὲ τῷ Κροκίῳ (sc. πεδίῳ) εἰσὶ Θῆβαι αἱ Φθιωτίδεσ". Censet igitur Staehlin, id quod iam ante eum suspicati sunt Bethe [1]) et O. Kern [2]) v.v. dd., poëtam eum qui primus Thebae expugnationem cantaret hanc urbem non in Asia collocasse sed in proxima vicinia Achillis patriae, quod autem apud Homerum eam Cilices habitasse dicantur (Z 397) quorum in Troade vel eius regionis vicinia nullum verum vestigium unquam inventum sit — nam quamvis ex antiquis non desint qui docte de his eorum sedibus agant nullo negotio ostendi posse eam doctrinam nullo alio fundamento niti nisi solo loco Homerico [3]) — satis veri simile esse eum qui Thebam Hypoplaciam e Thessalia in Asiam transportasset temere arripuisse nomen gentis quam in Asia habitare cognitum haberet [4]). Haec omnia quin verissima sint vix dubitare licet. Verum Bethe, Kern, Staehlin arbitrantur iam in antiquo carmine Thessalico etiam Hectorem et Andromachen suas partes egisse, illum in urbe patria Thebe defendenda occisum esse, uxorem ab Achille captam. Quod iis minime dandum videtur. Nam Troianorum ducem et propugnatorem in Iliade Hectorem appellatum, in antiquissimis de bello Troiano carminibus quae eum ab Aiace occisum haberent alio nomine designatum esse pro quo e car-

1) Hom. u. d. Heldens. p. 14.

2) Neue Jahrb. für das klass. Alterth. 1904 p. 12 sqq.

3) Staehlin l.l. p. 15 sqq.

4) De vera Cilicum patria ultra montem Taurum habitantium utique non cogitavit, neque enim credibile est eum voluisse Hectoris uxorem e remotissima regione arcessitam, aut sibi proposuisse, id quod nemo unquam audivit, in ea Achillem bellavisse nedum inde praedam in castra ad Hellespontum traduxisse vel illuc ab Hellesponto reginam captivam pretio accepto remisisse (Z 429).

mine nostro nomen Hector sit substitutum [1]) èt, si per se rem spectas parum veri simile videtur, néque reliquiae argumenti carminis nostri satis ansae dant sumendi rem ita se habuisse. Nam hoc maxime argumento Staehlin nititur quod Hector Andromachae praedicit (Z 457) „καί κεν ὕδωρ φορέῃσ Μεσσηΐδοσ ἢ Ὑπερείησ"; inepte autem eum cum uxore acturum fuisse de fontibus quos sive coniuges in Asia sive in Thessalia colloquentes fingantur utrique necesse sit ignotos fuisse [2]), quemadmodum Pausanias docet (III 20. 1) Messeïdem fontem exstitisse in Laconia prope Therapnam et teste schol. ad Pindarum (Pyth. IV. 222) nonnulli ferebant fontem Hyperiam inveniri in eadem regione; sed cum Strabo testetur (IX. 431) utrumque fontem prope Pharsalum ostendi, Hyperiam etiam prope Pheras (IX. 432) in promtu esse de his fontibus non procul ab urbe Theba sitis cogitasse carminis auctorem, quod enim apud Homerum dicat Hector ἐν Ἄργε' ἔουσαν uxorem ex eis aquam petituram, nihil obstare quin credas antiquum poetam spectasse Argos Pelasgicum, et minus consulte qui Thebam e Thessalia in Asiam transtulisset illorum fontium nomina retinuisse ex antiquo carmine. At quamquam haec omnia perquam probabilia sunt, tamen minime necesse est in illo carmine H e c t o r e m fontium mentionem fecisse, potuerunt et alii, potuerunt captivae sortem suam deplorantes. Nam quod addit pro sua sententia Staehlin in Iliadis minoris fragmenta legi (Kinkel 18) „ἀπαχθῆναι ('Ανδρομάχην) σὺν αὐτῷ (Νεοπτολέμῳ) εἰσ Φαρσαλίαν τὴν 'Αχιλλέωσ πατρίδα" quod mutato victoris nomine ex antiquo carmine haustum censet, aequo iure contendas Andromachae Pharsali servitium propter locum Homericum inventum esse ab aliquo qui illos fontes recte in Thessalia collocaret [3]). Potius igitur quam Staehlinio cett. adstipulem ita rem mihi propono poetam, qui pri-

---

1) Hesychius: Δαρεῖοσ ὑπὸ Περσῶν ὁ φρόνιμοσ, ὑπὸ δὲ Φρυγῶν Ἕκτωρ; unde collato loco E 9 ubi agitur de Darete Troiano, Vulcani antistite, M. Duencker v. cl. (Gesch. des Alterth. V[5] p. 317 in ann.) colligendum censet in antiquissimis de bello Troiano carminibus Hectori fuisse nomen Dareti. Sed Hesychii verba obscuriora sunt quam ut id inde efficere liceat.

2) Prope Ormenion Thessaliae oppidum fons Hyperia appellatur B 437.

3) Cf. Scholia ad Z 457 ἡ διπλῆ ὅτι κατὰ τὸ προστυχὸν οὕτωσ εἰπόντοσ Ὁμήρου οἱ νεώτεροι ὑδροφοροῦσαν εἰσάγουσιν αὐτήν.

mus Hectorem cum uxore colloquentem finxerit, eo quod eam orbam et solam fingere [1]) cuperet inductum esse ut adhiberet antiquum carmen quo Thebae clades celebraretur ex qua urbe in eo fonte ab Achille deleta et ab ipso in Troadem traducta illam oriundam faceret. Eundem primum omnino uxorem tribuisse Hectori, vel saltem nominatim eam appellasse suspicor. Nomen Andromache ipsum prodit se ab initio fuisse nomen Amazonae, atque sic saepius in vasis invenitur, neque tamen inde sequitur ut id curaverit is qui Hectoris uxorem sic appellaret. Hoc nomen arripuit, aliud nomen arripere vel ipse excogitare potuit. Forsitan id sic accipi voluerit non „quae cum viris pugnat" sed „ob quam proci certant".

Tum Achillis certamen cum Asteropaeo Paeonum rege (Φ 140 sqq.) in Europa cantatum videtur, antequam Μάχη παραποταμία insertum est. Alter rex Paeonum Pyraechmes nomine invenitur B 849, Π 287, quibus locis contra Asteropaeus desideratur. Itaque veri simile est utrumque fonti diverso deberi. Pyraechmen autem cum Patroclus occidat a Protesilai nave hostes proturbans non temere eidem fonti adiudices atque ipsos Patroclum Protesilaumque [2]); Asteropaeus praeter quam in Μάχῃ παραποταμίᾳ duobus locis occurrit, P 217 ubi inter alios sociorum duces eum compellat Hector, P 350 ubi comitem Apisaonem a Leocrito interfectum frustra ulcisci parat. His locis per se spectatis nihil inest cur de antiquo fonte cogitemus, sed aliter res se habet loco Φ 140 sqq. Nam ibi Asteropaei pater dicitur Pelagon i. e. ἐπώνυμος Pelagonum, qui a Paeonibus diversi non sunt, „quem procreaverunt Axius et Periboea Acessameno nata". Atqui id ipsum quod proavus commemoratur, avus paternus ei deus adscribitur

---

1) Colloquium si cum Staehlinio ad Thebae obsidionem refers, nondum cum haberetur mortem obierant Andromachae parentes — nam de fratribus dubitare licet — nondum patria deleta erat, parentes et maritum simul amisit.

2) Per imprudentiam hoc neglexi cum agerem de Troianorum sociis ex hoc fonte derivatis cf. supra p. 36. Muelder (l.l. p. 239 sq.) propter Paeonum mentionem factam censet ipsius Protesilai casum ab Homero haustum esse e carmine quo celebraretur Graecorum expeditio aliqua Achillis ductu adverso flumine Axio Paeonum terram aggredentium. Hoc èt redargui puto iis quae in superioribus (p. 4 sq.) de Protesilao Phthiorum rege disserui, èt re per se spectata parum credibile esse Graecos apud barbaras gentes incursiones fecisse septentrionem versus, cum eos a partibus septentrionalibus meridiem versus perrexisse notissimum sit.

pro documento est eius famam iam ante Homerum floruisse carminibus, quo etiam tendit quod proavum cum nihil nisi nomen tradatur, poetae eiusque auditoribus notum fuisse apparet, neque non quod ipse propria aliqua virtute — est enim ambidexter — ceteros mortales superat. Paeones in Asia habitasse neque Homerus neque alius quisquam tradidit, sicubi igitur Asteropaei cladem a bello Troiano seiungis, sponte haec quoque ex Asia in Europam remittitur, neque ullo modo mirum est Paeones quamvis satis longe a Thessalia in Macedonia sedes suas haberent, cum vestigia compluribus Graeciae locis reliquerint [1]), manus eorum etiam in Thessaliam olim incursiones fecisse. Quae etiam causa fuisse potest ut Pyraechmen antiquissimi belli Troiani cantores inter Troianorum socios numeraverint. Nam fac iis cognita fuisse bella cum Paeonibus a diversis gesta Graecis gentibus, inde ansam capere potuerunt eos contra Graecos etiam Troianis auxilio mittendi.

Ex Achillis comitibus supra iam egimus de Patroclo [2]), deque Menesthio [3]). Menesthius est primus inter quinque duces quos singulos singulis copiarum partibus Achilles praeficit (Π 168 sq.), eumque cum filius Sperchii dicatur eiusque ὁμώνυμος ab Alexandro necetur, iam in vetustioribus carminibus aliquas partes egisse censuimus, quo accedit quod Pelei nepos dicitur. Atque Eudorus alter e quinque illis, cum copiose dei Mercurii et Polymelae eius parentum amores narrentur in patria iam a poëtis laudatus videtur. Tertiae et quartae parti qui praesunt Pisander et Phoenix, quamvis hic in Πρεσβείᾳ haud exiguas partes agat [4]), non habent cur suspiceris eos iam ante Homerum in carminibus extitisse. Sed qui superest Alcimedon, cum eius nomen nonnisi leviter discrepet a nominibus Automedontis Achillis in Iliade aurigae, et Alcimi qui Automedonti adest in Achillis equis iungendis (T 392 cf. Ω 574 sq.), neque non ipse quoque dicatur (P 474) praestare ceteris Graecis, uno Patroclo excepto, in equis immortalibus ducendis, triplicem cum illis imaginem reddere vi-

---

1) Collegit Vuertheim l.l. p. 58.

2) p. 9 sqq.

3) p. 58.

4) Praeterea commemoratur P 555 sqq. ubi Minerva eius speciem induit et T 311 ubi cum Atridis, Ulixe, Nestore, Achilli animum erigere conatur.

detur Achillis aurigae nominibus diversis at tamen non prorsus dissimilibus appellati in antiquis carminibus diversis. Neque enim in eis, quippe in quibus equi immortales Xanthus et Balius, dona deorum — nam de tertio equo Pedaso supra vidimus [1]) — haud dubie, id quod ipsum supra quoque monuimus [2]) celebrati fuerint, eorum auriga deësse potuit. Quemadmodum etiam equorum praesagitionem domini exitus praematuri, quamvis apud Homerum ad bellum Troianum referatur, simul cum hoc exitu ipso ex antiquis Thessalorum carminibus haustam esse vix negare licebit. Supersunt e Myrmidonibus quos quidem Homerus nominatim affert, Epigius Agaclis filius, et Bathycles Chalcone natus, alter ab Hectore (Π 576 sqq.) alter a Glauco (Π 593) interfectus, quos causa nulla est cur non credamus ab Homero inventos [3]).

Praeter Achillem eiusque comites et milites e Thessalorum heroïbus in Iliade celebrantur Machaon atque Podalirius Aesculapii filii (Β 731 sq., Δ 194, 204, Λ 518, 832); Philoctetes (Β 718 sqq.); Eurypylus (Β 736 Ε 76 sqq., Ζ 36, Η 167, 626, Λ 575 sqq., 661, 810 sqq., Μ 2, Ο 392 sqq.); Eumelus Admeti filius (Β 714 sqq., 763 sqq., Ψ 288 sqq.); Lapithae e quibus recensentur (Α 263, Β 741) Pirithous, Caeneus, (Α 263) Dryas, Exadius, Polyphemus, (Β 740 sqq., Μ 130, 188 Ψ 841) Leonteus Perithoi filius atque Polypoetes, cui pater Coronus, avus Caeneus (Β 740, Ζ 29, Μ 129, 182, Ψ 836 sqq.); postremo (Λ 832) Centauri quorum iustissimus Chiron fuisse dicitur (l.l.), et Pheres (Α 268) quo nomine vulgo existimantur significari eidem. De Philoctete Machaone Eurypylo supra iam vidimus [4]), quos ex iis quae supra demonstravimus apparet ad eundem carminum Thessalicorum κύκλον referendos esse atque Achillem, neque a Machaone separari posse patrem et fratrem perspicuum est. De Philoctete pauca addenda videntur. Eius vulnus et exsilium in insula Lemno commemoratur in Catalogo

1) p. 47. 2) p. 55.

3) Ad informandam poëta Epigei imaginem pro exemplari Patroclo usus esse videtur. Nam quemadmodicum hic, Epigeus e patria profugus propter propinqui caedem supplex ad Peleum venisse narratur. Patria autem Budeum iam antiqui incerti haerebant ubi sita esset. Stephanus in Magnesia, Schol. Ven. ad Π 572 in Phthiotide collocavit.

4) p. 57.

(B 721 sqq.) inque his tradendis tangit poëta res Herculis, Philoctetem enim Lemni degisse dicit ἕλκεϊ μοχθίζοντα κακῷ ὀλοόφρονος ὕδρου. Sed quemadmodum de Herculis rebus gestis hodie iam apud omnes fere constat diversa olim extitisse carmina vel carminum κύκλους, inter quae fuisse quae Philoctetem omnino silerent, sic ab altera parte vix dubium esse potest quin hic quoque sagittariorum princeps propriis carminibus nulla Herculis ratione habita, laudatus sit. Neque sane propterea in bellum Troianum receptus est quod Herculis sagittis opus esset ad Troiam expugnandam, id autem postea inventum, sed quia separari non potuit ab Alexandro a se interfecto, qui ipse nullam ob aliam causam Troianus esse fictus est nisi quod Achillem interemit, hic autem Dardanorum victor, quam gentem Troianis cognatam esse docebant antiqua quae essent de bello Troiano carmina, tot locorum non procul ab urbe Troia sitorum expugnator, sponte inter huius urbis oppugnatores adsciscebatur. Neque igitur quae Catalogus de Philoctetis casibus profert e fontibus quae adhuc pertractavimus hausta sunt. Porro ne Lapitharum quidem Pherumque certamen (A 263 sqq., B 743 sqq.) quo Pirithoum hos a monte Pelio ad fines Aethicum, Pindum si Straboni fides est [1]) incolentium, propulisse Catalogus tradit, huc referendum videtur. Nam non dubium quidem est quin hoc antiquis Thessalorum carminibus celebratum sit, sed vix est cur credamus in ea re quidquam pertinuisse ad Peleum et Achillem. Leonteum vero et Polypoeten nonnisi quia gentes nobiles Ionicae originem suam duxerunt a Pirithoo et Caeneo [2]), in Ionum sedibus Asiaticis excogitatos et ab eorum poetis in bellum Troianum arcessitos esse veri simile est. Postremo Eumelus Admeti filius qui nonnisi in Ἆθλοις ἐπὶ Πατρόκλῳ comparet, in eis produci videtur quoniam poëtae cognita erat Thessalorum ἱπποτροφία, quam ludicrum circense depicturus nullo modo sibi negligendam esse censeret. Itaque inter proceres curribus certantes e Thessalorum quoque principibus unum aliquem prodisse finxit, atque huic dedit nomen Eumelo. Hunc enim iam ante carminibus celebratum esse vel etiam commemoratum nihil est

1) IX; postea eosdem Epirum incoluisse idem auctor est VII. 18.
2) Suid. Phot. Πειριθοΐδαι, Harp. Κορωνίδαι.

quod convincat, Catalogi autem auctor èt ipsum et equorum laudem (B 763 sqq.) ab Ἄθλων auctore mutuatus est. Sed hic Admeti filium eum finxit ut vinculum constitueret cum Thessalorum heroë antiquis carminibus celebratissimo, e quibus etiam Catalogi auctor uxorem Alcestim socerumque Peliam petivit, et tetigit Apollinis apud Admetum servitium. In iis carminibus et Alcestis devotionem pro marito et Argonautarum expeditionem cuius auctor Pelias esset, tractatas esse per se perspicuum est. Sed nihil in his pertinebat ad Achillem.

In Catalogo inter urbes quibus Machaon et Podalirius imperant (B 728) etiam refertur Oechalia his additis verbis: πόλιν Εὐρύτου Οἰχαλιῆος. At alio Catalogi loco (B 591 sqq.) ubi recensentur Pyliorum urbes inter quas Dorium quoque numeratur, poëta narrat Musas ibi visu et cantu privasse Thamyrin Thracium vatem „Οἰχαλιῆθεν ἰόντα παρ' Εὐρύτου Οἰχαλιῆος", haec autem urbs Oechalia, cum omnino quinque eo nomine urbes ab antiquis appellentur in Thessalia, Messenia, Euboea, Aetolia sitae quarum nulla non Euryti sedes vocatur, dubitaverunt vv. dd. utrum habenda esset in Thessalia an in Messenia a poëta collocata esse. Sed inter urbes unde ad bellum Troianum principes vel milites profecti sint, nulla apud Homerum urbs Oechalia est in Peloponneso sita, quapropter malim credere Oechaliam eam Messeniam, quam Pausanias (IV. 22. 33) eundem esse locum voluit cui postea Carnasio nomen, Strabo (III. 6. 26 VIII. 4. 5 X. 1. 10) cui Andaniae fuit, nonnisi Φάντασμα esse inde ortum quod nostri loci auctor censeretur cogitavisse de urbe in Dorii vicinia sita, cui opinio favere videbatur quod in Odyssea (Φ 15 sqq.) Ulixes narratur in Messenia congressus esse cum Euryto Iphiti filio, qui locus tamen omnia alia probat, nam — id quod viderunt Faesi v. d. [1]), alii — si Eurytum poëta in Messenia habitare sibi proposuisset, non dixisset „(Ὀδυσσεὺς καὶ Εὔρυτος) ξυμβλήτην ἀλλήλοιν ἐν Μεσσήνῃ" cum praesertim addat „οἴκῳ ἐν Ὀρσιλόχοιο δαΐφρονος". Atqui iam Hesiodus auctor est [2]) in campo Dotio prope Triccas in Thessalia sito, Thamyrin

1) In Ed. Od.: „ἐν Μεσσήνῃ. Auch diese Bestimmung spricht dafür das Eurytus nach dem Dichter nicht aus Messene (sondern aus Thessaliën) war; sonst würde er wohl nicht sagen: sie trafen einander in Messene".

2) Steph. Byz. v. Δώτιον.

a Musis occaecatum esse, quamobrem in promptu est suspicari auctorem loci B 591 sqq. confudisse Dotium et Dorium, cum praesertim factis et casibus tam Musarum quam cantoris natione Thracis scenam fuisse magis idoneam partes Graeciae septentrionales quam Peloponnesum censeas. Nihilominus cum auctor loci Φ 15 Iphitum dicat cum Ulixe convenisse perquirentem greges suos qui ei e pascuis discessissent, non dubium est quin alicubi in Peloponneso non in Thessalia remotissima eius sedem hic sibi finxerit [1]), quemadmodum inter Epeiorum quoque duces apud Homerum supra offendimus Eurytum quemdam Actoris filium [2]). Itaque etiamsi discedis ab illa Oechalia Messenia, videtur extra Thessaliae fines compluribus locis Euryti sedes collocata esse, sive hoc debetur Graecarum gentium migrationibus sive cantorum itineribus, et sive e diversis urbibus Oechalia nomine ubi ille regnasse narraretur, plus una revera exstitit sive minus. Iamvero Eurytus Oechaliensis quem Catalogus memorat, quamvis haud dubie e carminibus Thessalicis sit arcessitus et eius sedes recenseatur inter urbes Machaonis et Podalirii, quos Alexandro Thessalo Achillis hosti infensos fuisse supra ostendimus, quamobrem eos referendos censuimus ad eundem carminum κύκλον atque hunc, tamen ipse inter huius socios aut hostes apud antiquos non numeratur et ita in Catalogo eius mentio fit ut non videas quomodo poëta sibi proponat factum esse ut eius urbs Aesculapii filiorum dicionis sit facta. Itaque propterea tantum eam his tribuisse videtur quoniam sciebat sitam in regione cuius ex antiquis carminibus collegisset eos fuisse dominos, Oechaliam autem memoranti ei in mentem venisse Euryti alio carminum κύκλῳ laudati et nullo vinculo cum eorum rebus coniuncti. Ceterum argumenta carminum Thessalicorum quae ad Achillem minime pertinerent tamen facillime in Asiae litore pervulgari poterant a Graecis eo profectis, et ab horum patria nova simul cum rebus Achillis tum quae ad hanc tum quae ad patriam Graecam referrentur temporis decursu pervenire ad Iones Asiaticos a quorum poetis in Iliadem insererentur.

E Thessalorum etiam carminibus haustam esse fabulam ex-

1) Aliter Faesi vide ann. superiorem.
2) p. 12

peditionis Argonautarum, quae dicitur, demonstratu non opus est, eamque iam ante Homeri aetatem pervulgatam esse luculenter apparet. Nam H 467 in insula Lemno regnare dicitur Euenus filius Iasonis et Hypsipylae et Φ 41 filius Iasonis Lemni habitasse narratur matre et nomine proprio non additis; item Φ 747, sed simul ibi rex Thoas ita memoratur ut discas hunc aliquanto ante Euenum ibi imperasse, cum tamen non addatur quo cognationis vinculo iuncti fuerint; tum Ξ 230 Lemnus dicitur civitas Thoantis, et B 715, id quod supra vidimus, Peliae mentio fit; quibus collatis patet èt Iasonem èt eius filium, uxorem, patruum, socerum ita omnibus notos fuisse ut ne opus quidem esset Homero, ubi eos appellaret, auditores monere quae rationes inter eos intercederent. Neque eorum res ad Achillem pertinuisse manifestum est; sed cum hic narretur (Φ 40 sqq., Ψ 746 sqq.) Eueno vendidisse Lycaonem a se captum, Lycaonis autem captivitatem supra ostenderimus [1]) cohaerere cum clade urbis Pedasi ab Achille deletae, ubi illius avus Altes regnaret, et in argumenti parte fuisse eorum carminum quibus laudarentur Achillis res gestae in Asiae litore, satis causae esse videtur suspicandi iam horum quoque auctores Argonautarum expeditionem et Iasonis commorationem in insula Lemni, utpote omnibus notam tetigisse. Atque haec res potuit inducere poëtam, qui primus Philoctetem in bellum Troianum adhiberet, cum eum cognovisset e carminibus nullam huius belli rationem habentibus, quae eum proponerent Herculis sagittarum heredem imparem, laborantem e vulnere his ei inflicto, ut eum Lemni a Graecis propter hoc vulnus fingeret relictum, quod factum esse legimus in Catalogo B 722 sqq. Hi enim ipsi ad Troiam oppugnandam profecti in itinere ibi commoratos esse traduntur Θ 230, quod perquam credibile est repetitum esse e carminibus quibus de Achillis ageretur expeditionibus, si forte haec tradiderint eum ibi cum militibus commoratum. Sed quod legimus H 467 vinum Atridis ceterisque Graecis Lemno advectum esse, quodque memorat Hecuba Ω 753 multos e filiis suis Samum, Imbrum, Lemnum ab Achille venumdatos esse vix dubium quin horum locorum auctores id excogitaverint. Aliter res se

1) p. 45.

habet de Vulcano quem Lemnus excepit e coelo deiectum a patre (A 590 sqq.), deque Iunonis et Somni in eadem insula congressu Ξ 230 sqq., neque tamen haec pertinent ad fontes quos nunc persequimur.

Maioris autem momenti quam insula Lemnus in Iliade mons Olympus est, Iovis, denique deorum magnorum omnium Musarumque sedes, qui mons cum in Thessalia situs sit, si quid aliud, pro documento est quantum in opiniones Graecorum de rebus coelestibus carmina Thessalorum valuerint. Nam quamvis minime negare liceat non sola poësi epica factum esse ut ab universa Graecia prae ceteris omnibus sedibus Olympus deis habitandus daretur, complures enim sine dubio gentes Graecas aliquamdiu in Thessalia degentes et inde meridiem versus profectas in novis domiciliis retinuisse memoriam montis ubi olim deos summos collocassent, manifesto tamen id non prohibere potuit praeterea diversissima loca, montes praesertim, pro deorum sedibus haberi, satisque constat Homero deberi quod abinde saeculo VII a Chr. n. per totam Graeciam Iovi Olympio aedes consecrari coeptae sint, et coelum Olympusque qui in eum se erigeret, pro uno eodemque eoque vero magnorum deorum domicilio haberi. Itaque quod in Iliade rerum caelestium imago ea est quae ex ea cognoscitur, non propterea est quod quo tempore illud poëma condi inciperetur, omnem iam Graeciam, quo nomine etiam litus Asiae a Graecis inhabitatum complecti par est, pervaserit communis opinio quam poëtae reddiderint, sed unice debetur ea imago Thessalorum carminibus, quae inter eius fontes fuerunt. Quae res etiam eo confirmatur quod sedes Musarum quoque in Iliade Olympus est, quam postea invito Homero Boetorum sententiam secuti poëtae in Heliconem traduxerunt, unde sequitur ut minime de ea re iam ante Homerum communis aliqua extiterit opinio. Atqui de harum sede si non extitit cur de deorum? Uno Iliadis loco, Achillis precationem notissimam dico Patroclum in aciem missuri (Π 233 sqq.), Iuppiter appellatur Dodonaeus Pelasgicus procul habitans. Hanc appellationem E. Meyer censet [1]) a Πατροκλείας auctore usurpatam esse ob doctrinae ostentationem. Hoc mitto, sed haud

1) Forsch. z. alt. Gesch. I 37 sqq.

dubie ex antiquo hausit fonte [1]). Assentior autem viro clarissimo hic Epiri locum celeberrimum, non Thessaliae aliquod oppidum ignotum spectari quemadmodum praeeuntibus nonnullis ex antiquis [2]), Welckero v. cl. aliis placuit [3]). Quo etiam tendere videntur verba „procul habitans". Neque ullo modo mirum antiquos Thessaliae incolas, quos credibile est eo per Pindi saltus ex Epiro advenisse, quemadmodum constat de Thessalorum gente proprie sic dicta quae saeculo fere VIII. a Chr. n. eorum fines invasit, memoriam servasse pristini fani, eorumque poëtas Iovem Dodonaeum vocasse sive neglegentes hanc eius sedem non optime quadrare ad domicilium in monte Olympo, sive quod aetate eius qui primus illud *τηλόθι ναίων* ex ore emisit, nondum in ipsius populariumque mentibus fixum constaret Iovis verissimam sedem Olympum esse. Sed is qui Catalogo inserens vss. B 755 Perrhaebis Dodonam inhabitandam tribuit, nostro loco Π 233 male intellecto eam urbem Thessaliae adiudicavit. Doctus videri cupiens disseruit de regione in qua eam collocavit, sed Enienes et Perrhaebos finitimos fingens conturbavit omnia.

Sequitur ut quaeramus utrum prius extiterint carmina haec quibus Achillis laudarentur fortia facta quae in Aeolide et regionibus proximis insulisque adiacentibus edidisse crederetur, an illa quae in priore parte huius commentationis pertractavimus, quibus celebraretur expeditio Boeotorum eorumque sociorum ad Hellespontum profecta cuius poëtae ducem haberent Aiacem. In Iliade nusquam Achilli alia tribuitur patria nisi Phthia. Cur

---

1) Meyer l.l.: „Es entspricht dem Charakter der Patroklie dass der Dichter es liebt seine gelehrsamkeit, die Kenntnisse, die er von seinen Meistern gelernt und auf der Wanderschaft erweitert hat zur Schau zu stellen". An propterea tantum Achillem finxit invocantem Iovem Dodonaeum, quod ipse a magistris audivisset vel in itineribus cognovisset Dodonae Iovis fanum esse? Cras credam. Addit autem Achilles *ἀμφὶ δὲ Σελλοί σοι ναίουσ' ὑποφῆται ἀνιπτόποδεσ χαμαιεῦναι*, de qua re Meyer: „(Der Dichter) benutzt die gelegenkeit über die Form seines (i. e. Iovis) Cults einige zwar in das Gebet absolut nicht hineingehörende aber die Hörer interessirende Bemerkungen anzufügen." Neque tamen haec precationi aliena sunt, augent enim eius maiestatem. Quemadmodum Apollinis sacerdos non tantum (A 37 sqq.) „*ὃσ Χρύσην ἀμφιβέβηκασ*" sed „*Κίλλαν τε ζαθέην Τενέδοιο τὲ ϝίφι ϝανάσσεισ, Σμίνθιε*".

2) Steph. Byz. Apoll. lex. schol. Il. Π 234.

3) Götterlehre I p. 199 A 1.

Phthia nisi propterea quod in carminibus nostris unde in bellum Troianum arcessitus est haec eius patria esse inveniretur? Quid? Etiam is, quisquis fuit, qui eum apud Sperchium flumen cum Alexandro Thessalo pugnantem finxit, de qua re supra egimus [1]), non aliter rem sibi proposuisse videtur. Verumtamen non iam ab antiquissimo inde tempore eum Phthia oriundum voluerunt poëtae. Sive enim civitatem sive regionem mavis antiquissimo tempore eo nomine appellatam esse, nemo sane contendet unquam eius fines pertinuisse ad montem Pelium. Atqui ipsum patris nomen Peleus prodit numen in eo monte residens postea in mortalem conversum; et eodem spectat promontorium Sepias sub Pelii radicibus situm, ubi Herodotus auctor est [2]) Xerxem sacrificasse Thetidi *πυθόμενοσ παρὰ τῶν Ἰώνων τὸν λόγον, ὡσ ἐκ τοῦ χώρου τούτου ἁρπασθείη ὑπὸ Πηλέωσ*; neque aliud quidquam significat fraxinus Pelias qua et Peleus et filius Achilles insignes sunt, atque huius magister Chiron iustissimus Centaurorum quos a monte Pelio proturbasse Perithoum in Catalogo legimus. Fuisse igitur tempus patet quo nondum Pelei Achillisque cultus a Phthiotis receptus esset, Boeotorum autem expeditionem, inter quorum socios Phthiotas fuisse invenimus, eo tempore emissam esse apparet propterea quod in carminibus quae de ea conderentur Achillem vidimus sileri. Vetustiora igitur haec carmina fuerunt quam illa quibus Achilles Phthiota dux fingeretur expeditionis qua primum Graeci in Aeolidem deferrentur [3]); altera autem cum saeculo fere medio XII a Chr. n. adscribenda videantur [4]), vix multum aberrabimus si altera saeculo post edi coepta esse credemus. Recentiores poëtae utramque Pelei patriam et praeterea tertiam, insulam Aeginam volo, quam cur addiderint non huius propositi est indagare, studuerunt coniungere fingentes eum ex insula ea Phthiam fugisse propter necem fratris

---

1) p. 56 sq.

2) VII. C. 191.

3) Alias multas deinceps expeditiones eo profectas esse imprimis postquam Dores Peloponnesum invasissent eiusque rei aliquam memoriam latere in iis quae scriptores abinde Hellanico tradant, Peloponnesiorum manus domo profugas ab Agamemnonis posteris in insulam Lesbum inque litus Asiae adiacens ductas, probabiliter monet Drerup v. d. in opere cui titulus „Homerus" p. 47.

4) Ed. Meyer v. cl. censet Troiam Homericam ineunte fere saeculo XII. a Chr. aut paulo ante deletam esse. (Gesch. des Alterth. I² p. 658).

Phoci et inde demum se contulisse Iolcum in Pelei montis viciniam ibique ceteram degisse vitam [1]). Haec non concinunt cum Homero quippe apud quem senex Phthiae habitasse narretur [2]), nemo autem perhibebit in illis quidquam esse quod ad explicanda quae de eo ante Homerum sint tradita pertineat.

Superest ut consideremus utrum Homerus demum an iam ante Homerum poëtae alii, Achillem, Aeneam, Alexandrum ceteros Thessalorum heroës quos antiquis carminibus nulladum belli Troiani ratione habita celebratos esse vidimus in id bellum induxerint. De Achille quaeramus primo. Hunc vix quemquam Iliadem perlegentem latere poterit ita in ea proponi ut non dubitare videatur poëta quin cognitum eum habeant auditores inter belli Troiani principes. Statim exordium illud μῆνιν ἄειδε θεὰ Πηληιάδα' Ἀχιλῆοσ κ.τ.λ. mire frigeat nisi ipsum Pelidae nomen suffecerit ad auditores monendos quod sit illud bellum in quo eius ira mille funeribus Graecis constitisse dicatur, sed incerti de ea re haeserint. Fac autem, quod nonnullis vv. dd. placuit quibus minime assentiendum puto, sed fac exordium Iliadis, quale id nunc habemus recoctum esse et initio in eo Achillis nullam mentionem esse factam, res eodem loco manet, nam tamen ubi primum ipse in scenam prodit (A 54), nihil nisi hoc: τῇ δ' ἀγορήνδε 'καλέσσατο λαὸν Ἀχιλλεύσ, quod aliter, credo, poëta enuntiasset nisi sciret Achillem iam ante inter principes Graecorum Troiam oppugnantium celebratum esse. Ab altera parte aliqua indicia permanserunt carminum huc spectantium. Nam Aeneas quem vidimus in eis carminibus quibus nulla Troianorum ratione habita Achillis laudarentur res gestae contra Dardanos, Leleges alios, Dardanorum regem esse fictum, tamen diversis Iliadis locis dicitur Τρώων βουληφόροσ vel ἀγόσ [3]), quo iure autem id fiat explicatur eius stemmate de quo supra vidimus, quo propter originem a Troë cognatus fingitur Priamo et Hectori, nullo vero alio loco [4]). At sive censes totam Iliadem

1) Apollod. 3. 12. 6.

2) Π 15.

3) E 217 N 463 P 485 Y 83.

4) Tangi videtur stemma E 263 sqq. ubi agitur de equorum divinorum subole quam regi Troï surripuisse traditur, cum praesertim et ibi et in stemmate memoretur Ganymedes.

uni auctori deberi, incredibile est eum commisisse ut per maximam poëmatis partem auditores incerti de ea re haererent, sive mavis Iliadi plures poëtas operam navasse absurdum est omnes locos quo Aeneas dicatur Τρώων βουληφόρος vel ἀγός recentiores esse eo loco quo eius genus editur. Itaque hoc fere constat stemma illud Homeri aetatem superare. Insertum autem nostra Ilias id habet certamini Aeneae et Achillis, itaque huius certamines auctor id aut in fontibus suis invenit aut ipse confecit, quod si verius est ipse etiam Homeri aetatem antecessit. Sed procul dubio verius est. Nam Neptunus in illo certamine Aeneam Achillis manibus subtracturus ad ceteros deos qui proelio adsunt conversus, nolle Iovem inquit (Υ 300 sqq.) Dardani progeniem exstirpari sed in fatis esse Aeneae ut et ipse et eius liberi et nepotes quique ab eis oriantur Troianis imperent. Id autem quid aliud significat nisi hoc poëtae temporibus fuisse aliquam domum regiam, quae ab Aenea originem suam duceret, qualem fuisse testatur Strabo (XIII. c. 1 p. 606), quam Dardanorum alicui civitati imperantem honorare poëta voluerit testando eam imperare reliquiis superstitibus verae Troianorum gentis? [1]) Ab altera parte cur stemma ipsum confectum sit nisi honorandi causa aliquam domum regiam quae ab Aenea originem duceret, cum ostenderetur Aeneas ortus esse a stirpe regia Troianorum, nemo videt; etenim laus auctori generis tributa etiam posteris eius decori erat. Quo etiam certamen ipsum pertinebat unde ille cum tremendo Graecorum heroë congressus paene aequo Marte discessise narraretur. At si et certamen et stemma eodem consilio conficta sunt eandem honorandi domum regiam, separari nequeunt cum praesertim se invicem expleant, neque credibile est utriusque auctorem non eundem fuisse. Habemus igitur hic carmen quo ante Homeri aetatem condito usus est sive auctor libri Υ, sive poëta etiam recentior, qui suum opus ei libro inseruerit, id enim sciri nequit. Utrum carmen illud paene integrum adhibuerit an prorsus reformaverit, ita ut magis eius materie quam eo ipso sit usus, mittendum videtur. Hoc unice nostra interest ita Achillem sine verbis recipi potuisse inter

1) Domum illam cum ad Aeneam se referret perspicuum est titulum hunc derivasse ab antiquis carminibus quae eum Dardanorum regem proponerent.

socios belli Troiani. Nam cum diserte ostenderetur Aeneam Priamo et Hectori cognatum interque Troianorum fuisse principes, sponte auditorum mentes cogitationem subire necesse erat, eius certamen cum Achille, quem iam ante non Troianorum quidem sed Dardanorum tamen quibus Troiani proximi essent victorem cognovissent, id enim iam ex antiquis carminibus de bello Troiano quae essent, apparebat, ad illud pertinere bellum, itaque etiam Pedasi et Lyrnessi expugnationem eo referendam esse. Atque ea res eiusmodi est ut nihil vetet credere nullum aliud ante carmen nostrum extitisse quo Achilles cum Troianis bellasse traderetur; saltem ut hoc inde intellegeretur nullo alio carmine opus fuit.

Nam aliorum quoque carminum eodem pertinentium vestigia indicare licet. Inter quae nunc demonstrabo extitisse unum aliquod quod pro fundamento fuerit *Ἕκτορος καὶ Ἀνδρομάχης ὁμιλίᾳ*. Carminis quod volumus auctor, quemadmodum auctor carminis quo Aeneas laudabatur in usum suum convertit carmina antiqua quibus cantaretur expugnatio Lyrnessi et Pedasi, sic ille Thebae, cumque ex hac urbe ab Achille deleta Hectorem uxorem duxisse fingeret, ea ipsa re auditorum mentes inclinavit in hanc opinionem, eius urbis cives non procul degisse ab urbe Troia, arma consociasse cum Troianis, Achillem eos oppugnasse cum his bellantem. At tamen cum poëtae temporibus nulladum in Troade urbs Theba extaret — veram enim Thebam in Troade sitam non ante saeculum VII vel VI a Chr. conditam esse vidimus [1]) — de Cilicibus autem quibus satis temere urbem suam Thebam adscripsisset, nemo unquam Troadem incolentibus audivisset, neque prorsus incredibile habendum esset Hectorem uxorem e longinquo arcessivisse — Theba enim Thessalica ex antiquis carminibus haud dubie satis nota erat, ibi vero habitasse populum cui Cilicibus nomen, quid credere prohibuit? — conclusio quam diximus non satis in expedito erat auditoribus nisi iam gnaris Achillem participem fuisse belli Troiani. Quapropter malim credere carmen quo Aeneae res agerentur temporis ordine antecessisse nostro. Huius autem vestigia in *Ἕκτορος καὶ Ἀνδρομάχης ὁμιλίᾳ* nobis servata esse

---

1) p. 58.

sic ostendere posse mihi videor. Colloquium celeberrimum quo loco in Iliade legatur non optime se habere, quippe in qua Hector post omnia eo intenta ut postremi digressus species moveatur tamen antequam mortem obeat uxorem denuo convenisse fingatur, multi abinde Naberio v. cl. [1]) professi sunt viri docti, nemo distinctius pronuntiavit quam vLeeuwen v. cl. qui „fieri non potuit'' inquit [2]), „ut verus ullus poëta nedum tam egregius poëta quam fuit is, cui hoc priscae poësis gemma debetur, heroëm in pugnam redeuntem uxori sic valedicere et ut vita iam functum ab ea defleri fingeret, si mox eum ad suos vita salva esset reducturus. Poëta nisi ultimum hoc coniugum colloquium voluit verus non fuit poëta neque potuit fingere illud quod omnes novimus et admiramur colloquium.'' Sed vLeeuwen sibi videtur difficultatem expedire duobus versibus (Θ 58, 59) eiectis, alteris duobus (H 478, Θ 55) leviter mutatis ita ut pro *κατὰ πτόλιν* legatur *κατὰ στρατόν* [3]). Invitus confiteor non persuasisse mihi virum clarissimum. Componam ea quae eius sententiae mihi obstare videantur. Hectorem sub finem eiusdem diei quo cum uxore convenerat, post certamen cum Aiace comites *ἦγον προτὶ ἄστυ* (H 310). „Non dicitur in ipsam urbem adductus esse Hector'' (v. L.). Quod tamen nisi propter gravem aliquam causam prohibeberis sponte inde efficies, cum praesertim ad suos redire iam proxime ante dictum esset his verbis (H 307) *ὃ δ'* (*Ἕκτωρ*) *εἰς Τρώων ὅμαδον 'κίε.* Mox autem (H 345): *Τρώων ἀγορὴ 'γένετ' Ἰλίου ἐν πόλι' ἄκρῃ δεινὴ τετρηχυῖα παρὰ Πριάμοιο θύρῃσι.* „Non *cunctorum,* quibus in summa arce locum fuisse nemo unquam in animum inducere sibi potuit, sed ducum et senum, qui cum ipso Priamo in urbe remanserant'' (v. L.). At ingentem multitudinem hominum arte stantium vel etiam sedentium exigua area includi posse, qui attendet percipiet. Nonne in area Capitolina olim habebantur concilia plebis [4]). De *contione* autem Troianorum Catalogi auctor hoc (B 788 sqq.) „*οἳ δ' ἀγορὰς ἀγόρευον ἐπὶ Πριάμοιο θύρῃσι πάντες ὁμηγέρεες ἠμὲν νέοι ἠδὲ γέροντες*''. Itaque vereor credere „*ἀγορὴν*

1) Quaest. Hom. 1877 p 156.
2) Mnem. 1910 p. 338.
3) l.l. p. 344 sqq.
4) Liv. XXV. c. 3.

θρεινὴν τετρηχυῖαν" habendam esse „βούλην γερόντων". At ex eis, quae paulo post sequuntur (vs. 380) „δόρπον ἔπειθ' εἵλοντο κατὰ στρατὸν ἐν τελέεσσι" vLeeuwen collegit Hectorem cum iunioribus coenasse extra urbem. Quid autem? Priamus in illa sive contione sive consilio dixerat νῦν μὲν δόρπον ἕλεσθε κατὰ πτόλιν ὡς τὸ πάρος περ καὶ φυλακῆς μνήσασθε καὶ ἐγρήγορθε ἕκαστος, haec vero mandata si pertinuisse censentur tantummodo ad „seniores, qui intra muros remanserunt" (v. L.) intellegi nequit, quid sibi velit illud „vigilare et custodias disponere". An non satis praesidii erat in iuniorum exercitu cum Hectore in campo pernoctante? An etiam seniores opus erat somno abstinere et vigilias obire? Atque cum Priami verbis si haec, unice recte me iudice, de tota Troianorum sociorumque multitudine intelleguntur, ea concinunt quae leguntur (vs. 477) Τρῶες δὲ (δαίνυντο) κατὰ πτόλιν ἠδ' ἐπίκουροι quo loco igitur nihil arbitror profici si pro κατὰ πόλιν legis κατὰ στρατόν. Sed nihil cogimur vs. 380 verba κατὰ στρατόν accipere de exercitu considente in campo potius quam in arce, et praeterea hunc versum, quem mss. complures omiserunt non sine causa complures vv. dd. insertum censuerunt e libro Σ ubi idem legitur (vs. 314). Neque igitur ulla iam iusta causa superest ut eiciamus vss. Θ 58, 59 ubi Troiani ex omnibus portis effundi dicuntur [1]), neque ut vs. 54 ubi eidem arma induere narrantur pro ἀνὰ πτόλιν substituamus κατὰ στρατόν. Et, Hercle, rogare licebit quid interpolatorem pervincere potuerit ut nullo alio consilio nisi evertendi omnem rectam rationem alia insereret alia mutaret. Sed etiam hoc affert vLeeuwen, Hectoris in illo quod vult ducum consilio nullam mentionem fieri. Neque tamen rogatus poeta negaverit, credo, Hectorem inter duces adfuisse cum praesertim de re minime levi, nimirum de Helena reddenda sententiae dicerentur. „At Hector si adfuisset, ut Antenori assentiretur fere-

---

1) Urbi plures portas fuisse non dubito quin sibi proposuerit huius loci auctor (quemadmodum Catalogi auctor B 809). Nam si cum Aristarcho vocem πάσας vertis „totas" ridiculum est significari portam totam esse apertam ut exercitus emitteretur. Quod autem ibi poëta manifesto de sociis non cogitat, quippe qui non tantum Troianos aiat pauciores quam Graecos in aciem profectos esse, sed addat μέμασαν δὲ καὶ ὧς ὑσμῖνι μάχεσθαι πρό τε παίδων καὶ πρὸ γυναικῶν, nonnisi incuriae tribuendum arbitror.

bat ratio" (vL.). Audio, sed rem sic explico, poëtam ad alia festinantem nonnisi rerum summas attigisse: Antenorem rogantem, Paridem dissuadentem, Priamum consensu principum si minus omnium, maioris tamen partis decernentem. Silentur ceterorum sententiae, siletur discessio facta, sed facilius hoc fero cum persuasum habeam poëtam in re adumbranda abusum esse argumento vetustioris carminis quo copiosius ageretur. Alio loco accuratius hoc persequar, hic satis sit monere Λ 122 narrari ab Agamemnone occisos filios Antimachi „ὃσ ῥα μάλιστα χρῦσον ᾿Αλεξάνδροιο δεδεγμένοσ ἀγλαὰ δῶρα οὐκ εἴασχ᾿ ῾Ελένην δομέναι ξανθῷ Μενελάῳ", neque id tantum sed etiam ἐνὶ Τρώων ἀγορῇ Μενέλαον ἄνωγε ἀγγελίην ἐλθόντα σὺν ἀντιθέῳ ᾿Οδυσῆι αὖθι κατακτεῖναι μηδ᾿ ἐξέμεν ἂψ ἐσ ᾿Αχαιούσ. Eam legationem, quae etiam tangitur in Τειχοσκοπίᾳ (Γ 205 sqq.) et contionem propter eam advocatam proprio carmine celebratam fuisse censeo.

Iamvero „quodsi parum placet στρατόν pro πτόλιν scriptum, et credibile videtur poetam cunctum Troianorum atque sociorum exercitum in urbis arcem coegisse, superest ut Hectoris cum Aiace pugnam singularem non ab ipso poëta, sed postmodo manu aliena carmini insertam esse sumamus" (vL.) Verum hoc minime sufficit, nam etiam Θ 54 „κατὰ πτόλιν" legitur, et praeterea tamen resecandi erunt vss. Θ 58, 59. Sed fac illud κατὰ πτόλιν et vss. illos deberi eidem qui Hectoris et Aiacis certamen inseruerit, vehementer tamen dubito an sic non multum iuvemur. Nam non satis erat poëtam non totidem verbis dicere in urbem redisse Hectorem ante mortem; debebat narrationem suam ita instituere ut vetarentur auditores sibi proponere id potuisse fieri; minime debebat committere ut sponte eas subiret cogitatio aliter fieri non potuisse; quid enim intererat utrum ipse id enuntiaret poëta an cogeret auditores id sumere? Non afferam quod mortuos sepeliendi causa per duos dies in Iliade legimus indutias actas quibus diebus sane insanisset Hector nisi ad uxorem revisendam urbem intrasset, quod propterea non afferam cum facile credam quicunque Hectoris et Aiacis certamen propter insequentem contionem insiticium existimet, cetera quoque quae sub finem libri H sequantur, praecisa velle. Sed etiam si haec praeciduntur tres tamen noctes intervenerunt Hectori antequam ei illucesceret vitae diei ultimus, quarum

una κόλον μάχην antecessit altera ei successit tertia Patrocli exitium secuta est, ecquis autem tam ferocem et inmitem censuerit quem eundem modo audivit dicentem ne parentum quidem neque fratrum cladem tantopere se curare quam uxoris lacrimas ploratumque, ecquis inquam tam inhumanum eum sibi finxerit ut non duarum harum noctium, non dico tempora longiora sed semel utique dimidium horae impenderit, sive statim a pugna stationibus dispositis cum milites corpus curarent, sive diliculo cum pranderent et arma pararent, in uxore convenienda, confirmanda, dextra ei iungenda?

Nihilominus summo iure negatur poëtam qui primus animum induxit proponere coniuges amantissimos paulo ante mariti obitum fatum instans praesagientes, latuisse quantum commiserationis huic imagini detraheret nisi supremum eorum colloquium audiri videretur. Verum prorsus alia fit res sicubi sumimus Ἕκτορος καὶ Ἀνδρομάχης ὁμιλίας auctorem adhibuisse carmen sua stans pila quo illud depingeretur. Carmen hoc perspicuum est non potuisse condi priusquam pervulgatum esset in patria defendenda Hectorem mortem obisse, sed eo ipso quod non pars erat poëmatis maioris quo dierum complurium comprehenderetur decursus, integrum manebat auditoribus colloquium tum habitum sibi fingere cum maxime placeret. Eius carminis argumentum si sumimus referre Ὁμιλίαν, huius ἐπεισοδίου causa eadem est atque Ἕκτορος καὶ Αἴαντος μονομαχίας quam item e carmine vetustiore haustam in superioribus demonstravimus [1]), qua de re Leeuwenium consentientem habemus. Quid? ipsa viri clarissimi verba poetam qui id non aptissime in suum usum convertit excusantis, de Ὁμιλίᾳ quoque rem acu tangere censeo: „Huius carminis argumentum" inquit [2]), „suo carmini inseruit ut poterat et ubi poterat .... contextum cum spectamus, poëta vituperandus videtur ..... ipsum episodium cum consideramus nulla contextus ratione habita non possumus non gaudere." Ceterum si de Hectoris nece in superioribus probabiliter argumentati sumus [3]), cuius titulum a Πατροκλείας demum auctore Achilli tributum esse demonstravimus cum antea tribueretur Aiaci, nonnisi

1) Mnem. 1912 p. 15. 2) Mnem. 1910 p. 345.
3) l.l. p. 10, 15.

ab huius manu illi mortem instare carminis de quo nunc egimus auctor sibi proposuit. Sed nihil vetat credere Ὁμιλίαν aut eidem deberi auctori atque Πατροκλείαν aut recentiorem esse, idque si ita est illius auctori felicissime contigit ut necesse esset audientibus occurreret, Achillem qui Hectoris uxorem omnibus orbasset proximis etiam ei eripuisse maritum; utique Iliadi qualem nos eam habemus decori est, quod in ea sic res proponitur.

Cum Hectoris et Andromachae colloquio in Iliade nostra cohaeret Hectoris adventus domum Alexandri, fratris adhortatio, reditus cum eo in pugnam. Haec Bethe v. cl. [1]) dum coniugum colloquium, ut nobis quoque placuit, proprio carmini deberi censet, ab initio in huius carminis partem venisse vult, inque eo etiam Helenae mentionem esse factam. De Helena dissentio, carminibus enim quibus eius raptor Troianorum fuisse princeps fictus est recentiorem quam carmini nostro originem tribuendam esse infra demonstrare conabor. At vix dubitandum, cum Achilles iam ante Homeri aetatem a poëtis in Asiae litus traductus sit, quin idem contigerit eius hosti Alexandro. Nam quominus credas ab Homero demum eum Paridi assimilatum esse, utriusque nominis in Iliade promiscue adhibitus usus obstat. Praeterea eius imaginem de qua supra egimus [2]), non modo animum bellicosum sed etiam armaturam gravem exhibentem neque ad antiquissimam eius personam convenire neque vero ad mores Helenae raptoris quadrare itaque tamen Homeri aetatem superare vidimus; cumque nulla vestigia sint unde appareat, quemadmodum Aeneam sic Alexandrum quoque in carminibus ullis quibus Achilles in Asia quidem, nondum vero contra Troianos pugnasse ederetur, memoratum esse, quibus ne ansa quidem dabatur huius rei quippe cum interfecisse Peliden Alexander e Thessalicis sciretur fontibus, illius autem mors eorum argumento aliena esset, veri simile est primum eos aliquo carmine quo Achilles Troianos oppugnasse fingeretur igiturque etiam Alexander in horum haberetur numero, propositos esse in Asia certantes Itaque quod in Iliade Hector moriens Achilli portendit (X 359 sq.) occisum eum iri a Paride, i. e. Alexandro, in Troiae porta

1) Hectors Abschied von Erich Bethe, apud Teubn. 1909 p. 14
2) p. 57.

Scaea, siquidem minus credibile est hoc ab Homero esse excogitatum, haustum videtur ex illius modi aliquo carmine. Quo eodem tendit quod inter ea quae in Iliade ad Patrocli mortem referuntur nonnulla sunt quae illinc deprompta esse videntur. Nam èt Achillem Apollinis ope praedicit Hector interemtum iri (l.l. quocum conferatur etiam Τ 417) èt Patroclo idem Apollo occurrit (Π 702 sqq.) in eiusque exitu non exiguas partes agit (Π 788 sqq.); qua in re optime ad Achillis personam quadrat, heroëm, qui ceteros omnes viribus superaret, necari non potuisse nisi antea eum deus, urbi quam ille oppugnaret praeses, armis exuisset, tum Achilles, ipse in porta Scaea casurus, Patroclum sibi apud animum proponit cecidisse ἐγχριμφθέντα (Τροίης) πύλῃσιν (Ρ 405), quod non vides quid poetam induceret ut excogitaret — cur enim Achilles suspicaretur Patroclum in Troiae porta versari, quem praefracte vetuit urbi appropinquare? — nisi fons e quo hauriret suppeditasset. Etiam miraculum tenebrarum quae offenduntur pugnantibus de mortui corpore (Ρ 368 sq. 644 sqq), et ploratus equorum immortalium (Ρ 426 sqq.) maiora fere erant quam quae convenirent sorti hominis mortalibus parentibus nati, neque aliter se haberent si ipsius Achillis non Patrocli mors ageretur; vinculum autem quo cum huius exitu illius iunctus est statim deinde insecuturus, nullo alio consilio inventum esse videtur nisi ut Thetidis eiusque sororum luctus (Σ 37 sqq.), cum in fonte heroëm iam extinctum deplorassent, in Patrocli causa adhiberi posset dum adscriberetur Achillis morti instanti [1]). Atque inde rursus — sponte, ut ita dicam — singularis amor quo in Πατροκλείᾳ ceterisque quae ab ea pendent — nam in prioribus Iliadis partibus minime apparet [2]) —

1) Matris nenia qualis fuerit si rogas, nihil desiderabis lectis vss. Σ 53—60. D. Muelder v. cl. sicut nos Achillis exitum Patrocli pro exemplari fuisse ratus tamen initio Thetidis ploratum qualis in Iliade legitur non filii mortem pro causa habuisse sed tum editum fuisse vult cum hic in bellum proficisceretur (l.l. p. 193 sqq.), Achillem autem cecidisse in oppugnanda urbe Dardania (p. 221, 255). Quas coniecturas nullo fundamento niti arbitror.

2) Partes iam aliquas non exiguas egisse Patroclum in carminibus antiquissimis de bello Troiano a Graecis gesto duce Aiace, vidimus supra p. 9 sq., hostes enim propulsasse a Protesilai nave iam ab eis incensa, et paullo post in eis persequendis occisum esse ab Euphorbo. Sed utrum primus eius nomen inde arripuerit Achilli cum comitem daturus Μήνιος auctor (quem a Πατροκλείας auctore separandum puto)

Patroclum Achilles amplectitur originem traxit, quippe enim quo copiam sibi faceret poëta Thetidis lamentationem inserendi requirebatur insignis filii ob mortem amici dolor quo permota accurrit ad eum consolandum. Postremo quod in Iliade Patroclus Achillis arma induit ut a Troianis pro ipso haberetur Pelide (Λ 798 sqq., Π 40 sqq.), qui hoc addidit — nam et hoc et omnia quae inde pendent altera manu Πατροκλείᾳ addita esse, propter complures causas alio loco exponendas persuasum habeo [1]) — vix in eam cogitationem incidisset nisi eum movissent multa e carmine quo Achillis exitus narraretur in Πατροκλείᾳ repetita. Ceterum, cum nihil vetet credere Thetidis, Nereïdum, equorum ploratum et caliginis miraculum in eodem carmine tradita esse quo contra Troianos pugnans occidisse traderetur Achilles, simul tamen, nescio quomodo, speciem movent etiam multo ante iam extitisse in Thessalorum carminibus antiquis mortem eum in patria obeuntem fingentibus, quippe ex eius origine et natura divina sponte consequentia. Iamvero quoquo modo hoc se habet, Alexandri quoniam imago quam supra diximus graviter armati pertinere videtur ad ea carmina quibus Achilles contra urbem Troiam bellasse est traditus, in quorum numero fuisse apparuit etiam carmen unde Ὁμιλία est hausta, in Iliade autem locus quo ea imago depingitur (Z 503—H 16) arte cohaeret cum Hectoris adhortatio fratris fratrumque in pugnam reditus atque sic cum ipsa Ὁμιλίᾳ, Bethio dandum videtur fieri posse ut haec omnia ex eodem carmine hausta sint. Sed fac ita esse, tamen quo vinculo ibi fratrum colloquium cum coniugum iunctum sit, quam causam eius attulerit poëta, omnino quid praemiserit, quem finem carmini statuerit prorsus latet. Nam Achillis exitum potius quam eodem hoc carmine alio aliquo eiusdem *κύκλου* editum esse credideris, nimirum id quod apud Romanos inter-

an carminum alicuius de quibus nunc agimus, sciri nequit, sed nihil vetat cogitare de Μηνίοσ auctore; saltem huic eum indicanti — ut fit A 307 — nomine mero patronymico non metuendum erat ne auditores non intelligerent quem vellet, atque etiamsi hi a nullodum cognovissent eum Achillis comitem esse, e contextu satis perspicuum erat pro tali eum e mente poëtae habendum esse.

1) Supra iam monui (p. 299 in ann.) maxime propterea armorum mutationem inventam videri ut antiqui carminis quo Vulcani ageretur Achillis armorum fabricatio, usurpare liceret argumentum, unde ὁπλοποιία hausta est.

dictum erat, ne lex satura ferretur, idem, ut in alia causa, in carminibus epicis antiquis condendis valuisse censendum est, materiem adeo uberem et variam nullo vinculo nisi quod tota ad bellum Troianum spectaret colligatam, non uno eodemque carmine fuisse comprehensam. Nam quo tempore carmen nostrum pangeretur non ab Achille Hectorem, sed ab Aiace interfectum cecinisse poëtas, nedum Helenae raptum ad bellum Troianum retulisse, si rite demonstravimus in superioribus, concidit Bethii coniectura suspicantis opponere poëtam voluisse Hectoris amorem coniugalem, pietatem in patriam, fatum sinistrum ab Achille instans, fratris adulterio, levitati, fortunae secundae in Achille occidendo, qua in re praeterea τὸ ἠθικὸν consulto enuntiatum (Teutonice „die Tendenz") a poesi epica alienum videtur. Itaque potius quam de uno carmine, aut de duobus aut de tribus eiusdem κύκλου carminibus cogitandum erit, de tribus enim si fratrum quoque colloquium proprio carmini adscripseris, de duobus si hoc aut ex eodem atque coniugum, aut ex eodem atque Achillis in porta Scaea interitus haustum censueris [1]).

1) Bethe etiam mulierum pompam quam habet liber Z, ex antiquo aliquo carmine receptam esse censet, ex alio tamen atque coniugum colloquium et ea quae cum hoc coniungenda esse arbitratur v. cl. ad Paridem et Helenam pertinentia. At Leeuwenio assentiendum videtur demonstranti (Mnem. 1910 p. 349 sqq.) non esse cur illam ab auctore libri Z excogitatam esse negemus. Triplicem causam affert Bethe. Primum hanc quod cum unice Heleni mandatu Hector matrem iubeat matronas ad Minervae delubrum cogere, vestem pretiosam deae dono dare, supplicare ut Diomedem perdat, tamen mentionem ad matrem non facit Heleni, alteram quod Minerva preces non audit, tertiam quod ne satis quidem causae est in praecedentibus cur praecipue Diomedi exitium imprecentur matronae quippe qui Martem quidem vulneraverit neque tamen Troianos etiamnunc victores fugaverit. At ante quam Mars in aciem prodiit magnam Troianorum stragem ediderat Diomedes itaque vehementer metuendum erat ne, deo vulnerato, magis etiam saeviret, praeterea recte vLeeuwen: eo quod Troianorum praeses et dux vulneratus erat ipsi erant profligati neque ea res poetae verbis egebat. Heleni autem consilium a poeta negligentius haberi — ne magni id faciant auditores ipse cavet cum vatem, quamvis οἰωνοπόλων ὄχ' ἄριστον, non ab Apolline monitum fingit sed αὐτὸν γνόντα — facillime ferimus tenentes unice inventum esse ob duas rationes aptissime iunctas, èt ut Paris in aciem reduceretur qui post fugam e certamine cum Menelao tamen reducendus erat èt ut veteris carminis vel veterum carminum materies adhiberi posset, itaque etiam ipsas matronarum preces in hac re minoris momenti esse quae tamen non poterant omitti cum ob eas consilium datum esse videretur. Etiam ea quae Bethe affert quo ostendat matronarum pompam et coniugum colloquium, cetera, non ab eodem poëta inventa esse, quoniam aliis argumentis usus supra demonstrare conatus sum quae ea sint quae auctor libri Z antiquis

In eo autem carmine quodquod fuit, quo primum Alexander Troianus fingeretur, simul eum Hectoris fratrem esse fictum conspicuum est, nam haec una res sufficiebat ut illud etiamsi novum esset facile intellegeretur.

Praeter carmina quorum vestigia adhuc persequi tentavimus nulla alia unquam extitisse quibus Achilles contra Troianos pugnans proponeretur, quis contendere audeat? Ab altera parte statuere licet inter ea quae cum ab initio sint edita aut carminibus antiquissimis, quae nullasdum Achillis res gestas casusque extra fines patriae Thessaliae collocarent, aut carminibus paulo recentioribus quae eius expeditiones in Asiam contra Dardanos aliosque populos, nondum vero contra Troianos celebrarent, ex Iliade ad nostram cognitionem pervenerint, nihil esse quod non aut in eorum carminum Achillem Troianorum hostem proponentium quae nobis eruisse videmur, argumentis commemoratum esse potuerit aut recta via ab Homero ipso ex illis vetustioribus petitum. Quod non opus erit pluribus demonstrare quoniam cuique ea consideranti statim apparebit rem ita se habere. Etiam quod supra vidimus [1]) Achillis proelium adversus Xanthum flumen Troianum, fieri posse ut derivatum sit ab eiusdem cum amne Satnio vel Satnioente, qui urbem Pedasum ab eo captam allueret certamine — quod suspicati eramus latere in Aiacis minoris pugna adversus Satnium Enopis filium — credibile videtur illam fluviorum permutationem deberi Μάχης παραποταμίας auctori, hunc enim, cum ex antiquo carmine cognitum haberet adversus Satnium pugnasse Achillem, in Xanthi autem ripis eum Troianos opprimentem depicturus esset, sic in cogitationem incidisse ipsum fluvium indigenam contra hostem evocandi.

Achilles postquam vidimus quas partes in bello Troiano egerit

---

fontibus debuerit, hic satis habeo animadvertere a Leeuwenio me iudice redargui. Ben. Niese v. cl. (die Entwicklung der Hom. poësie), versum Z 311 ἀνένευε δὲ Παλλὰς Ἀθήνη" insiticium esse censet (p. 77 A 2), Diomedis vulnus ei ab Alexandro illatum Λ 310 sqq.) initio cum huius cum fratre in proelium reditu cohaesisse arbitratus (l.l. p. 81). Quam rationem praeposteram duco quippe quae nullo nitatur fundamento. At inquit Niese non propterea, credo, Hector Alexandrum reduxit ut hic nihil efficeret. Nihil ergo, quod Troianis laborantibus lucem faciebat nonnullosque interficiebat ex principibus? Non ita iudicavit Minerva H 17 sqq.

1) p. 290.

iam ante Homeri tempora celebratas, idem considerandum est de ceteris Thessalorum heroïbus. Et Alexandrum quidem iam apparuit nonnullis e carminibus quae modo persecuti sumus simul cum Achille in bellum Troianum inductum esse; praeterea èt Alexandrum, cum Paride in unam personam iunctum èt Machaonem èt Philoctetem alio loco demonstrabimus veri simile esse iam ante quam ab Homero eius belli socios esse factos carminibus quorum argumenta pro fundamento haberent carmina Peloponnesia. Ex Achillis autem comitibus militibusque in Iliade commemoratis quosnam censeamus ab Homero ipso excogitatos esse supra indicavimus [1]), e ceteris quinam ex antiquissimis Thessalorum carminibus aut ex iis carminibus quibus Achillis expeditiones Asiaticae nulladum Troianorum ratione habita ab Homero primo transsumti sint, qui vero iam ante Homeri aetatem in eisdem carminibus sint memorati quibus Achilles Troianorum hostis fingeretur, parum statuere licet. In his carminibus eius aurigam sive eum Automedontem vocas, sive Alcimedontem, sive Alcimum, non defuisse veri simile est, ceteris neque ulla necessitas videtur cur singulis idem tribuas, neque cur cunctis deneges. Porro matrem vix credibile est defuisse, patrem minime certum, Chironem quoque incertum. At Patroclus ne inter Achillis comites quidem a quoquam ante Homerum receptus esse videtur, de qua re supra egimus [2]); eius cum Sarpedone certamen e nullo antiquo fonte in Πατροκλείαν insertam esse posthac ostendere conabor. Postremo ex eis Thessalorum heroïbus quales sunt Lapithae, Eurytus, Eumelus atque Admetus [3]) quibus neque in ullis carminibus ulla ratio cum Achille intercessit, neque ullus locus videtur fuisse in eis carminum κύκλοις quibus ille celebraretur, nemo ab ullo poeta socius factus est belli Troiani si discedis ab Eumelo et Leonteo ac Polypoete. Hos vero nulla est causa cur ab ullo ante Homerum ad id bellum arcessitos esse censeas, ne veri simile quidem esse supra vidimus eos laudatos fuisse Thessalorum carminibus. Ceteros ab Homero ex his carminibus citatos esse consentaneum est.

Poetarum autem patriam quorum carmina in superioribus

---

1) p. 62 sq. 2) p. 64. 3) Vide supra p. 15.

persecuti sumus quae fuerit si quis rogat, responsum in expedito esse videtur. Nam non tantum eos qui primi vel bellum Troianum cantaverint vel expeditiones Graecorum Lesbum inque vicinum Asiae continentem ductas, sed etiam qui harum expeditionum quem haberent fortissimum ducem Achillem, cum comitibus hostibusque in illius belli societatem adsciverint, non in Europa sed in Asia extitisse ipsa fert ratio, sponte enim factum esse ut cum antiquissima carmina de illo bello condita vulgarentur, in Aeolide prima eorum materies misceretur cum materie carminum quibus celebraretur Achilles. Drerup („Homer" p. 114 sqq.) iam antiquissimis de bello Troiano carminibus unice Achillem laudatum esse ratus — nullam enim rationem habet vir clarissimus carminum quae Aiacem solum ducem Graecorum haberent — neque haec distinguens a carminibus quibus agerentur expeditiones Lesbum cett. emissas, auctores in Thessalia vixisse censet. Sed ut cetera mittam quibus ne verbo quidem iam opus est, ecquis non videt utrum verius sit in patria antiqua cantata esse quae procul ab ea gesta essent ab iis qui novam patriam quaererent, an ab horum posteris qui habitarent ipsa loca ubi gesta proponerentur?

c. *Qui heroës e carminibus Peloponnesiis in fabulam Troianam recepti sint.*

In belli Troiani scenam e fontibus Peloponnesiis provenisse videntur Agamemnon, Menelaus, Helena, Paris, Nestor, Ulixes, Diomedes, Pandarus, tum Aeneas quem tamen, id quod supra ostendimus, non his solis fontibus fabula de bello Troiano debet. Busolt v. cl. [1]) eumque secuti Beloch [2]) et Cauer [3]) vv. cll. sumserunt Agamemnonem et Menelaum antequam a poetis in Peloponneso collocarentur in numero fuisse heroum Thessalorum. Ad quam sententiam probandam quae Busolt et Beloch attulerant Cauer repetivit et auxit. Qui primo loco hoc [4]): neque ab Atridis seiungi posse fabulae de bello Troiano rationem antiquissimam, neque hanc a Thessalia. Sed utrumque et posse et debere nobis

1) Gr. Gesch. I² p. 223. 2) Gr. Gesch. I p. 517.
3) Grundfr. der Hom. Krit.² p. 223 sqq.
4) l.l. p. 223, 541.

videmur ostendisse in superioribus [1]). Quo simul refutatur quod addidit Cauer [2]), Aulidem portum Boeotorum unde Graeci contra Troiam profecti essent Agamemnonem demere Peloponneso. Supra vidimus [3]) ab initio narratum Boeotos duce Aiace inde profectos, non Agamemnonem. Tum: poëtas e Peloponneso oriundos, cum Thessalorum carmina cognoscerent quibus Argos Thessalicum resque gestae heroum ibi cultorum spectarentur, errore nominis ea retulisse ad suum Argos. Hoc sic probat v. cl. [5]) ut ostendat triplicem apud Homerum nominis huius usum quo indicetur regio Thessalia, regio Peloponnesia, Graecia tota. At triplex hic usus cur nominis errori debeatur cum tamen utraque regio ὁμώνυμος re vera extiterit, nemo videt [6]). Porro [7]): Pelopem Lesbo oriundum, cuius posteros e Thucydide (I 9) et Theopompo (Schol. Λ 38) apparere, vix contigisse historicis ut vindicarent inter reges Argivorum Peloponnesiorum. His verbis Cauer speciem movet quasi Thucydides et Theopompus ex insula Lesbo Pelopidarum duxerint originem, quo nihil minus verum est [8]). Quod autem Pelopem ex Asia oriundum statuit Thucydides secutus Hellanici 'Αργολικά [9]), idemque sensisse Theopompum apparet [10]), nihil ad rem [11]). Postremo Cauer [12]): in Iliade Me-

1) p. 6. 2) l.l. p. 224. 3) p. 8.
4) p. 229. 5) p. 226 sqq.

6) Quod non tantum regio Thessalica sed Peloponnesia quoque ἱππόβοτος dicitur nemo negat fieri posse ut debeatur errori.

7) l.l. p. 230.

8) De Lesbo Thucydides ne verbum quidem, Theopompus tantum hoc: Pelops cum Pisam in Peloponneso sitam iter faceret Hippodamiam Oenomai filiam in matrimonium petiturus, prope Lesbum Cillum eius aurigam mortuum esse, quo ibi sepulto aedem consecrasse Apollini Cillaeo et urbem condidisse, quam Cillam appellaret.

9) C. Mueller fr. h. g. 42 cf. U. Köhler. Archaeol. des Theop. p. 8.

10) Vide supra ann. 8.

11) Praeterea luculenter demonstravit C. Robert v. cl. (Bild und Lied p. 187) hanc originem Asiaticam post Homeri aetatem inventam esse. Si vero quis inde quod Penthelidarum gens quae Mytilenae, Cleuadarum et Maloidarum quae Cymae imperabat, Agamemnonem professa est generis principem (Arist. pol. VIII 8. 13), quoniam Graeci qui haec loca habitabant e Thessalia profecti erant etiam Agamemnonem efficeret inde oriundum esse, egregie falleretur. Nam origo Thessalica e Lesbiorum cett. lingua efficitur, sed gentes illas professas esse se e Peloponneso oriundas esse apparet quia Hellanicus, ipse natione Lesbius, id totidem verbis dicit (cf. Mueller. f. h. g. I 60. fr. 114 IV 632 a, sq.). Neque dubium quin ipsa origo a Mycenarum rege quam sibi arrogavissent, eos induxerit ut e Peloponneso se oriundos perhiberent.

12) l.l. p. 231.

nelai sedem taceri, eandem videri atque Agamemnonis, Mycenas autem nonnisi recentioribus Iliadis locis huic adscribi. Demus ita esse et inde sequi ut ab initio Agamemnoni alia tributa sit patria, neutiquam sequitur ut haec fuerit Thessalia.

Caret igitur Caueri cett. sententia etiamsi rem per se spectas omni *πειθανάγκῃ*. Sed non desunt quae omne dubium tollant quin tam Agamemnonis, quam Menelai et Helenae sedes ante Homeri aetatem habita sit Sparta vel Amyclae fuisse. Eos ab initio èt aliis locis èt apud Lacedaemonios inter numina habitos esse non obscurum est. Nam Chaeroneae divino honore colebatur stipes (*δόρυ*) quem Agamemnonis sceptrum fuisse dicebant — „*θεῶν δὲ μάλιστα*" inquit Pausanias (III. 9. 10) „*Χαιρονεῖς τιμῶσι τὸ σκῆπτρον*" — quod revera pristinum dei vel daemonis Agamemnonis signum fuisse satis perspicuum est. Tum diversis Graeciae locis ferebant puteos fodisse Agamemnonem [1]), quorum aquae, cum pars saltem tradantur medicatae fuisse, apparet hic agi de numine fontium salutarium praeside. Spartae autem Iuppiter *ἐπιθετικῶς* Agamemnon dicebatur [2]), quod quid alibi sibi vult nisi numen aliquod *ἐπιχώριον* cum summo deo in unum numen abisse? Atque Menelao et Helenae Isocrates (Hel. Enc. 10. 63) suis etiam temporibus sacrificatum esse testatur Therapnis

---

1) Eustath. Il. 461. *περὶ Ἀττικήν φασι καὶ ἐν Αὐλίδι καὶ πολλαχοῦ τῆς Ἑλλάδος τὸν Ἀγαμέμνονα φρέατα ὀρύξαι* et eisdem verbis Hesychius (*Ἀγαμέμνονος φρέατα*) et Zenob. prov. qui addit (*Ἀγαμ. φρ.*): *ἐπὶ τῶν μεγάλων ἔργων*; praeterea Philostr. her. 2. 18 p. 691; Ol. 84 Boiss.; Agathias Anth. Pal. 631, qui fontes salutares *Ἀγαμέμνονος λουτρὰ* dictos prope Smyrnam extitisse referunt; cf. Strab. XXIV. 635.

2) Clem. Alex *Προτρ.* 238 *Ἀγαμέμνονα γοῦν τινα Δία ἐν Σπάρτῃ τιμᾶσθαι Στάφυλος ἱστορεῖ*, Eustath. Il. p. 568 *δοκεῖ εὐλόγως παρὰ Λάκωσι Ζεὺς Ἀγαμέμναν ἐπιθετικῶς εἶναι.* (Putat noster propterea Iovem cognominari Agamemnonem quia uterque sit *εὐρὺ κρείων*, quod non opus est refutare); Lycophr. Alex. 225 *ὁ δ' ἀμφὶ τύμβῳ Ἀγαμέμνονος δαμείς* cum ann. Is Tzetzae *οὗτος* (i. e. Priamus) *ἀμφὶ τύμβῳ καὶ ναῷ τοῦ Ἀγαμέμνονος Διὸς ἤτοι τοῦ Ἑρκείου Διὸς δαμασθείς κ.τ.λ.* . . . *Ἀγαμέμνων δὲ Ζεὺς ἐν Λακεδαίμονι ἀλλ' οὐκ ἐν Τροίᾳ ἐτιμᾶτο* (nimirum Lycophron cum vellet „Iovis ad aram", sesquipedalia captans verba „Iovis Agamemnonis ad aram" dixit), 1124 *ἐμὸς* (i. e. Cassandrae) *δ' ἀκοίτης δμωίδος νύμφης ἄναξ* (i. e. Agamemnon) *Ζεὺς Σπαρτιάταις αἱμύλοις κληθήσεται*; 1369 *πρῶτος μὲν ἥξει* (Agamemnon) *Ζηνὸς τοῦ Λαπερσίω ὁμώνυμος Ζεύς.* (Quod in ann. addit Tzetzes „*Λάπερσαι δῆμος Ἀττικῆς* in eo fallitur, nam 1571 Lycophron Dioscuros vocat *δίπτυχας Λαπέρσας.* cf Strab. VIII. 964, et apud Steph. Byz.: *Λάπερσαι* dicitur a Didymo Laconiae urbs, a Rhiano Laconiae mons.)

in vico Laconiae prope a Sparta sito idque *οὐχ ὡσ ἥρωσιν ἀλλ' ὡσ θεοῖσ ἀμφοτέροισ οὖσι.* [1]). Pausanias autem auctor est (II. 22, 7) Argis aedem Lucinae ab Helena conditam esse et (III. 19. 10) Rhodi aedem fuisse Helenae Dentritidis [2]) et (VII. 23. 4) Caphyis in vico Arcadiae platanum a Menelao consitam fuisse prope fontem, cui utrique nomen Menelaïdi, aliis verbis fontem illum platanumque sacra fuisse numini Menelao. Praeterea divinam Helenae et Menelai naturam probat illius pater Iuppiter et fratres Dioscuri, huius conubium cum Iovis filia initum et immortalitatis honor ei fato decretus (δ 561 sqq.). Unde facile quoque intelligitur Helenae raptum initio pro argumento fuisse mythi cuiusdam ex eius cultu derivati, quod ita se habere confirmant variae huius mythi formae primarias eius rei partes deis adscribentes. Nam praeterquam a Paride Helena èt rapta esse traditur a Theseo, reducta autem a Dioscuris èt abducta a Mercurio qui eam in Aegyptum absportavisset. Atque de divina tam Thesei quam Dioscurorum natura nemo dubitat; quapropter de Paridis quoque non aliter iudicandum erit [3]). Iamvero sicubi Helena quoque in mulierem mortalem conversa est, nulla alia ex sede nisi Lacedaemone eam abductam esse quisquam, quantum scimus narravit. Quocum convenit eius maritique cultus Therapnis, quodque in Odyssea, ut apud omnes recentiores, Menelaum regem Spartae fuisse legimus. Itaque ea materies cum in belli Troiani reciperetur fabulam, e fontibus Peloponnesiis videtur recepta esse. Agamemnon autem, cum quo tempore Helenae raptus et reductio inter res divinas ageretur nihil sit cur dubitemus quin iam in ea re aliquas partes egerit — Helenam enim ut a Theseo raptam reduxerint gemini Dioscuri

---

1) Cf. etiam Athenag. 14 p. 15 Schw. *Λακεδαιμόνιοι (ἵδρυνται θεὸν) καὶ θύουσιν αὐτῷ καὶ ἑορτάζουσιν*, Polyb. V. 18. 22; Liv. XXXIV. 28. 7 Menelai sacellum Spartae commemorant.

2) Utramque tam Lucinam quam Dentritidem aliis nominibus fuisse deam Lunam ostendit Usener v. cl., (Götternamen p. 239, der Stoff des Gr. Ep. p. 12).

3) Gruppe l.l. cohaerere censet *Πάριν* et *Πάρειαν* i. e. „die Schlange in welcher wohl der Erdgeist eines chthonischen Heiligthumes gedacht worden" (p. 232) „Nach ihrem Namen ist Paris genannt der Gemahl der heilkundigen Helene" (p. 305) „Ursprünglich bedeutet Helena in diesem Artemis-Dionysos Kult den mystischen Korb in welchem die *ἄρρητα* getragen werden, d. i. wahrscheinlich die heilige Schlange (*πάρεια*)" (p. 163) cf. praeterea pp. 312, 634.

sic a Paride raptam reduxisse geminos Atridas par est — sequitur ut ipse quoque ex illo fonte in bellum Troianum adscitus esse censendus sit. At vero ipsam hanc ob causam, cum praesertim viderimus eum etiam Spartae inter numina cultum esse, suspicio nascitur postquam inter mortales relatus sit, in Laconia habitantem esse fictum a poëtis antequam collocaretur ab iis Mycenis. Hanc autem suspicionem ultro confirmare et probare licet non levibus argumentis. Nam legimus apud Herodotum (VII. 39) Gelo Syracusanorum tyrannus cum auxilium contra Xerxem Graeciam invadentem ita promitteret si ad se summa belli deferretur, Syagrium Laconem qui ad eum missus esset legatus, exclamasse „ἦ κε μέγ' οἰμώξειεν Ἀγαμέμνων Σπαρτιήτασ τὴν ἡγεμονίην ἀπαραιρῆσθαι ὑπὸ Γέλωνοσ καὶ Συρακοσίων. Quo accedit quod etiam Stesichorus, Simonides, Pindarus eum Spartae vel Amyclae imperasse voluerunt [1]), Pausanias autem tradit [2]) Amyclis eius fuisse tumulum. Vulgo inde efficitur Spartanos cum Peloponnesi principatum adepti essent, ne iure belli magis quam hereditate eum habere viderentur palam sic egisse quasi Agamemnon, quem ex Homero efficerent ceteris Peloponnesiis praefuisse regibus in sua patria resedisset [3]). Sed Stesichori temporibus principatum Peloponnesi Spartani nondum affectabant, praeterea autem etiam Tarenti, quae colonia iam exeunte saeculo VIII a Chr. n. a Spartanis deducta est Agamemnonidis dies sacer fuit [4]). Praeterea credibile non videtur Spartanos in-

1) Schol. Eur. Orest. 46 (Berck. Poet. Lyr. Gr. III[4] p. 523): Ὅμηροσ δὲ ἐν Μυκήναισ εἶναι τὰ βασίλεια τοῦ Ἀγαμέμνονοσ Στησίχοροσ δὲ καὶ Σιμωνίδησ ἐν Λακεδαίμονι, Pind. Pyth. XI. 32 θάνεν μὲν αὐτὸσ ἥρωσ Ἀτρεΐδασ ἵκων χρόνῳ κλυταῖσ ἐν Ἀμύκλαισ cf. Pyth. XI. 6. ἐν ἀφνειαῖσ ἀρούραισι Πυλάδα νικῶν Λάκωνοσ Ὀρέστα Nem. XI. 34 Ἀμύκλαθεν γὰρ ἔβα σὺν Ὀρέστᾳ.

2) III. 19. 6.

3) Vide Stein. v. cl. in ed. Herod. ad VII. 39.

4) [Arist.] mir. ausc. 106 p. 840a 8. Wernecke (Agamemnon apud Pauly. Wiss. Suppl. B) hunc honorem censet eis decretum fuisse propter laudes Agamemnoni ab Homeri impertitos quod viro cl. dare non possum (vide ann. seq.). Sed fac ita esse, tamen hoc immotum manet Spartanos tum cum colonia deduceretur non dubitasse quin apud se regnasset Agamemnon. Cauer l.l. p. 232, 328, quaecunque naturam divinam Agamemnonis et Menelai probent post Homeri aetatem censet inventa esse cum homines assuevissent „den Heerkönig der Ilias als Gott an zu sehen". Quid inducere potuerit homines ut ex Homero efficerent Agamemnonem re vera non hominem sed deum habendum esse non facile quisquam perspiciat. Sed nititur Cauer sententia quam edidit E. Rohde

vito Homero Agamemnonem suae patriae vindicaturos fuisse nisi antiqua aliqua fama niterentur. Haec igitur fama ante Homeri aetatem orta erat, et revera apud ipsum Homerum aliqua eius

---

v. cl. in libro nobilissimo cui titulus Psyche. Rohde enim quamquam causam Atridarum non tetigit universe statuit perpaucos heroës eosque nonnisi qui ab initio locis subterraneis habitare crederentur inter numina habita esse antequam inter homines, cum vero antiquissimis temporibus animae mortuorum cunctae in daemonum numero haberentur, post Hesiodi aetatem ex his coeptos esse heroës audiri — idque alio sensu quam quo Homerus et Hesiodus hac voce usi essent, quibus heroës essent insignes bellatores, nihil amplius — quicunque honore sacrorum solemnium afficerentur; quod iis obtigisse propter gloriam rerum gestarum sive verarum sive fictarum, potissimum autem si auctores nobilium generum haberentur, praeterea postero tempore etiam nonnullis quos vel oraculum Delphicum vel civitates suae quamlibet ob causam, velut coloniarum *οἰκιστάς*, in eum honorem adscivissent. Itaque si iam rogatur quid homines induxerit ut eos mortales quorum animas heroico cultu dignarentur ingentia facinora perpetrasse crederent, imprimis quam rationem secutae sint nobiles gentes in generum auctoribus sibi eligendis, nihil hic requiri censet Rohde quod non partim alicui verae memoriae, partim poëtarum ingenio debeatur. Verum ea ipsa quae de singulis heroïbus narrentur sive qui epicis carminibus laudati sint sive qui minus, eorum res gestas, casus, dotes corporis vel ingenii, proprietates, origines, complurium etiam ipsa nomina ut Admetus, Adrastus, Augias, Iasus, Iatrus, alia, naturam quandam prodere divinam, ita ut appareat tantum non omnes heroës, si discedas ab his quos vel oraculum Delphicum vel suae civitates ei numero addiderint, ab initio inter numina habita esse, èt alii vv. dd. et imprimis Usener v. cl. (Götternamen, der Stoff des Gr. Ep.) luculentissime demonstraverunt, quorum sententiam amplexi in superioribus de Aiace, Achille, aliis ita censuimus, eaque ipsa quae huc de Atridis Helenaque attulimus rem confirmant. O. Berthold v. d. (die Unverwundbarkeit in Sage u. Aberglaube der Gr. p. 1) quasi ea quae hic disseruimus iam diu refutata et obsoleta sint haec iactat „zu den Zeiten als man überall herabgesunkene Götter sah". Sed aliud est magnifice loqui aliud tua dicta probare. Nihil ex iis quae Usener, Ed. Meyer, vLeeuwen (cf. opus cui titulus „Boogschutter en Weefster", Leiden Sythoff 1904), Schwartz, Roscher permulti alii viri docti in hanc sententiam quam spernit Berthold argumentati sunt is redarguit, neque quisquam redarguere poterit. Ad divinam Aiacis naturam demonstrandam Vuerthemium in primis eius *ἀτρωσίαν* attulisse ait Berthold, quam ad illam demonstrandam nullius momenti esse sibi ostendisse videtur. Hoc mitto. Sed praeter *ἀτρωσίαν* satis multa alia attulit Vuertheim quibus sententiam suam probavit. Cum autem etiam vWilamowitz-Moellendorf v. cl. (Herakles[2] I p. 35) non sine contemtu dicat „wenn es denn wahr ist" — quod negat v. cl. — „was so viele als ein Axiom betrachten, das die heroën denaturirte Götter seien" ipse parum veri similiter Herculem vocat (p. 40): „ein paradigmatisches Wesen bestimmt das sittliche Ideal der Zeit zu verkörpern", quasi credibile sit antiquissimis temporibus „ehe die Einwandrer (i. e. Dorum gens) die alt Hellenischen landstrichen betraten" (p. 44) homines sibi effinxisse imaginem perfecte morati viri qui post cetera facta ingentia Orcum vicisset — „den Tod sucht es sich selber auf in seiner Höhle" (p. 56) — viamque in coelum — „nach dem Göttergarten" (l. l.) sibi munivisset.

vestigia cernimus. Nam δ 54 legimus ἀλλ' ὅτε δὴ τάχ' ἔμελλε (Ἀγαμέμνων) Μαλειάων ὄρος αἰπὺ ἵξεσθαι, τότε δή μιν ἀναρπάξασα θύελλα πόντον ἐπ' ἰχθυόεντ' ἔφερεν. Itaque usque ad promontorium Maleas rex a cursu non deflexit. Mycenasne iter faciens? Imo Lacedaemonem vel Amyclas [1]). Atque eodem tendit quod septem illae urbes quas in Iliade idem Achilli se daturum pollicetur, omnes sitae erant (I. 149 sqq.) ἐγγὺς ἁλὸς νεάται Πύλου ἠμαθόεντος i. e. in confiniis Laconicae. Iamvero quod antequam in Odyssea nusquam invenimus Menelaum Spartae regnantem, consentaneum erat, si quidem frater ibi regnasse crederetur, ipsum donec is a poëtis Mycenas transportaretur, regno proximum, non ipsum regem habitum esse, quin etiam postea aliquamdiu perseveratum esse in opinione Agamemnonem quamvis Mycenis resideret, terram Laconicam quoque sub dicione tenuisse sua. Causa autem transportandi haec fuisse videtur quod, sicubi Helenae raptus coniungebatur cum bello Troiano, vix aliter potuit quin huic praefuisse fingeretur illius patriae rex. Nam facillime fiebat, cum praesertim plures etiam Peloponnesiorum heroës, Nestor, Ulixes, Diomedes ad id bellum arcesserentur, ut summus dux crederetur omnium regum Graecorum potentissimus; inde autem sponte sequebatur ut pro Lacedaemone vel Amyclis, urbs Mycenae pristina gloria illustris unice digna haberetur ubi eius collocaretur sedes.

Ut Agamemnonis ac Menelai, sic Nestoris quoque originem Cauer Thessaliae adscribendam putat [2]), idque in primis propterea quod in Odyssea (λ 235—256) Neleus Pyli rex, qui in Iliade Nestoris pater est, natus esse legitur simul cum fratre Pelio Iolci rege, parentibus Tyro, Crethei Aeoli filii uxore, et Neptuno eam specie Enipei fluminis, quam illa amaret, amplexo, quae

---

1) Suspicio in promptu est necem Agamemnoni ab uxore paratam multo ante narratam fuisse quam rex ipse dux proponeretur belle Troiani, idque si ita est, auctor loci δ 54 sqq. hausit e carmine quo ab alia expeditione quaequae fuit, revertisse narraretur, et hoc quoque quod die Agamemnonidis Tarenti sacro (vide ann. 4 ad p. 31) mulieres a sacris prohibitas esse legimus, antiquissimam habet originem. Quid si censeas aliam nos hic habere formam eiusdem fabulae qua Helenae raptus ageretur? Ut in Odyssea Agamemnonis, sic in Cypriis Menelai absentis uxorem adulter domum suam absportat; ut Helenam maritus cum leviro reducit, sic Clytaemnestram filius cum amico ulciscitur. Similitudo maior fere est quam ut deneges communem originem.

2) l.l. p. 233 sqq.

cuncta nomina Thessaliam spectant. Addit v. cl. quod passim Nestor apud Homerum audit γερήνιος ἱππότα, vocis ἱππότα formam deberi dialecto Aeolicae, γερήνιος autem fortasse cohaerere cum nomine urbis Gerenis in insula Lesbo sitae. Sed Neleum Pyli regem, id quod ostendit Ed. Meyer [1]), initio alio nomine Orcum fuisse inde apparet quod cum E 395 Hercules dicatur Orcum vulnerasse ἐν Πύλῳ ἐν νεκύεσσι, i. e. in inferorum introitu (cf. λ 276 εἰς Ἀΐδαο πυλάρταο κρατεροῖο), alio Iliadis loco (Λ 639 sqq.) idem Hercules narratur oppugnasse Neleum Pyli regem, inque tabula votiva Munychiae reperta exhibetur raptus Basilae cuiusdam, quae una cum Neleo sacellum Athenis habebat, et ceteroquin ignota ipsa ea tabula eadem fuisse ostenditur atque Proserpina [2]). Ex his efficitur ut inferorum tyrannus cum in hominem converteretur rex Pyli fuisse creditus sit, cumque non tantum apud Homerum ea urbs in Peloponneso collocetur, verum in Thessalia eam extare nemini unquam in opinionem venerit, sequitur ut non in hac regione sed in illa Neleus prius rex mortalis habitus sit, et ab auctore loci λ 235—256 vel quisquis eius fons fuit, matre, privignis, avo, fratre Thessalicis sit auctus aut, quod verisimilius est, qua de causa enim illud fieri potuerit nemo videt, ab initio duo fuerint Nelei, alter Peloponnesius, alter Thessalicus quos in unum coniunxerit auctor loci λ 235 sqq. vel eius fons. Revera autem ostendit Usener [3]) flumini caelesti („dem Götterstrom") ab initio fuisse nomen Neleo, quem tamen vir doctus nulla ratione habita alterius Nelei pro solo habuit [4]). Ex hoc in mortalem conversum Thessalicum illum ortum esse Neleum ostendit pater Neptunus fluminis Thessaliae Enipei specie eum procreans [5]). Sed Nestor a nullo umquam nisi regis Pylii

---

1) Hermes XXX 1895 p. 285 sqq.

2) l.l. p. 286.

3) Göttern. p. 12 sqq., St. des Gr. E. p. 8, Rhein. Mus. 53 Bd. 1898. p. 352 sqq.

4) Sacellum Nelei et Basilae manifesto minus recte Usener ad suum Neleum retulit.

5) Gruppe l.l. p. 153 ann. 1 „Neleus scheint Kurzform eines Kompositums dessen erster Bestandtheil finster, schwarz, bedeutete". Ad hoc probandum affert v. d. Neleum Aegypti flumen ab Hebraeis „schor" i. e. „atrum" dictum Graecis non tantum Νεῖλον sed etiam τὸν Μέλαν appellatum esse (Eusthath. O 222) et flumen Neleum in insula Euboea aqua sua ovibus colorem nigrum indidisse ([Arist.] mir. ausc. 170; Strab. X. 1. 14). Itaque Orcus fuerit „deus ater", flumen coeleste „flumen atrum". Ed. Meyer (l.l. p. 285) νηλεύς = νηλεής vel νηλής „inmitis" (ν-ελεης) esse vult. Usener vocem Νηλεύς

filius est habitus et quamquam latet qui factum sit ut huic Neleo filius Nestor sit additus, nihilo minus sive id alia de causa est factum, sive propterea, id quod minime absonum videtur, quod Pyliorum carminibus Nestor celebraretur iam antequam Neleus Pyli rex fictus esset, nulla saltem causa est cur credamus Nestorem iam antequam Pyli collocaretur inter heroës fuisse Thessalorum. De vocibus enim ἱππότα et γερήνιοσ quae attulit Cauer nullius pretii sunt. Nam vocem ἱππότα, quam nominativi formam sermo Aeolicus servavit, nihil vetat credere antiquo tempore etiam Ionibus in usu fuisse, nomen γερήνιοσ autem quod cohaerere suspicatur Cauer cum urbe Lesbia Gerene, Strabo [1]) et Pausanias [2]) ducunt ab urbe Laconica Gerenide (Gerena, Gerenia), Schol. ad B 336, Hesychius, Apollod. lexicon pro eodem habent atque γέρων. Nestor (Λ 260 sqq.) narrat se adfuisse proelio Lapitharum et Pherum quod nemo unquam in alia Graeciae regione nisi in Thessalia commissum esse tradidit, sed eo ipso quod senex nihil a se in illo fortius factum commemorat induceris ut credas eam rem nullis antiquis carminibus celebratam esse sed ab Homero inventam. Ab altera parte Nestorem Pyliorum carminibus iam ante Homeri aetatem celebratum esse apparet ex Homero ipso. Nisi credimus proelia Pyliorum cum Arcadibus cumque Epeis quae commemorantur H 132 sqq. Λ 670 sqq. ab horum locorum auctoribus e nihilo conficta esse. Satius erit statuere propterea Nestorem aetate provectum proponi, quod auditoribus ea proelia cognita essent quae cum non apte ad bellum Troianum referri possent — an licebat Arcades et Epeios numerare inter Troianorum socios? — necesse erat rem ita proponere ut ad tempora praeterita pertinerent, et heros qui in eis excelluisset interea senex esset factus. Muelder v. cl. censet [3]) propterea Nestorem a poeta in Iliadem receptum esse ut multa narraret quae modum excederent belli

---

Aeolicae deberi dialecto perhibet cum apud Iones sit Νειλεύσ vel Νειλέωσ. Sed inde quod recentior Ias habuit „Νειλεύσ" non sequitur ut antiquiore tempore non Ionibus quoque nominis forma fuerit Νηλεύσ. Praeterea tenendum est antiquissimo tempore tam Ionibus quam ceteris Graecis et „ē" et pseudodiphthongum „ei" signo ε indicatam esse.

1) VIII. 4. 4. 2) III. 21. 7.

3) l.l. p. 47 sq.

Troiani. Id non dixerim, potius credam Irae Cantorem idcirco eum induxisse ut partes ei tribueret quas in tragoedia recte monet Horatius choro proprias esse „ut consilietur amice, et regat iratos et amet pacare tumentis", quod officium quis potius quam senex praestaret? Sed in expedito erat sive eundem poëtam, sive alios qui eius poëma dilatarent ansam capere id ornandi materie antiquorum quibus de Nestore ageretur carminibus cum regem grandaevum ipsum narrantem facerent ea quae iuvenis fortiter egisset.

Praeter Nestorem, Atridas, Helenam, Paridem, etiam Diomedes unaque cum eo Aeneas pro parte eius in Iliade personae e carminibus Peloponnesiis in bellum Troianum inductus esse videtur. Diomedem Tydei filium iam apud Homerum patre Aetolo non Peloponnesio natum esse legimus (Δ 399, Ξ 115 sqq.); Tydeum cum auriga Capaneo perisse in bello contra Thebanos, eorum filios Diomedem et Sthenelum Thebas cepisse (Δ 497 Z 222 sqq. Ξ 114), quapropter recentiores omnes tradiderunt duplex bellum Thebanum. Tamen aliter res se habuit in fontibus antiquissimis. Nam uno loco quidem Iliadis (Ξ 120) Tydeo legimus nupsisse Adrasti regis Argivorum filiam, sed alio loco (E 414) eam duxisse Diomedem. Alterum qui primus tradidit manifesto alterum aut ignoravit aut negavit. Quid autem? Nemo unquam aut Adrastum a primo bello Troiano seiunxit aut Diomedem in eo bello perisse perhibuit. Is igitur qui primus hunc illius generum finxit fieri non potest quin unum modo bellum Thebanum sibi proposuerit. Idque factum est antequam Tydeus Adrasti gener haberetur. Nam non tantum quod Diomedem nemo unquam negavit in Adrasti habitasse vicinia — sic etiam Catalogus (B 559) quo solo loco in Iliade Diomedis sedes commemoratur — Tydeus contra ut illius filiam duceret, fuga ex Aetolia fingenda erat (Ξ 121), sed inde quod postea nemo dubitavit quin Tydeus fuisset gener quocum Adrastus Thebas oppugnatum isset, sequitur ut nemo unquam idem de Diomede narraturus fuerit nisi iam antea id narrasset. Verumtamen Diomedis res gestae contra Thebanos a nullo usquam commemorantur, sed ita in Iliade agitur, quasi nullae fuerint. Nam cum duobus Iliadis locis ei obiciatur ignavia in proelio contra Troianos, fortitudo in bello Thebano opponitur non ipsius sed patris, ab Agamemnone

Δ 372 spq., a Minerva E 800 sqq. Et in Δολωνείᾳ (K 283 sqq.) Minervam precatur heros non ita: „mihi adsis quemadmodum olim contra Thebanos affuisti", sed ita „quemadmodum patri affuisti". Mira haec si per se spectas sed forsitan liceat rem expedire. Tydei narratur legatio ad hostes suscepta, victoria in certamine ludicro, insidiae structae et evictae (Δ 385 sqq. E 802 sqq. K 281 sqq.), nullum facinus aliud. Veri similiter inde concludas nihil aliud Homeri temporibus de eo cognitum fuisse, illa autem argumento fuisse carmini singulari et aut Diomedi ipsi tributa esse antequam Tydeo, aut utrique. Hoc potius, siquidem explicandum erit cur apud Homerum Tydeo tribuantur. Sic igitur rem nobis proponamus: carmen illud ad bellum Thebanum non pertinens a Peloponnesiis ita cantabatur ut is ad quem referretur audiret Diomedes, ab Aetolis ita ut audiret Tydeus. Mox a Peloponnesiis coniunctum est cum bello quopiam inter Argivos et Thebanos quod revera gestum esse non est cur dubitemus. Sic autem Diomedes Adrasti regis Argivorum gener factus est qui cum eo vel eo interfecto Thebas cepisset; post autem extiterunt poëtae qui cum hoc cognoscerent cognitum iam haberent carmen illud quo legatio cetera tribuerentur Tydeo; hi igitur censentes pro Diomede Tydeum esse substituendum hunc Adrasti generum finxerunt et, quo ex Aetolia in Peloponnesum deveniret excogitaverunt fugam, denique sive ab eo qui primus Diomedem socium faceret belli *Troiani* sive ab alio post eum res ita composita est ut duo bella Thebana fingerentur, Diomedis autem et Tydei partes ita distribuerentur ut hic prioris ille alterius socius fieret, huic legationis quaeque cum ea cohaererent laus vindicaretur, ille quippe quem iam pervulgatum esset urbem cepisse Tydei filius diceretur eiusque comitis Stheneli pater Capaneus Tydei comes, patres autem perhiberentur priore bello interisse. Pater Tydeus coniunxit Diomedem cum Aetolorum heroïbus; sic ea genealogia oriri poterat quam refert auctor loci Ξ 114 sqq.; inde quod is neque fugae causam neque Tydei uxoris nomen edit, vides haec ad antiqua Aetolorum carmina non pertinere. Iamvero ad proelia inter Argivos et Thebanos cum praeter Diomedis et Tydei etiam plurium heroum iam ante celebratorum referrentur res gestae et casus, facile intellegitur duobis distinctis bellis prius horum magis idoneum visum

esse quocum haec coniungerentur, imprimis enim belli initia ansam dederunt inserendi heroës iam aliunde notos (cf. Δ 376), atque belli causae si quaererentur necesse erat has coniungere cum bello priore; in alterius igitur usum, cum eosdem non in utrumque bellum recipere liceret, confingebantur mera bellatorum nomina quibus nullae antiquae narrationes quasi adhaererent, tantum eo vinculo haec belli prioris principibus affigebantur ut horum progenies dicerentur, quemadmodum Diomedes et Sthenelus Tydei et Capanei. Itaque ne hoc quidem mirum, prius bellum semper novis imaginibus auctum et ornatum esse, alterum etiam postea a poëtis esse neglectum, Diomedis etiam fortia facta siqua ex antiquis fontibus praesto essent non ad hoc bellum esse relata sed ad bellum Troianum, quod multis poëtis curae esset.

Inter haec, e fontibus Peloponnesiis hausta, recensenda est Aeneae vulneratio quaeque cum ea cohaerent in libro E. Initio haec inter numina acta esse videntur. Diomedis naturam divinam produnt multa. Ex homine mortali deum immortalem a Minerva factum Pindarus retulit (Nem. 10. 7); in scholiis ad Pindarum (l.l.) legimus Arpis sive Argyrippae, Metaponti, Thuriis divino honore eum cultum; Porphyrius auctor est (de Abstin. 2. 54) Salamine in insula Cypro etiam recentiore tempore homines ei immolatos esse; Strabo tradit (V. p. 214 sqq.) prope flumen Timavum delubrum ei fuisse nobilissimum ibique a Venetis equos albos ei sacrificari solitos; inde autem quod equi ei sacri essent factum esse videtur ut narraretur, id quod in Iliade legimus, Aeneae ademisse equos divina stirpe (E 264 sqq., 319 sqq.), Rheso equos λευκοτέρουσ χίονοσ, θέειν δ' ἀνέμοισιν ὁμοίουσ (K 435 sqq. 476—502), utrumque vero èt hostias humanas èt equos deo Diomedi sacros prodit fabula de Diomede Bistonum rege [1]), quem solitum naufragos equis suis devorandos proicere Hercules simili exitio ultus esse dicebatur. Apud Homerum autem Diomedis divinitas magis etiam quam tantum non omnium qui in Iliade laudantur heroum perlucet. Loricam ei confecit Vulcanus (Θ 195), deos ἐναργέσ dispicit (E 127 sqq.), dea utitur

1) Eur. Her. 380 sqq.; Alc. 499 Hellan. fr. h. g. I 58, 98; Apoll. II 96; Strab. VII fr. 22.

aurigae loco (E 837 sqq.), etiam opprimit deos — quod ceteroquin si Achillis cum Scamandro proelium omittis, apud Homerum inauditum est — Martem et Venerem vulnerans (E 330 sqq. 827 sqq.). Suspicionem haec movent nos hic vestigia habere pristinae θεομαχίας [1]). Quamquam enim Veneris et Martis vulnerationes non ita cohaerent ut seiungi non possint, tamen quia in illa quoque Mars aliquas partes agit (E 355 sqq.), et ab Apolline qui idem Aeneam e periculo eripuit (E 344 sqq.) incitatur (E 454 sqq.) ut Diomedi obviam eat, par est cuncta eidem fonti adscribere simul cum Aeneae vulneratione (E 297 sqq.), e qua pendet Diomedis congressus cum Venere, et Pandari interfectione (E 290 sqq.) e qua illa pendet. Convenit quod Aeneae naturam divinam nostro loco prodit cura quam in delubro suo ei intendunt deae Latona et Diana (E 445 sqq.) quodque ipsa mater Venus eum tegit veste sua (E 311 sqq.), Pandarum autem initio deum Lucetium fuisse ostendunt pater Lycaon [2]) (Δ 89 E 101, 169) et patronus Apollo Λυκηγένης [3]) (Δ 101, 119) a

---

1) Legimus Z 12—19 Diomedem interficere Axylum quemdam insignem hospitalitate viae publicae accolam omnes viatores comiter recipientem, eiusque comitem Calesium, quae nomina luculenter demonstravit Usener (der St. d. Gr. E. p. 25 sqq.) initio fuisse inter ἐπικλήσεις Orci. Videntur haec quoque Diomedis divinam naturam prodere sed alia quaestio est sintne referenda ad θεομαχίαν nostram. Forsitan satius sit Usenero adstipulari sic iudicanti: „Die Göttersage war zum Märchen geworden, in dem sie aus dem Vorstellungskreis dem sie angehörte los gelöst war, die durchsichtigen Namen erinnerten den Dichter an nichts andres mehr, als unmittelbar in ihnen selbst ausgesagt wurde". Eodemque modo res se habere videtur de Caletore Apharei patre ab Aenea occiso (N 51).

2) „Schon Lobeck" (Path. Proleg. 280) „hat es ausgesprochen ... der Homerische Pandaros, das alter ego des Lykischen Apollo" (M. Mayer, Mythistorica, Hermes XXVI. 1892. p. 488). Gruppe (l.l. p. 919 sqq.) verba Λυκάων, Λύκειος, λύκαιος, λυκηγένης ad stirpem λυκο refert neque unquam aliam vim habuisse censet, nisi quae pertineret ad daemones qui luporum specie vagari crederentur (cf. etiam Ed. Meyer, Forschungen I p. 60 sqq.). Negari non licet extitisse apud Graecos ritus sacros et fabulas inde ortas, quibus appareret saepius numinibus luporum speciem esse tributam. Sed id ipsum debebatur confusioni stirpium λυκ et λυκο. Nam ipsa fama quae ferebatur (Paus. VIII 38. 6) in ἀβάτῳ Iovis Lycaei nulla de re umbram cadere potuisse, documento est vocem λύκαιος initio ad stirpem λυκ relatam esse quam stirpem ostendunt verba ἀμφιλύκη, λυκάβας, λευκός, λεύσσειν alia. Accedit quod vox λυκηγένης nonnisi contorte explicari potest „lupo vel lupa natus". An affert quisquam narratiunculam qualis extat in Schol. Δ 101 (A B D) Latonam a lupo ductam esse ad locum ubi geminos ederet?

3) Vide ann. super.

quo arcum accepisse ab Homero dicitur [1]). Iam vero *θεομκχία* nostra non aliter atque Diomedis partes in bello Thebano haud dubie debetur fontibus Peloponnesiis. In Thessalia Aeneam inter heroës Achilli hostiles esse habitum supra vidimus [2]), cultumque eius in Thessaliae vicinia fortasse spectat quoque nomen gentis Aenianum, quod Duemmler v. d. ab ipsius nomine separari non posse censuit [3]). Urbes Aenus in ora Thraciae [4]), Aenea cum promontorio Aeneo in sinu Thermaïco [5]), utrum cum eius nomine cohaereant an propter nominum similitudinem cum eo coniunctae sint, non diiudico neque ad propositum nostrum attinet. Sed in Peloponneso quoque cultus est. Nam Arcadiae oppida Aphrodisiadem, Etidem, Caphyas sive Capyas condidisse ferebatur [6]), inque urbis Sicyonis nummis eius imago prodit. In eadem urbe nomen eius patris comparet nam apud Homerum de Anchise quodam Echepoli patre, Sicyonio, fit mentio (Ψ 299). Anchisae praeterea antiqua vestigia non reperiuntur nisi in Peloponneso mons Anchisa prope Orchomenum, Arcadiae urbem, ubi is diem supremum obisse ferebatur, ibidemque *Ἀγχίσου μνῆμα* [7]). Accedit quod Anchisae pater Capys [8]) manifesto nomen suum debet oppido

---

1) Idem de Teucro refertur O 441, sed aliis verbis; de Pandaro dicitur „*αὐτὸσ ἔδωκε* (*Ἀπόλλων*)", de Teucro „*πόρε*" ubi arcum pro arte sagittandi stare puto. Ut Strophium Diana docuit *βάλλεμεν ἄγρια πάντα* (E 51), Phereclum *ὃσ χέρσιν ἐπίστατο δαίδαλα πολλά* (E 60) eo ipso apparuit „insigniter amare" Minervam (E 61). De Teucro vide supra p. 26 sq. — Etiam Hectori galeam *πόρε Φοῖβοσ Ἀπόλλων* (Λ 353). Hectorem antiquam *ἐπίκλησιν* Apollinis censuit Gruppe, de qua re supra egimus (p. 32).

2) Mnem. 1912 296.

3) In excursu ad opus Studniczkae v. d. cui titulus „Kyrene" p. 195.

4) Steph. Byz. tres eodem nomine urbes appellat in Thracia Thessalia Locride sitas. Aenum a Thracibus habitatam legimus Δ 520.

5) Hell. fr. h. g. Car. M, III. 69. Liv. XI. 4. 9.

6) Paus. VIII. 12. 8 Strab. XIII. 1 p. 608.

7) Pausan. l.l.

8) Υ 239. — Gruppe l.l. p. 196 „Wie in Zakynthos, Samothrake und Troas also an den verschiedensten Stellen des Boeotisch-Euboeischen Kultgebietes stehen auch in Troia Aineias und Anchises neben Dardanos" et p. 229 „der überall zu Dardanos gehörige Aeneias." Haec dicta vir doctissimus disputationis suae contextu significat ita accipienda esse, non a poetis epicis sed ante eorum aetatem cultu communi Dardanum et Aeneam coniunctos fuisse. Huius vero rei nullum documentum certum extare puto, verisimilius contra arbitror — id quod in superioribus indicavi — Aeneam propterea regem Dardanorum, ideoque regis Dardani prolem, factum esse quod eius hostis Achilles cum Dardanis bellasse crederetur. Pausanias (VIII. 24. 3) auctor est insulam

Caphyis vel Capyis quod supra memoravi. In Peloponneso igitur factum esse videtur ut Aeneae iam a deo in hominem converso adderetur pater atque avus, et carminibus Peloponnesiis in litore Asiae pervulgatis haec pars Aeneae stemmatis deberi videtur. Atque cum deum quoque Neptunum in nulla Graeciae regione ante quam in Arcadia cultum esse vv. dd. fere consentiant, in superioribus suspicati sumus [1]) auxilium Aeneae ab eo latum in certamine adversus Achillem transsumtum esse e mytho aliquo

---

Zacynthum nomen accepisse a Zacyntho Dardani filio qui eo advenisset cum navibus, arcem autem Zacynthiam ab hoc Psophidem appellatam esse ab Arcadiae urbe Psophide unde profectus esset. Tum Dion. Hal. (I. 50, 126) Aeneam narrat cum profugis Troianis a Zacynthiis propter consanguineitatem benigne receptum, aedem dedicasse Veneri et stadium condidisse quod etiam apud posteros ipsius et matris nomen servasset eorumque signis esset ornatum. Heroem ἐπώνυμον quem in promptu erat arcis conditorem esse propterea pro filio Dardani habitum esse quod in eius patria Psophide coleretur heros Dardanus recte monuit Vuertheim v. d. (l. l. p. 19). Aeneas autem procul dubio propterea narrabatur in insulam delatus esse quod ibi aedes Veneris erat, et sic fiebat ut stadium quod ibi exstaret ab eius quoque nomine appellaretur; hic nihil est cur antiquum vinculum inter eum et Dardanum statuamus. In insula Samothrace mysteria agebantur quibus Dardanus eiusque frater Iasion inter Cabiros coleretur. In his mysteriis etiam Aeneae aliquas partes tributas esse ait Interpol. Serv. ad Vergilii Aen. III. 287. Sed hic nuntius èt satis obscurus est èt nullo modo constat rem ita se habuisse antequam poëtae epici Aeneae originem duxissent a Dardano. Pheneum unde Dardanus Samothracen fugisset, Vergilius narrat (VIII. 160) Anchisen et Aeneam convenisse Euandri patrem Pallantem qui ibi imperaret. Sed ne hic quidem locus ullius momenti est ad Gruppii sententiam confirmandam; nam cum ex Aeneae stemmate Vergilius sciret Dardanum auctorem esse generis Anchisae et Aeneae, aliunde autem cognitum haberet Dardanum Phenei habitasse, nihil mirum erat eum sumere amicitiam et hospitium intercessisse Arcadibus cum Anchisa. Alia non affert Gruppe nisi ipsum Aeneae stemma sed manifesto hoc nihil ad rem. Heroëm eponymum Dardanorum initio in numero deorum fuisse demonstraverunt Gruppe (l.l.) Vuertheim (l.l. p. 99) alii. Ed. Meyer (Gesch. des Alt. II p. 318) „Irrthümlich ist die Meinung welche in den Eponymen verblasste Göttergestallten sucht wie in den ächten Heroën". De multis heroïbus eponymis recte sic iudicatur, non de omnibus. Usener (Götternamen p. 359) iure suo contendit complures gentes se appellasse a deorum suorum nominibus. „Hier liegt" inquit „der Ursprung aller derjenigen Namen von Völkern und Volksstammen, die von diesen selbst geschaffen und ihnen nicht von den Nachbarn beigelegt geworden sind", quod crebris exemplis demonstravit. (His Aeneani videntur annumerandi esse vide supra p. 39). Nihil igitur vetat credere hanc esse etiam Dardanorum causam sive deum Dardanum transsumserunt Dardani a Graecis quorum fines intrassent, sive hi ab iis. Tum cum a poëtis Epicis Dardanorum populus celebrari coeptus est usuvenit ut ad eorum ἐπώνυμον referrentur quaecunque narrarentur de deo Dardano in mortalem converso, quae ipsa coniunctio ansam dabat multa nova excogitandi.

1) Mnem. 1912 298.

Peloponnesio [1]). Ab altera autem parte Diomedem Peloponnesiis notissimum fuisse vidimus, et quoniam nulla alia quantum scimus fuit Graeciae regio nisi Peloponnesus in qua eadem is simul et Aeneas coleretur, sponte adducimur ut sumamus etiam certamen eorum et omnino θεομαχίαν quam cum eo coniunctam invenimus, Peloponnesiis actam esse carminibus.

Postremo de Ulixe perpauca his addere satis est. Nam inter res gestas quae de eo in Iliade narrantur nihil inveniri quod ullo iure perhibeatur pertractatum esse carminibus Peloponnesiis, in sequentibus apparebit. Tamen Ulixis personam si minus ex his solis, praecipue tamen ex his receptam esse in carmina in Asiae litore condita pertinentia ad bellum Troianum vel quae ipsa ad bellum Troianum non pertinerent sed quorum materie Iliadis auctores abusi sint, non obscurum videtur. Et aliis locis, ut in insula Creta, in Thesprotia, in Attica, ut has solas regiones afferam, et in Peloponneso Ulixem inter numina cultum fuisse complures viri docti censuerunt, nemo luculentius demonstravit quam vLeeuwen [2]). Atqui eum in Iliade coniunctissimum videmus et cum Atridis et cum Diomede quos e fontibus Peloponnesiis arcessitos esse ostendimus, cur de ipso idem statuendum arbitramur.

Iones, qui abinde fluminis Hermi ostio usque ad sinum Iassicum incolerent litus Asiae insulasque vicinas, eo profectos esse partim ex aliis regionibus, imprimis ex Attica, pro parte tamen minime exigua e Peloponneso èt antiqui significaverunt [3]), èt

1) Ter Aeneae contigit ut deorum aliquis eum e vitae periculo eriperet, Apollo oppressum a Diomede (E 344 sqq.), matre frusta succurrente (E 312 sqq.), Iuppiter (Υ 92) cum primum, Neptunus (Υ 290 sqq.) cum iterum Achilles ei immineret. Fortasse ex eodem mytho haec derivata sunt.

2) Vide „de Boogschutter en de Weefster" p. 66 sqq.

3) Mimnermum Colophonium Strabo XIV. 1. 3. 4) cecinisse testatur „ἡμεῖσ" (i. e. poëtae maiores) „δ' ἀπὸ Πύλον Νηλήιον ἄστυ λιπόντεσ, ἱμερτὴν Ἀσίην νηυσὶν ἀφικόμεθα, ἐσ δ' ἄρα τὴν Κολοφῶνα βίην ὑπέροπλον ἔχοντεσ ἑζόμεθα"; Pythagoram Samium generis originem duxisse ex urbe Phliunte, Pausanias (II. 13. 2), Diog. Laest. (VIII. 1) auctores sunt; praeterea Pausanias testatur (VII. 43) Samum a profugis Epidauriis esse occupatam; idemque „τῶν Κλαζομενίων" inquit (VII. 3. 5) τὸ πολὺ οὐκ Ἴωνεσ, Κλεωναῖοι δὲ ἦσαν καὶ ἐκ Φλιοῦντοσ, ὅσοι Δωριέων ἐσ Πελοπόννησον κατελθόντων ἐξέλιπον τὰσ πόλεισ. (Quod Ionum nomen eis abnegat P. nihil ad nos, nam quemadmodum Herodotus — cf. I. 147 — sic noster Iones genuinos nonniss eos habet, qui Athenis profecti sint.); Herodotus refert (I. 146) inter Iones Asiaticoi mixtos fuisse Arcades.

hoc ipsum comprobat, quod regionem Peloponnesiam cui nomen Cynuriae, antiquissimo tempore Iones incoluisse Herodotus auctor est [1]), tum quod Theseus, quem nemo negabit inter principes Ionum heroës esse, Sicyone ex urbe Peloponnesia oriundus esse ferebatur. Ab altera parte Aeoles Asiaticos non e Peloponneso oriundos fuisse sed e Thessalia et Boeotia, idque eorum docere sermonem, nemo nescit [2]). Ex his sequitur ut sicubi materiem carminum Peloponnesiorum, qualis est Helenae raptus et Diomedis ἀριστεία, receptam videmus in fabulam Troianam, quam in Asiae litore ortam et Achillis, aliorum heroum Thessalorum rebus gestis auctam in superioribus ostendimus [3]), statuendum sit in ea litoris Asiatici regione id factum esse, in qua habitarent Iones. Et consentaneum credo hoc erat, eam fabulam illo incremento novum decus consecutam, ita ut iam iure dici posset Αἰολεῦσι πᾶσι μέλουσα, etiam Ionibus finitimis egregie placuisse, eorumque cantores incitasse ut ipsi pro parte virili operam darent ad suos quoque heroës in eam inducendos eiusque laudis partem

1) VIII. 73. Praeterea Herodotus (VII. 94) ante Achaeos Iones Peloponnesios inquit in eorum agro habitasse ab iis depulsos de qua re tamen iure dubitatur (cf. Ed. Meyer Gesch. des Alt. II p. 238 sqq. vWilamowitz-Moellendorf v. cl. „über die Ionische Wanderung"). Universe de Ionibus vide imprimis Kretschmer „Glotta" I. 9 sqq.

2) Nam quod Penthilidae Lesbii, Cleuadae et Maloïdae Cymaei Mycenarum regem sibi generis auctorem sumserunt manifesto hoc post Homeri aetatem factum est (vide supra p. 27). Quod autem Drerup v. d. („Homeros" p. 47) monet fieri posse ut Peloponnesiorum manus propter Dorum invasionem extorrium etiam Lesbum et Asiae litus adiacens petiverint, eiusque rei aliquam memoriam latere in iis, quae scriptores abinde Hellanico referant de expeditionibus illuc ductas ab Agamemnonis posteris (vide Mnem. 1912 p. 314) non refragor; sed neglegi posse censeo.

3) Fac iam profugos illos Peloponnesios de quibus egi in ann. super. initium fecisse adminiscendi carminum suorum materiem fabulae belli Troiani, id quod vult Ed. Meyer (l.l. p. 235), parum hoc nostra refert cum tamen dubitari nequeat quin in Ionio Asiae litore hoc longius prolatum sit. De una re verbum addendum. In superioribus vidimus (Mnem. 1912 p. 285) Telephum Teuthraniae regem ab Achille victum, idque haustum censuimus e carminibus quibus Thessalorum ab Achille ductae expeditiones celebrarentur, igiturque conditis a poëtis quorum maiores e Thessalia oriundi essent. Iam vero Telephus antequam a poëtis in litus Asiae est transportatus in Arcadia et Argolide colebatur, nam in monte Arcadio Parthenio eius τέμενος, in monte Artemisio prope Oenoëm Argivorum urbem eius ἑστία ostendebatur (Paus. VIII. 54. 4 Apoll. I 8. 6). Res sic videtur explicanda. In Teuthraniae ore iam ante quam expeditio e Thessalia emissa eo advenisset, coloni Peloponnesii consederunt, qui Telephi sui cultum eo transtulerunt, inque certamine Achillis cum Telepho latet memoria hostilium inter priores et alteros colonos exercitorum.

iis conciliandam. Praecipue ab Ionibus Asiaticis et insulanis Diomedem et Ulixem celebratos esse inde apparet, quod in quas regiones hos omnium Graecorum primos navigasse constat, Thraciae oram volo marisque Ionii litora cum insulis adiacentibus, in iis maxime sita sunt loca quibus supra [1]) monuimus Diomedi habitum esse honorem divinum [2]), praeterea in iisdem illis regionibus nonnullae res gestae casusque eius collocabantur: in insula Corcyra draconem occidisse [3]), Methonae aedem condidisse Minervae 'Ανεμωτίδοσ [4]), apud Daunios patria extorrem hospitio acceptum esse [5]), non longe inde in insulis Diomedeis dictis prope montem Garganum eius comites in aves mutatos [6]); Ulixis autem errores et peregrinationes quas Odyssea refert, quatenus in iis enarrandis poëtae cogitabant de certis locis in orbe terrarum sitis, ad easdem rursus illas regiones pertinent [7]), quin, utraque Ulixis patria quam Homerus appellat, Ithaca (Γ 201) et Cephallenia (Δ 329 sqq.) quas manifesto e diversis fontibus haustas Catalogi auctor coniunxit (B 631 sqq.) [8]), eodem spectat.

Iamvero inter Ionum cantores cum insignem locum obtineant Iliadis auctores, quos uno nomine „Homerum" vocare solemus [9]), sponte se nobis offert quaestio, utrum hi primi an iam antequam Ilias incohari coepta est, alii poëtae Ionii in bellum Troianum induxerint heroës carminibus Peloponnesiis celebratos. Praeterea

---

1) p. 11.

2) „die Träger dieses Cultus waren also die Ioniër und zwar bei ihren ältesten Unternehmungen im Westen" Usener der St. des Gr. E. p. 8.

3) Paus. IV. 35. 8.

4) Heraclid. excc. 27 Timaeus Fr. 13 cf. Tzetzae Schol. in Lycophr. Al. 615.

5) Ov. Metaph. XIV 457 sqq. Lycophr. Al. 592 sqq. Schol. Pind. Nem. X. 12.

6) Vide ann. sup.

7) Cf. vWilam.-Moellend. Hom. Unters. p. 161 sqq.

8) Alia etiam loca addit partim inconcinna, quod ipsum diversitatem fontium prodit.

9) Qui aliter de ea re iudicant Fick, Robert, Bechtel, Cauer alii, censentes antiquissimas Iliadis partes a poëtis Aeolibus conditas esse, mihi confundere videntur Iliadis fontes et Iliadem ipsam, fabulae Troianae γένεσιν, et γένεσιν Iliadis. Iliadis auctores voco èt Irae cantorem èt ceteros poëtas qui eius poëma augere et dilatare studuerunt, fontium autem Iliadis auctores eos qui antequam Irae cantor suum poëma exorsus esset carmina haec condiderunt, sive belli Troiani ratione habita, sive minus, quibus illi pro fontibus usi sunt.

hoc rogandum est liceatne in Iliade vestigia dispicere carminum quibus, quemadmodum vidimus Aeoles cantavisse etiam res gestas heroum suorum ad alios Asiae incolas nondum ad Troianos pertinentes, ita ab Ionibus heroës nobiles Peloponnesii novis quoque laudibus celebrati sint nulladum belli Troiani ratione habita.

Huius autem generis unum modo carmen ostendi posse videtur, cuius argumentum nobis servavit Δολωνεία. Rheso qui apud Homerum rex Thraciae est et filius Eionei urbis Eionis ad Strymonem flumen sitae eponymi, divinus honor habebatur ab accolis montis Pangaei [1]), ubi eius parentes ferebantur esse ipsum flumen et nympha aliqua [2]), in monte Rhodope [3]), circa Byzantium [4]), circa Aenum quae urbs monti Ismaro adiacet [5]). In hominem conversum hunc interfici legimus ab Ulixe et Diomede quos vidimus Iones Asiaticos et insulanos, inter numina habitos, in itineribus sibi praesentes credidisse. Itaque si eorum navigationes èt in alias regiones et in Thraciam ansam dederunt condendi carmina, quibus illi a deis homines facti, fingerentur ipsi expeditionum duces fuisse, ut revera dedisse èt ratio fert èt docet i. a. notum Odysseae ἐπεισόδιον (ι 39 sqq.) ubi Ulixes narratur delevisse Ismarum Ciconum urbem in Thraciae litore sitam, in quam narrationem vix incidisset Odysseae auctor nisi eiusmodi carmine pro fonte usus esset, dubium esse non potest utrum propterea Δολωνείας auctor Rhesum ab Ulixe et Diomede oppressum sibi proposuerit quia illum socium Troianorum esse cognovisset, quem neque unde cognovisset intelligitur neque cur praecipue Diomedem et Ulixen eligeret qui eum interfecissent,

---

1) Eur. Rhes. 971. Βάκχου προφήτης ὥστε Παγγαίου πέτραν ᾤκησε σεμνὸς τοῖσιν εἰδόσι θεός.

2) l.l. vs. 279, 350, 393 sqq. (mater ibi una ex Musis fuisse dicitur, id autem a Graecis non a Thracibus ipsis inventum esse patet). Polyaen. 6. 53.

3) Philostr. heroïc. 681.

4) Suidas s. v. Rhesus.

5) Αἰνείων πάλμυν Hipponax Rhesum vocat (fr. 42). — Etiam Cii in urbe Mysiae colebatur simul cum Arganthecne ex oreadibus una (Steph. Byz. Ἀργανθών). Mysi cum sint gens Thracia ex Europa in Asiam traiecta non mirum est deum Rhesum apud eos recurrere — sic quoque Troadis flumen est quod Rhesi nomen referat cf. M 20 — sed Δολωνείας auctor Mysos a Thracibus seiungit (K 430) cumque Rhesi milites Thraces vocet haud dubie de Thraciae incolis cogitat.

an ei praesto fuerit carmen aliquod quo ageretur clades nocturna cum regis principumque caede Thracibus in ipsorum patria illata ab ambobus heroïbus, cuius carminis argumentum propterea retulerit ad bellum Troianum, quod illos inter huius belli principes cognitos haberet [1]).

Non unum vero sed plura extitisse carmina quibus iam ante Homeri aetatem a poëtis Ioniis Helena, Agamemnon, alii heroës e carminibus Peloponnesiis in bellum Troianum arcessiti sint, nunc conabor demonstrare, eiusmodi enim carminum haec discerni posse argumenta: Helenae raptum, Menelai cum Ulixe legationem frustra susceptam ad eam reposcendam, Agamemnonis consilium aegre irritum factum redeundi in patriam, eiusdem ἀριστείαν, Ἀλεξάνδρου καὶ Μενελάου μονομαχίαν. Διομήδους ἀριστείαν antequam Iliadi insereretur ad bellum Troianum relatam esse nullam cur credamus causam video, modo excipias quaecunque pertinent ad Glaucum et Sarpedonem atque Lycios, quos ducunt. Quae ex alio fonte atque res Pandari haustas esse inde apparet quod huius patria quamvis haec quoque Lycia appelletur (E 173) tamen cum profectus esse dicatur ex urbe Zeleia ad Aesepum sita (B 804, Δ 103) prorsus ab illorum distinguenda est, quemadmodum etiam Catalogi auctor ab illis eum separat (cf. B 824 sqq. cum 876 sqq.), ipse de eius patria ne Lyciae quidem nomine usus. Supra suspicati sumus Διομήδους ἀριστείαν maximam partem, admixtis nonnullis e carminibus de bellis Thebanis, haustam esse e carmine quo ageretur θεομαχία aliqua, quapropter urbem Zeleiam et patriam Lyciam Pandaro adscripsisse videtur is qui illam, reformatam, ad bellum Troianum retulerit. At cur potissimum urbem Zeleiam? Fortasse διὰ τὸ τὸν Ἀπόλλωνα ἐν αὐτῇ εὐσεβεῖσθαι (schol. Δ 103, AD, Etym. m. 408. 40), nam haud

1) vWilam.-Moellend. (Hom. Unt. p. 413) existimans lectores sibi assensuros rogat: „oder hat ein dichter der den Thrakischen heros kannte, also durch die Jonische colonisation der Thrakischen Küste kennen gelernt, auch diesen barbaren in das Heer der Hellenenfeinde eingereiht, die die vereinten Hellenen in Troia bezwungen haben? Und hat dann ein anderer Dichter, der der Dolonie, die sage äusserlich, ohne dass ihm an der apotheose des Rhesos noch etwas lag, als eine episode lediglich um des poëtischen Motives willen verarbeitet?" Cur prior ille poëta Rhesum inter Troianorum socios sibi proposuerit, non apparet; idque si tamen ita est cur duos poëtas distinguit vir clarissimus? cur ille non ipse est Δολωνείας auctor?

dubie Pandarus, id quod supra monuimus [1]) initio alio nomine Apollo ipse fuit. Sed quoquo modo hoc se habet, regionem in qua Zeleia iaceret aut ab incolis aut a finitimis Lyciam esse dictam, negandum videtur cum a nullo unquam scriptore tale quid traditum sit nisi qui a nostro pendeat [2]). Atque nonnisi cunctanter, ut ita dicam, hic agere videtur. Nusquam nominatim Pandari milites Lycios vocat, tantummodo per transennam significat id nomen eis convenire, dum (Δ 197) Agamemnonem inducit iubentem Machaonem appellare curandi causa Menelaum a Pandaro vulneratum ὅν τισ ὀιστεύσασ ἔβαλεν τόξων εὖ Ϝειδὼσ Τρώων ἢ Λυκίων — quae verba a praecone Talthybio repetuntur vs. 206 sq. — quasi praemoniturus auditores Pandarum in Lycia habitare, id quod tamen non commemorat ubi primum eum in scenam inducit et Zeleae residere ait (Δ 103). Obiter tantum ubi Aeneam facit dicentem (E 105) in Lycia neminem arcus usu illum superare et rursus ubi ipsum Pandarum (E 173), Apollinem se e Lycia suscitasse, hanc patriam commemorat. Speciem movet sibi non persuasum esse recte sic dici. Cur igitur tamen? Propterea arbitror quod in fonte aut ipse Pandarus Λυκηγένησ audiret, aut saltem, ut apud Homerum est, Apollo Λυκηγένησ ei deus patrius esset, eam autem vocem „λυκηγένησ" „e luce oriundus" [3]) ita intelligeret quasi esset „e Lycia oriundus".

Nunc autem agam de Helenae raptu. Legimus Z 289 sqq. Paridem in eodem itinere in quo Helenam secum abduxisset, absportavisse mulieres Sidone ex urbe Phoenicum. In Cypriis autem invenimus tertio die Paridem vento secundo et mari tranquillo usum Lacedaemone pervenisse Troiam. Herodotus (II. 117) repugnare hoc dicit Homeri loco. Revera repugnat si sumis Paridem Troiam redeuntem tenuisse portum Sidonium, maiore enim circuitu patriam petivit quam ut tribus diebus iter confecisset; non repugnat si mavis eum antequam Spartam adveniret apud Phoenices fuisse. Sed hoc si de placato Paridis accessu cogitas minime probabile. Nam in reditu credibile erat

1) p. 94.
2) Cf. Strab. XII c. 4 p. 568. XIII s. 1 p. 588, 590, 596.
3) Vide p. 94.

eum tempestate ad Phoenices delatum ab iis pecunia sua ancillas emisse Helenae, sed Lacedaemonem petentem absurdum erat famulas mercari quas secum eo adduceret. Contra praedandi causa domo profectus potuit ad oram Phoeniciam appulsus inde et res et homines secum absportasse. Quod ubi sumitur etiam Laconiam hostiliter invasisse censendus est. Atqui quo tibi proponas rem ita se habuisse manifesto necesse est ut fingas Helenam vi raptam.

In Ἀγαμέμνονος διαπείρᾳ Nestor apud exercitum contionabundus vindicanda esse ait (B 356) Ἑλένης ὁρμήματά τε στοναχάς τε. Haec verba contorte ab Aristarcho esse accepta de laboribus et lamentationibus quarum causa fuerit Helena, unice recte de ipsius accipi scilicet reluctantis cum abduceretur, vix opus est dicere. Itaque vi eam raptam censuit qui Nestorem sic loquentem induxit. Atque hanc famam viguisse priusquam de adulterio cogitaretur consentaneum est. Nam illam rei imaginem cur ex hac extiterit nulla causa dispicitur, hanc extitisse post illam intelligimus. Quo tempore mythus de Helena rapta institui coeptus est, vitam homines infestiorem agebant, magis obnoxia hostibus erant omnia. Tunc non dubitabant, quin etiam dea a deis vi abripi potuisset, deinde vero cum civitates opulentiores extitissent, non hoc quidem mirum videbatur, potuisse praedones depopulari agros et inde pecora hominesque secum auferre, illud vix ac ne vix quidem credibile iam erat, reginam ipsam regiam habitantem domum arce et custodibus munitam, nolentem avectam esse, tunc hostilis incursio quae ante fuerat, facta est peregrinatio pacata, pro vi et armis substituebantur Veneris illecebrae. Odio adulterii Iovis filiae imputati poëtam vel poëtas qui Iliadem condiderint liberare, idque in interpolatorum genus conferre studuit vLeeuwen. Qui festive et eleganter de ea re disseruit [1]), sed vereor an non satis vere. Nam fac recte vidisse virum clarissimum omnes Homeri locos ubi Helena se ipsa perstringens culpam suam prodat, insitivos esse, alii tamen inmoti manent ubi a poëta significatur volens Paridem secuta esse. Ubi eam hortetur Hector ut virum ad pugnandum impellat (Z 363), isque ipse dicat (vs. 377) uxorem se

---

1) Mnemos. 1906 p. 211 sqq. 1910 p. 355 sqq.

blandis verbis ad arma vocasse, ecquis censet praedonem qui mulierem invitam retineat ab hac monitum esse ut propinquos et amicos qui ipsam liberaturi advenissent, arceret? Atque *Διομήδουσ ἀριστείασ* auctor Helenam a Paride Veneris ope pellectam esse censuit, deae enim sic Diomedes increpat (E 530) *σὺ Fάλισ ὅτι γυναῖκασ ἀναλκίδασ ἠπεροπεύεισ;* Quo tendit etiam Minervae iocus (E 422 sqq.) *ἦ μάλα δή τινα Κυπρὶσ Ἀχαιιάδων ἀνιεῖσα Τρωσὶν ἅμ' ἕπεσθαι τοὺσ νῦν ἔκπαγλ' ἐφίλησε κ.τ.λ.* Tum Priamus ubi in *Τειχοσκοπίᾳ* nurum his verbis alloquitur (Γ 164) *οὔ τί μοι αἰτίη ἐσσι, θεοί νύ μοι αἴτιοί εἰσι,* si Helena sine culpa fuisset ea verba omisisset, utpote supervacua, sed qui excusaturus est delicta sua vel aliena, in fatum aut in numen deorum ea confert, ut in Iovem Achilles (T 272) Agamemnonis superbiam, Glauci stultitiam poëta (Z 334) [1]). Itaque socero respondens Helena (Γ 173) *ὡσ ὄφελεν θάνατός μοι ἁδεῖν κακὸσ ὁππότε δεῦρο υἱεῖ σοι ἑπόμην, θάλαμον γνωτούσ τε λιποῦσα,* non est cur denegetur voluntatem relinquendi suos indicavisse. Porro in *Ἀλεξάνδρου καὶ Μενελάου μονομαχίᾳ* cum ei Iris (Γ 139 sqq.) suis verbis iniciat desiderium mariti prioris, apparet aliquamdiu Paridem ei suffecisse. Hector autem fratrem increpans *γυναίμανεσ, ἠπερόπευτα* (Γ 39) conviciis utitur — ab eodem alio loco (N 769) repetitis — quae moechum non praedonem designent; neque aliter Diomedes (Λ 385) eum allocutus *παρθενόπιπα;* quo eodem tendit quod frater ei exprobrat (Γ 54) *κίθαριν τά τε δῶρ' Ἀφροδίτησ.* Postremo cum Menelaus Iovem precatus (Γ 351) ut sibi liceat inimicum ulcisci *ὄφρα τισ ἐρρίγῃσι καὶ ὀψιγόνων ἀνθρώπων ξεινόδοκον κακὰ ῥέξαι ὅ κεν φιλότητα παράσχῃ* apparet hospitio eum excepisse Paridem, quod repugnat hostili incursioni [2]). Nihil igitur omnino

1) Is qui (Γ 401 sqq.) feminam cum dea rixantem et ab hac coactam amatori morem gerere narravit, quid aliud significavit nisi hoc, mulierem, quamvis rei puderet, tamen victam lubidine precibus amatoriis concessisse? Nam quod ei minatur Venus se odium utrorumque Troianorum et Graecorum contra eam moturam (sic enim obscura verba, nisi vitium latet interpretanda censeo) poëta ut libidinis saevam dominationem designaret, Venerem, nisi sibi obaediretur, iratam proposuit, minus curans ea quae minaretur cum ipsius libidinis natura non cohaerere. — Quod Helena Paridi e certamine cum Menelao redeunti, se eius salutis poenitere dicit, non urguendum censeo. Sic Hector fratri mortem imprecatus (Z 281) mox placate cum eo colloquitur (Z 330 sqq.); homines enim Homeri verbis suis cum suscensent non temperant.

2) Placatam commorationem etiam spectare videtur vs. Γ 48 „*μιχθεὶσ ἀλλοδάποισι κ.τ.λ.*". In Cypriis legimus Menelao absente uxorem abductam esse. Poeta credo hoc

iuvamur, cum omnes versus ubi ipsa sibi conviciatur Helena pro emblematis habemus. Neve miremur quod in Odyssea adulteram marito redditam eius domi offendimus honoratam ab eoque dilectam [1]). Nam e pristina fabulae ratione qua sine culpa Helena ei erepta ab eoque repetita esset hunc exitum constitisse par est, cui ne culpa repugnaret facile hanc poetae condonabant origini formaeque divinis. Nos miseri mortales plectimur quidquid peccamus, deis terrarum dominis nulli sunt sui vindices; fraudi, furto, periurio, adulterio, iracundiae iniquae indulgent, beati ob id ipsum praedicandi quod magnificentiae eorum nihil sic detrahitur. Ita iudicat non Plato sed Homerus. Helenae vero causam, quia quamvis deo nata et divina specie praedita tamen in hac terra homo inter homines degebat, ne invidiam haberet ita mitigabant ut culpae ipsam poenitere fingerent.

Revera nullus Iliadis locus est ubi Helenam vi oppressam inveniamus nisi quo Nestor tangit eius aerumnas. Contra multi, qui contrarium doceant quorum auctoritatem locus ille etiamsi quis repugnantiam animadvertat, nequeat evertere, itaque cum ex Homero apparere videretur Paridem redeuntem Lacedaemone Phoeniciam attigisse summo iure contendit Herodotus Cypriorum auctorem Homero obloqui. At manifesto hic non temere oblocutus est, prohibebatur enim magno Homeri nomine; neque per imprudentiam, nam cum ἔμφασι quadam vento secundo, marique tranquillo tribus diebus iter confectum esse ait. In fontibus suis igitur hoc invenit. Extitit igitur ante Homeri aetatem carmen vel carmina quibus Paridis narraretur navigatio. Quod idem

---

excogitavit ut feminae culpam levaret cum sola blanditiis corruptoris magis obnoxia esset. Et potuit sane rex hospite etiamnunc eius domi commorante iter suscepisse. Sed ex Iliade tale quid non apparet.

1) De ea re Ilias, ut par est, silet. Tamen auctor Ἀλεξάνδρου καὶ Μενελάου μονομαχίας — id quod recte animadvertit Muelder (l.l. p. 29) — apud animum sibi proposuit si Helena reduceretur rem non aliter se habituram. Nam Iridem fingit ita illam alloquentem (vs. 138) τῷ δὲ κε νικήσαντι φίλη κεκλήσε' ἄκοιτις, Helenamque ipsam nihil aliud expectantem quippe cui (vs. 139 sqq.) ὣς εἰποῦσα θεὰ γλυκὺν ἵμερον ἔμβαλε θυμῷ ἀνδρός τε προτέροιο καὶ ἄστεος ἠδὲ τοκήων. Praeterea vix et Paris et ceteri Troiani leges certaminis accepissent, quibus mulier victori traderetur si metus extaret ne a coniuge irato necaretur vel puniretur servitio.

2) Ex Helenae temporum aequalibus praeter Menelaum idem sensisse fingebant Priamum (Γ 162 sqq.) et Hectorem (Ζ 360 sqq. Ω 765 sqq.), aliter ceteros affines (Ω 768 sqq.) reliquosque vulgo homines (Γ 241, Ζ 351).

confirmatur verbis Nestoris supra pertractatis. Manifesto enim Διαπείρας auctor haec aut excogitavit aut derivavit e fonte qui Homeri aetatem superaret. Illud negandum; nam supra vidimus rationem ferre ut antiquissima fabulae imago ea fuerit quam Nestoris verba arguant, atqui mox demonstrabimus Διαπείραν esse inter recentissima Iliadis ἐπεισόδια. Utrum eidem carmini an diversis debeantur Διαπείρας locus et locus e Cypriis sciri nequit; sed cum in huius fonte Paris traditus fuerit navigasse Troiam, constat nos hic habere carmen in litore Asiae non in Peloponneso conditum, carmina enim Peloponnesia nullam rationem habuisse Troiae. Ut in Διαπείρας sic in Cypriorum loci fonte Helenam vi raptam esse traditam veri simile est. Paridis commorationem in Phoenicia excogitatam esse ab eo poëta, qui eam Iliadi inseruit parum credibile puto. Hunc eundem esse cui debemus Hectoris colloquium cum Helena atque Paride (Z 132 sqq.) posthac demonstrabo, id autem si ita est illam voluit pertinere ad Paridis reditum Troiam, Helenam enim volentem cum eo abisse; nam in eo colloquio hanc incitasse amatorem ad revertendum in aciem contra Graecos vidimus. Iamvero ipse si excogitasset Paridis adventum apud Phoenices, explicasset qui factum esset ut eo deferretur, puta tempestate actus; at rem tetigit quasi simplicissima esset; videtur ergo e fonte aliquo eam transsumsisse. Neque quidquam prohibet credere hunc fontem eundem esse ac Cypriorum loci de Paridis reditu; id autem si ita est, sequitur ut in eo fonte Paris antequam Lacedaemonem veniret apud Phoenices fuerit, atque praedandi causa domo sit profectus. Potuit igitur hic fons idem esse quem is cognitum habuit, qui Nestorem memorantem finxit Ἑλένης ὁρμήματά τε στοναχάς τε. Ad eundem fontem refero locum E 59 ubi Meriones interficere traditur Phereclum Tectonis filium ὃς καὶ Ἀλεξάνδρῳ τεκτήνατο νῆας ἐΐσας ἀρχεκάκους αἳ πᾶσι κακὸν Τρώεσσ' ἐγένοντο. Nam *naves* aedificasse Phereclum magis convenit ad expeditionem quam ad iter placatum cui una navis sufficeret. Obque eandem causam huc pertinere videtur locus Γ 442 sqq. ubi Paris amore incensus Helenam alloquitur: οὐ γὰρ πώποτε μ' ὧδε ἔρως φρένας ἀμφεκάλυψε οὐδ' ὅτε σε πρῶτον Λακεδαίμονος ἐξ ἐρατεινῆς ἔπλεον ἁρπάξας ἐν ποντοπόροισι νέεσσι, νήσῳ δ' ἐν Κρανάῃ ἐμίγην φιλότητι καὶ εὐνῇ.

Nunc agam de Menelaei et Ulixis legatione frustra suscepta ad Helenam reposcendam. Troianorum contionem quae describitur H 345—419 non hoc consilio fictam esse ab eo qui primus eam excogitaverit ut eum locum obtineret quo nunc in Iliade invenitur oculos ferit, sicubi rogas quid fuerit quod Troianos si tamen Helenam reddere nollent adducere potuerit ut de ea re ultro nuntium mitterent (H 372 sqq.). Manifesto hoc ineptum, eaque res eodem loco manet sive sumis Ἀλεξάνδρου καὶ Μενελάου μονομαχίαν poëtae nostro cognitam fuisse sive minus. Utique satis erat Troianis expectare dum posceretur femina. Atqui Γ 205 sqq. Antenor commemorat Menelai et Ulixis legationem Heleni causa susceptam quae Λ 140 quoque tangitur, eaque legatione, id quod per se liquet, nihil aliud spectatum esse nisi ut Helena reposceretur apparet Λ 124 ubi dicitur Antimachus suasisse ne redderetur, idque ipsum quod minus concinne poëta aliud ipse Antimacho obicit, vs. 124, aliud vs. 139 Agamemnonem eius filiis obicientem facit, quod nempe pater in contione suasisset Menelaum iugulare, facillime sic expedies, utrumque ex eodem carmine quo utrumque traderetur depromptum esse, id quod eo confirmatur quod verbis „in contione'' remitteris ad contionem libro H minus apte insertam, ubi de Helena reddenda deliberatur. Haec igitur eodem carmine agebatur atque legatio. Cuius carminis argumentum e loco H 345—419 adhibitis vss. Λ 123 sqq., 139 sqq. sic fere reficere licet. Antequam armis decernitur Menelaus cum Ulixe mittitur Helenam repetitum. Contio advocatur. Antimachus adductus largitione Paridis, civibus suis suadet ne Helenam reddant, ut vero Menelaum obtruncent; legati praesentientes malum imminens vel ab Antenore aliove Troianorum principe moniti ad suos redeunt; Troiani soli deliberare pergunt, agitur ἀγορὴ δεινὴ τετρηχυῖα (H 346); Paris opes quas una cum muliere absportasset redditurum se pollicetur et alia de suis additurum; quominus ipsa cedat praefracte recusat, cumque ei morem gerat pater praeco Idaeus mittitur qui Graecis id renuntiet. Carminis huius auctor non sibi proposuisse videtur Hectorem fratri iratum, nam si Paridis rationi eum obstitisse narrasset, huius rei vestigia vix in Iliade prorsus oblitterata essent. Postremo hoc notandum. Fac in eo carmine quod modo pertractavimus, quo

raptus ageretur, raptorem quemadmodum in carminibus Peloponnesiis Paridem audisse, in nostro vero carmine pro Paride substitutum esse Alexandrum quem iam e carminibus antiquioribus notum esset Hectoris fratrem esse: sic facile intelligitur, quamquam nihil confirmare licet, quomodo factum sit ut in Iliade nomina alterna usurpentur.

Iam videamus de Agamemnonis consilio domum redeundi aegre repulso. Quo Iliadis loco rex primum suos ad reditum hortatur (B 109 sqq.) simulate loquitur, militum animos tentaturus est. Nolim equidem contendere hanc rationem prorsus repugnare iis quae praecedant. Somnio Iovem significantem Troiam capi iam posse, nihil aliud declarasse ex ipsius verbis apparet nisi hoc, neminem ex deis huic incepto restiturum (B 30 sqq.); regi ad arma vocanti militum obsequium non praestiterat, credibile videri poterat eos ad pugnam minime animosos fore, idque sive eius causam habes moram annorum decem quam memorat Agamemnon (B 134,) sive cum Leeuwenio hunc versum eicis [1]); nam èt pestis eos afflixerat èt ex A 490 [2]) sequi videtur ut tempus inter regum rixam et somnium a Iove missum non sine proeliis praeterisset; e verbis quoque in somno auditis (B 29) *νῦν γάρ κεν ἕλοις πόλιν εὐρυάγυιαν Τρώων* non absurde efficias per eos dies irritos impetus in moenia factos esse. Itaque dandum est, id quod Muelder acute animadvertit [3]) Agamemnonem militum voluntati diffidentem, apte potestatem iis facere ostendendi quid sentirent, quo sibi copia daretur deinde per amicos ad meliorem mentem eos revocandi. Nihilo minus tenendum est haec, quamvis e narrationis nexu accurate considerato elici possint, néque a poëta ipso ullo verbo tangi néque eiusmodi esse ut sponte auditorum animis occurrant; sufficere videntur ut neges consilium temptandi absonum esse, non sufficere ut intelligas poëtam èt nulla alia re nisi his inductum excogitasse consilium èt nihil ex his commemorasse. Atque eadem est causa eorum quae Agamemnonis orationem fictam sequuntur. Nam sicubi narravit poëta milites regis verbis deceptas ad naves

---

1) Mnem. 1906 p. 204, 1910 p. 372.
2) *οὔτε ποτ᾽ εἰς ἀγορὴν πωλέσκετο κυδιάνειραν* (Ἀχιλλεὺς) *οὔτε ποτ᾽ εἰς πόλεμον.*
3) l.l. p. 107 sqq.

contendere, exclamat (157 sqq.): „ibi Argivis reditus contra fatum paratus erat, nisi Minervam allocuta esset Iuno sqq.”. Haec non offenderent si dearum intercessioni praemisisset noster irritum sive Ulixis sive alius alicuius ex Atridae sodalibus conatum retinendi milites; sed nonnisi a Minerva incitatus quae eum Iunonis verbis adhortatur, Ulixes obviam it militibus ad naves contendentibus. Unde ille torpor Ulixis ceterorumque principum? An hoc voluit poëta, multitudinis festinatione et tumultu obstupefactos nequisse se colligere antequam Minerva eos huius rei causa perstringeret? [1]) Sed èt rursus mirum videtur nullo modo eam rem significari èt ex ipsius poëtae verbis potius contrarium efficitur. Nam non sic fecit Agamemnonem perorantem (B 72 sqq.): „fugere eos iubebo, vos autem si meis verbis plaudent, castigate eos et refellite” verum sic: „fugere eos iubebo vos autem eos retinete”. Qua in re? In fuga opinor. Non imparati ergo erant, praemonuerat eos rex de eventu quem ipse metuebat ne sua verba haberent. Discrepantiam credo evitasset noster si ipse excogitasset principum inertiam et Iunonis Minervaeque interventum. Cuncta si consideras minus credibile videtur Διαπείρασ auctorem prorsus suum fuisse quam aliena in suum usum convertisse. Quo etiam hoc tendit. Duo Iliadis loci sunt ubi non ficte sed vere Agamemnon meditatur reditum, alter I 17—28 ubi post cladem libro Θ narratam isdem verbis atque in Διαπείρᾳ (B 110—118, 139—141), alter Ξ 714 sqq. ubi in medio proelio adverso apud naves aliis verbis idem significat. Horum locorum auctores igitur Atridae mentem tribuerunt parum constantem, veri similius autem puto èt horum locorum et Διαπείρασ auctores e fonte hausisse in quo eandem regis indolem reperissent, quam casu accidisse ut sive a diversis poëtis sive ab eodem Agamemnon èt mobili *esse* ingenio et *simulari* se esse fingeretur. Accedit quod locus B 278—385 ubi Ulixes

1) Hoc eum velle, censuisse videtur C. Rothe v. cl. cum obiter animadvertat (die Ilias als Dichtung p. 176) „Offenbar sind auch die Fürsten von der elementären Gewalt des Volkes mit fortgerissen; keiner tritt der Bewegung entgegen”. Muelder (l.l. p. 110) quemadmodum nos ἐπεισοδίῳ nostro antiquum fontem pro fundamento fuisse ratus, in eo regem non fugam suasisse censet, sed profectionem e patria, putat enim unice sic explicari posse quod vulgus festinanter naves adeat easque solvere pergat. Non satis causae video cur talia moliamur.

proponitur contionans minus apte convenit iis quae sequuntur. Nam neque Nestor, neque Agamemnon post Ithacensem verba facientes ulla ex parte rationem habent eius verborum; orditur enim Nestor (vs. 337): *ὦ πόποι ἦ δὴ παισὶ ϝεϝοικότες ἀγοράεσθε νηπιάχοις κ.τ.λ.* quasi Ulixes quoque puerilia egisset; et Agamemnon (vs. 370 sqq.) Nestorem laudat propter ea quae monuerat, Ulixem tacet. Hoc inde factum reor quod locus quem dico ipsius *Διαπείρας* auctoris debeatur ingenio, inque eius fonte Ulixes omnino non contionatus sit [1]). Ab altera parte senex cum negari non possit, cum dicat *παισὶ ϝεϝοικότες ἀγοράεσθε,* non magis milites naves petentes quam Agamemnonem ipsum castigare, et pergens (vs. 344) *Ἀτρεΐδη σὺ δ' ἔθ' ὡς πρὶν ἔχων ἀστεμφέα βουλὴν* regem ad meliorem revocare mentem, confirmatur suspicio eius verba esse hausta e fonte qui hunc non ficte sed vere loquentem haberet. *Διαπείρας* origo videtur esse recentissima. Nam Agamemnon ut ostendat cur domum redire placeat, affert taedium belli decennalis (B 119—139); atque in Ulixis oratione idem belli spatium tangitur (B 295 sqq.); luculentissime autem vLeeuwen ostendit [2]) ceteroquin ubicunque Iliadem evolvas, exceptis modo locis illis et praeterea M 15 Ω 765 sqq., qui loci item decimum anni bellum referant, oculos ferire testimonia quibus probetur non decimo verum primo belli anno acta voluisse poëmatis auctorem sive auctores, ea quae narrarent. Sed cum vir clarissimus cunctos versus quibus re-

---

1) Similiter iudicandum videtur de eis quae nostro loco praecedunt abinde vs. 211 ubi Thersitae contumacia agitur. Nam hic Agamemnoni ea exprobat (vs. 239 sqq.) quibus appareat poëtam regum rixam cognitam habere quod fonte alienum est. Nam ipse Irae cantor ex eo hausit siquidem recte locum I 17—28 eius poëmati adscribimus id quod posthac demonstrare conabimur. Praeterea recentem originem arguit quod Ulixes (vs. 260) se ipsum „Telemachi patrem" appellat, de qua re conferas vLeeuwen in Mnem. 1906 p. 205 in ann. 1). — Usener (der Stoff des Gr. Ep. p. 42 in ann. 2) iure monet Thersitem sine causa Agamemnonem increpare, potius laudare debuisse quippe qui reditum suasisset. Hanc autem molestiam ita expediri posse puto, si sumimus poëtam cum auditoribus significasset regem ficte loqui, non satis attendisse ita rem a se tractatam esse ut vix Thersites censeri posset hoc cognovisse, recte enim huius verba se habuissent si Agamemnonis mentem perspexisset. — Ceterum Thersitem olim alio nomine fuisse Euryalium, et inimicitiis inter illum et Achillem exercitis initio effictum esse bellum inter hiemem et aestatem; viri foedam speciem derivatam esse e Thargaliorum solemnibus, acute et diserte demonstravit Usener l.l.

2) Mnem. 1906 p. 193 sqq. 1910 p. 372.

pugnantia continetur interpolatori tribuendos censet [1]) nonnihil occurrit quod eius rationi obstet. Mitto vss. M 15 Ω 765 sqq. Sed Ulixes in contione verbo faciens ἧμιν inquit (B 295) εἴνατόσ ἐστι περιτροπάων ἐνιαυτόσ, deinde ostentum referens a Iove missum, passeris pullos cum matre ab angue interfectos, numerat (B 312 = 327) ὀκτὼ ἀτὰρ μήτηρ ἐνάτη ἔεν ἣ 'τέκε τέκνα, denique Calchantis verbis perorat ὣσ ἥμεσ τοσαῦτ' ἔτεα πτολεμίξομεν αὖθι, τῷ δεκάτῳ δὲ πόλιν αἱρήσομεν εὐρυάγυιαν. His versibus igitur tempus significatur haurire annos, resectis [2]) non potes quin pullos cum matre quaesitius referas ad urbem cum civibus ab hostibus deletam. Contra, quis nescit tempus „omnium rerum edax" a poëtis vocari. Praeterea quod anguis a Iove deinde in saxum conversus esse dicitur, illo modo nihil habet quo se referat, cogeris igitur rursus eicere quamquam nemo intellegit qua re adductus interpolator id inseruerit. Tempus vero cum praeterita defixa maneant hominum memoria, pulcherrime dicitur lapidescere. Porro Agamemnonis contionantis verba (B 194 sq.): ἐννέα δὲ βεβάασι Διὸσ μεγάλοι' ἐνιαυτοί, καὶ δὴ δοῦρα σέσηπε νεῶν καὶ σπάρτα λέλυνται, èt si per se spectas apte dicta sunt èt si retinentur multo quam si eiciuntur, rectius se habent sequentia „αἳ δὲ πού' ἡμέτεραι ἄλοχοι καὶ νήπια τέκνα ἥατ' ἐνὶ μεγάρῳ ποτιδεγμέναι; omnino eiectis illis regis orationi magna vis et quasi πειθανάγκη detrahitur. Nihil igitur sollicitandum videtur [3]) sed concedendum poëtam nostrum, poëtam inquam minime malum, inter recentissimos fuisse Iliadis auctores. Iamvero ea de decennali spatio cum ratio ferat ad eius fontem nihil pertinere, idem eo apparet quod Ulixis orationem ob aliam

---

1) Mnem. 1906 p. 203 sqq.

2) Damnat vLeeuwen B 294*b* (abinde ὀρινομένη) 295*b* (verba ἔνθαδε μιμνόντεσσι), 313, 319, 325, 327, 328*b* (abinde τοσαῦτα) et substituit (vs. 329*a*) pro τῷ δεκάτῳ δὲ πόλιν vocem Τροίην.

3) Nam quod attulit vLeeuwen (Mnem. 1910 p. 372) verba ἔνθαδ' ἔτι στείχοντεσ (B 287) mire dicta esse si ἔτι valeat „decimo anno abhinc" non opus videtur id ita accipere. Nonne recte ea verba sic vertuntur: „cum etiam in itinere essent" „(toen zij nog op weg waren")? Tum verba χθιζά τε καὶ πρωϊζά ita interpretatur v. cl. „his ipsis diebus". At etiam licebit sic: tempore praeterito. Postremo iure monet vL. vaticinium Calchantis quo expugnatio Troiae promitteretur decimo anno minime idoneum fuisse quo militibus animus accederet. Sed non grave puto poëtam id fugisse qui Ulixem decimo belli anno id memorantem fingeret.

causam iam illi denegandam esse ostendimus, Agamemnonis autem verba huc spectantia (B 134, 135), cum intercedant inter ea quae recurrunt I 17—28 ubi serio loquitur rex reditum suadens, quoniam ibi desunt, in communi fonte defuisse facile credis. Nestor in oratione sua tangit Ἑλένης ὁρμήματά τε στοναχάς τε, quae verba arguere supra ostendimus raptus imaginem qua vi avecta Helena fingeretur, antiquo fonte debitam. Sed in Διαπείρας fonte vix credibile est Helenae raptum esse narratum. Nam ex omnibus quae de eo disseruimus apparet fuisse carmen cuius argumentum ita fere adumbrare liceat: Agamemnon de felici eventu belli desperans contione advocata suos hortatur ut domum redeant. Turpe regis consilium aegre prohibet Iunonis et Minervae interventus. Ulixes dearum monitu milites retinet. Nestor regis animum confirmat, qui deinde mente mutata suos iubet arma parare ut denuo contra hostes contendant. Huius igitur carminis auctor cognitum habuit carmen quo ageretur raptus ita ut Helena invita abducta esse fingeretur et propterea Nestorem sic loquentem fecit atque legimus B 356. Hoc autem carmen ostendimus fieri posse ut idem fuerit quod Cypriorum loco quem Herodotus affert pro fonte fuerit, tum in eodem tradi potuisse Paridis adventum apud Phoenices, moram in insula Cranae, Phereclum navium fabricatorem.

Carmen, quod Διαπείρᾳ pro fonte fuerit, ante Homeri aetatem esse conditum inde apparet quod ipse Irae Cantor inde aliqua deprompserit. Huic enim locum I 17—28 attribuendum esse posthac ostendemus. Si vero rogas quid quisquam inducere potuerit ut conderet carmen quo Agamemnon animum despondentem proponeret, hoc respondendum videtur: in Διαπείρᾳ simulat rex taedium longae belli morae. Sed vidimus fonte hanc causam alienam esse. Verum nihil magis in promptu est quam ut cognita fuerit poëtae et auditoribus clades Graecorum aliqua quemadmodum in Iliade quoque desperatio Agamemnonis quae in libro I narratur, sequitur Κόλον μάχην, quae in libro O, castrorum expugnationem. Harum cladium neutra nostro carmini subfuisse potest quippe quarum utraque ab iis inventa sit poëtis qui eas Iliadi inseruerunt, id quod posthac demonstrabimus. Sed sponte hic se offert vulneratio Agamemnonis et Graecorum clades cum hac coniuncta, quam legimus in libro Λ. Hanc

proprio carmine iam ante Homeri aetatem celebratam esse nihil vetat credere, adeoque veri simillimum est, de qua re mox agemus accuratius. Nunc etiam hoc animadversum velim. Ulixes B 192 quemcunque principum offendit retenturus, his utitur verbis *οὐ γάρ πω σάφα ϝοῖσθ' οἷος νόος Ἀτρεΐωνος, νῦν μὲν πειρᾶται, τάχα δ' ἴψεται υἷας Ἀχαιῶν*. Haec verba vel alia aliqua quae eodem tendant si forte in *Διαπείρας* fonte lecta fuerint, quod veri simile est cum Ulixe milites retinente in eo videatur careri non posse, in eo carmine simulate Ithacensis egit eo consilio ut stolidis Agamemnonis dictis fidem apud milites detraheret [1]). Fieri igitur potest ut *Διαπείρας* auctor, cum antiqui carminis argumentum ei placuisset Iliadi inserere, ansam quaerens id impetrandi, propter ipsa illa verba in cogitationem inciderit rem ita convertendi ut fingeret Ulixem vere locutum esse, Agamemnonem simulate, milites animos temptaturum.

Nunc videamus de *Ἀγαμέμνονος ἀριστείᾳ*. Iam antequam cantaretur regum rixa quae poëmati illi quo Achillis Ira agitur quasi pro introitu est, Agamemnonem a poëtis in bellum Troianum inductum esse, si de *Διαπείρας* fontibus recte iudicavimus perspicuum est. Praeterea in carmine quod nobis eruisse videmur de Menelai atque Ulixis legatione, consentaneum erat etiam Agamemnonis mentionem esse factam quippe cum pateat ambos fratres una in bellum Troianum receptos esse. Sed postquam Ionum cantores sibi persuaserunt Graecorum exercitui contra Troianos profecto praefuisse Agamemnonem, in promtu erat eis succurrere explicandnm esse cur rex non interfuisset proelio quod ex antiquis carminibus cognovissent duce Aiace apud naves suas Graecos cum hostibus suis commisisse, ceterisque pugnis eodem carminum *κύκλῳ* cantatis. Ad id expediendum nihil magis in promtu erat quam proponere regem vulneratum in priore aliquo proelio. Neque enim potuit ullius momenti esse discrepantia sic orta, quod cum inter illas pugnas ea quoque fuisset quae, Protesilai morte insignis, primo Graecorum adventu commissa esset [2]), priori pugnae locus non daretur. Quid enim? Vulgatissimum est, ubi fabula aliqua antiqua deinceps a multis

1) Si hoc recte animadverti, vs. 194 fonti abiudicandus est.

2) Supra p. 6.

poëtis tractetur, discrepantias non curari. Atque ab altera parte, revera esse conditum ante Homeri aetatem carmen quo traderetur clades aliqua qualis esset regis vulneratio, pro documento est hoc, quod ceteroquin non satis intelligitur, id quod in superioribus monuimus, quae data sit ansa condendi carmen illud quo ageretur regis desperatio, quod Διαπείρᾳ pro fonte fuisse ostendimus. At ipsi vulnerationi, ne minueretur ea regis existimatio, par erat praemittere fortia facta ab eo exhibita; sic eius ἀριστεία est inventa, quam novimus ex Iliadis libro Λ [1]). Huic vero addebantur Ulixes et Diomedes, quorum hic, si recte censuimus [2]) neque eius ἀριστείαν e libro Iliadis E cognitam, neque cladem ab eo Rheso Thracum regi illatam, quam nobis servavit Δολωνείας auctor, ante Homeri aetatem ad bellum Troianum relatam esse, a nostro poëta primo, quantum dispicere licet, eo arcessitus est, quodammodo informatus ad imaginem Aiacis Telamonii [3]); Ulixes autem iam antequam in carmine nostro, in eo carmine cui pro argumento esset legatio missa Helenae reposcendae causa, suas partes egerat, si recte sumitur, id quod nihil prohibet, mentio Antimachi (Λ 158 sqq.), qui largitione Paridis corruptus vetuisset Helenam reddere, iam in nostro carmine facta. Iam vero cum, quo iure quaerebatur Agamemnon cur e pugna apud naves abfuisset, eodem quaereretur cur Ulixes et Diomedes, his quoque vulnus inflictum fingebatur, post res strenue gestas ita tamen ut Atridae primae partes manerent. Etiam Menelaus paulisper in scena ostenditur (Λ 463 sqq.), quem e proelio removendum non curavit noster [4]) — sive ratus rem negligi posse sive de ea non cogitans — poëta recentior pugnae apud naves inseruit (N 581 sqq., O 540 sqq.) [5]).

---

1) Spectari pugnam apud naves Λ 275, 309, 517 supra ostendimus p. 16 ibique in ann. 3.

2) Supra p. 101.

3) Aiax Hectorem evertit scuto lapide percusso (H 268 sqq.), Diomedes galea telo percussa (Λ 349), uterque ei minatur (H 362 sqq., N 810 sqq.), cf. supra p. 16.

4) Narrat quidem Menelaum duxisse Ulixem e turba dum auriga equos adveheret, non narrat illum ipsum reliquisse aciem.

5) Menelaum in antiquissimis de bello Troiano carminibus ei proelio non interfuisse — quod aliter ne potuit quidem, cum haec carmina ad eum nihil pertinerent — ostendimus Mnem. 1912 p. 6. Achilles cur abfuisset potuerant iam ei poëtae explicandum censuisse qui primi in bellum Troianum eum induxerunt. Sed illi suum carminum

In carminis exitu videtur fuisse fuga Aiacis Telamonii (Λ 544 sqq.). Confirmant autem quodammodo sententiam nostram libro Iliadis Λ antiquum carmen pro fonte fuisse, èt vulnerationis exordium amplum et grave (vs. 218) ἔσπετε νῦν μοι μοῦσαι Ὀλύμπια δώματ' ἔχουσαι κ.τ.λ. èt casus Antenoris filiorum Agamemnonem petentium, quorum alter eum vulnerat, copiose descriptus [1]); praeterea hoc quod duo sunt libri Λ loci qui duplicem manum prodere videantur, nam Iphidamas Agamemnonem petens (vs. 234 sqq.) κατὰ ζώνην θώρηκος ἔνερθεν νύξ' ἐπὶ δ' αὐτὸς ἔρεισε βαρείῃ χειρὶ πιθήσας οὐδ' ἔτορε ζωστῆρα παναίολον, ἀλλὰ πολὺ πρὶν ἀργύρῳ ἀντομένη, μόλιβος ὣς ἐτράπετ' αἰχμή, qua in re utrumque molestum, tum quod lorica percussa non hac sed balteo hastae acumen averti dicitur, cum tamen si lorica balteo subesset, nemo scire posset an illi id deberetur quod huic tribuitur, et illi id deberi multo veri similius esset; tum quod omnino balteus commemoratur, loricato alienus, ad tunicatum pertinens. Quae discrepantia inde orta videtur quod in fonte Agamemnon non loricatus esset, loci autem nostri auctor loricatum fingens tamen retineret rei imaginem quam in fonte invenisset [2]). Similemque discrepantiam offendimus Λ 43 4 sqq. Ulixes ibi vulneratur a Soco ita ut perfossis scuto et lorica (vs. 436), cutis a costis hasta avellatur. Sed vs. 457 Ulixes

---

κύκλον nullo artiore vinculo cum antiquoribus de bello Troiano carminibus colligasse videntur. Accedit quod Achillis mortem tractaverunt (vide supra Mnem. 1912 p. 322 sq.), quae pro causa haberi potuit cur sine eo apud naves pugnatum esset. Quoquomodo hoc se habet Irae demum cantor absentiam explicavit, cum causam fuisse iram fingeret.

1) Mater quoque Theano appellatur. Hanc cum marito suspicati sumus (Mn. 1912 p. 33 sqq) iam in antiquissimis de bello Troiano carminibus memoratam esse. Itaque sic quoque apparet eorum carminum rationem habuisse poëtam nostrum.

2) Reichel Hom. Waff.[2] p. 93 et Rob. Stud. z. Il. p. 43 verba θώρηκος ἔνερθε interpretantur „infra loricam". Sed obstant verba ἀγκῶνος ἔνερθε (vs. 252) quae interpretari non licet nisi „in inferiore parte cubiti" nam praecedunt verba κατὰ χεῖρα μέσην i. e. „in medio bracchio". Itaque θώρηκος ἔνερθε est: „in inferiore parte loricae". Tum θώρηξ Reichel nostro loco et E 99, 100, 189, alio nomine scutum esse vult. Sed repugnant ceteri omnes loci sive apud Homeri sive apud reliquos Graecorum auctores ubi vox recurrit. Robert loricam sive scorteam, sive laneam significari putat. Sed apud posteriore aetate Graecos lorica scortea est σπολάς, lanea πίλιον, apud Homerum neutrius nisi hic vestigium cernitur. Ipse antea arbitratus sum, loricam hic alio nomine esse tunicam (cf. Mnem. 1904 p. 124). Sed praestat a vulgari significatione non discedere.

hastam e cute atque e scuto trahit, nihil de lorica, quae tamen taceri non potuit. Propterea nonnulli vv. dd. versum 436 delendum censent. Sed eiusmodi medicina cum loco Λ 234 sqq. adhiberi nequeat, ne nostro quidem quidquam sollicitandum videtur, sed eodem modo de eo iudicandum atque de illo.

Postremo Ἀλεξάνδρου καὶ Μενελάου μονομαχία nobis consideranda est. Hanc Muelder v. cl. perhibuit [1]) carere omni recta ratione si sumas Helenam volentem Paridem secutam esse, nam in certamen venire Menelaum non tantum ut inimicum ulciscatur, sed etiam ut mulierem recuperet, neque tamen honeste posse adulteram in uxoris locum restituere, interficiendam ei esse aut in posterum habendam servae loco, sed neque hanc esse iustam causam cur certamen singulare tentet, et ab altera parte satis perspicuum esse neque Priamum ceterosque Troianos, neque Helenam ipsam apud Homerum metuere ne ullum periculum vel dedecus reductae a Menelao immineat. Mueldero assentior noluisse poëtam quicquam mali a marito uxori intentum vel sive ab ipsa sive a Troianis reformidatum, at inde non sequi ut illam sine sua culpa raptam voluerit in superioribus ample mihi demonstrasse videor. Ab altera parte dummodo Τειχοσκοπίαν, quippe in qua haud dubie Helena a socero non quod culpae vacua sit, sed propter ineluctabile fatum excusetur (Γ 164 sqq.), ipsa vero se accuset (vs. 172 sqq.), et Hectoris convicia (Γ 39 sqq.) fratri exprobrantis Veneris dona quibus alienam uxorem pellexisset, denique Menelai verba Iovem precantis (Γ 352 sqq.) „ὄφρα τις ἐρρίγῃσι καὶ ὀψιγόνων ἀνθρώπων ξεινοδόκον κακὰ ῥέξαι", Μονομαχίας fonti abiudices, nihil obstat, quin credas huius carminis auctorem sibi proposuisse illam invitam vi absportatam esse. Sed hoc non sufficit ut sumamus ante Homeri aetatem Μονομαχίαν inventam esse. Nam cum in numero eorum locorum, qui Helenae culpam arguant nullus sit — id quod posthac ostendere conabor — quem adscribere liceat Achilleïdi i. e. poëmati quo Achillis ira agitur, quod pro nucleo habemus Iliadis nostrae, sciri nequit quid Irae cantor de ea re senserit. Itaque Μονομαχία etiamsi omnes Iliadis partes quae Helenam adulteram habeant, aetate superet, inde non sequitur ut nequeat

1) l.l. p. 29.

Achilleïde recentior esse. Verum aliud quoddam est quo prohibeamur credere eam excogitatam esse sive ab Irae cantore sive ab aliquo poëta recentiore. Nam repugnat legationi missae ad Helenam repetendam quam proprio carmine ante Homeri aetatem celebratam esse vidimus, sic autem repugnat, ut hanc post illam non ut illam post hanc excogitatam esse credibile sit. An credimus eum qui summo iure postulasset ut sine certamine sibi redderetur quae fraudulenter erepta esset, contumeliose spretum et de vita periclitatum — Antimachus enim suaserat ut necaretur — deinde cum in eo esset ut in fraudatorem irrueret, potuisse conditiones accipere quibus inimico ultro copiam sui daret — uter enim prior hastam missurus esset sorti permittebatur ipsis certaminis legibus — tum, quod etiam multo gravius erat, quibus adversario si se vinceret securitatem praestaret ab amicis sociisqus suis — id enim stipulatum esse legimus Γ 256 sqq. — et quietam feminae possessionem? Aliud erat si eam non repetiverat, si praedoni potestatem non fecerat tute praedam dimittendi, si statim rem ad arma revocaverat. Tum potuisse eum commune militum periculum in se recepturum honeste accipere leges certaminis singularis ita dare licet si existimandum est carmen quo hoc ageretur eis temporibus conditum esse quibus latrocinium, dumne laederetur hospitium — nihil autem prohibere vidimus hic cogitari de incursione hostili — non pro delicto haberetur et praedae possessione constitueretur quodammodo dominium. Discrepantiam inter Μονομαχίαν et legationem non eam esse puto ut non potuerit utrumque carmen in numero esse carminum eiusdem κύκλου; veri simile habeo, qui carmen quo Μονομαχία traderetur cognitum haberet, fugere eum potuisse legationem ante certamen singulare missam ad hoc non quadrare; illud nego, postquam carmen quo legatio de femina repetenda narraretur esset conditum, quemquam cui hoc cognitum esset — ignotum autem esse non potuit poëtis qui argumenta ad eandem materiem pertinentia tractarent in eadem regione iisdem temporibus viventibus — potuisse incidere in cogitationem fingendi certamen singulare quo de femina deque bonis cum ea raptis decerneretur. Fieri potest ut Μονομαχία iam carminibus Peloponnesiis tractata sit quae belli Troiani rationem non haberent, sed satius videtur Μονομαχίας quam in Iliade legimus fontem

tribuere poëtae Ionio in Asiae litore viventi. Reichel v. d. ostendit vss. Γ 359, 360 aptum sensum non praebere si de Paride loricato cogitetur, legi enim ibi *ἄντικρυς δὲ παραὶ λαπάρην διάμησε χιτῶνα ἔγχος, ὁ δ' ἐκλίνθη καὶ ἀλεύατο κῆρα μέλαιναν*, neque tamen posse qui lorica supra tunicam indutus sit, utraque prope inguen transfixa, ita corpus vertere ut vulnus vitetur [1]). At loricatus proponitur vs. 258 et loricam induisse narratur vs. 332 sqq. Propterea nonnulli viri docti hos versus interpolatori tribuendos censuerunt. At perquam incredibilem puto eum interpolatorum furorem quo inducti ferre non potuerint heroës nisi loricatos. Praeterea alii sunt Iliadis loci ubi lorica ita molesta est ut tamen interpolatos habere non liceat. Ut Λ 234 quem locum modo pertractavimus [2]), ut Δ 132 sqq. (= Υ 414 sqq.) [3]), Ε 189 sqq. [4]). Itaque sic iudicandum censeo tam nostri loci quam eorum locorum auctores cum in fontibus suis invenissent heroës nullis loricis indutos ipsi eos sibi loricatos proponerent, imprudentes utramque imaginem confudisse ideoque conturbasse omnia. E fonte igitur nostro transsumti esse videntur vss. 359 sq. Atqui

---

1) Helbig (das Hom. Ep. aus den Denkm. erl. p. 165 sqq.) loricam quam Homerus velit ea censet fuisse amplitudine ut velut locum mutare in ea queas. Hoc vero, ne absurdum sit, ne prodest quidem praecisa tunica, quippe cum tunica sub lorica ad corpus se applicet necesse sit.

2) Supra p. 115 et in ann. 1.

3) *ὅθι ζωστῆρος ὀχῆες χρύσειοι σύνεχον καὶ διπλόος ἤντετο θώρηξ.* Hoc si recte se habet loricae partes ita commissae erant ut in longum pectoris ventrisque altera pars alteri superducta esset. Verum quidquid de loricarum fabrica apud Graecos ab antiquis discimus repugnat et res ipsa absurda est. Reichel censet eiecto vs. 136, verbis *διπλόος θώρηξ* significari coniuncte balteum et mitram, qui usus vocis *θώρηξ* sine exemplo est. Robert (l.l. p. 43) rursus loricam sive laneam sive scorteam significari censet (vide supra ann. 1 ad p. 115).

4) Ε 112 sanguis narratur emicare *διὰ στρεπτοῖο χιτῶνος*, loricae vss. 99, 100 commemoratae nullae mentione facta, quam si Diomedes supra tunicam induisset, per hanc non per eam cerneretur sanguis erumpens, tunicam autem induere supra loricam absurdum erat. Tum vs. 795 heros a Minerva reperitur scuti fasciam alternans et vulneris cruorem abstergens. Hoc facere non potuit indutus lorica aënea. Reichel suspicatur (l.l. p. 145) vss. 99, 100, 189 scutum intelligendum esse, quid autem vs. 282 faciendum sit tacet. Robert (l.l. p. 37) vs. 99, 100, 189 delendos censet et vs. 282 pro *θώρηκ'* legendum esse *ζωστῆρ'*. Sed vs. 99, 100 optime inter se et cum superioribus cohaerent, insolitum autem, ne dicam inauditum apud Homerum, ubi quis feriatur aut icatur effectum non commemorari sive vulnus accipitur sive minus. Praeterea parum veri simile est ab interpolatore *ζωστῆρ'* in *θώρηκ'* mutatum esse. Quod antea censui voce *θώρηξ* significari tunicam cf. supra p. 24 in ann. 1.

idem versus recurrunt H 253 sq. neque hi soli sed etiam vs. 358 (= H 252) ubi commemoratur lorica. Itaque aut eius quoque loci auctor in fonte suo invenit eadem verba ἄντικρυσ δὲ διὰ λαπάρην κ.τ.λ. aut totum locum qualis in Iliade est alter apud alterum inventum repetivit. Sed hoc minus veri simile puto. Nam non tantum auctorem loci nostri sed etiam auctorem loci H 252 sq. ex antiquo fonte hausisse ostendimus in superioribus [1]), eumque fontem fuisse carmen quo celebraretur certamen Aiacis cum Hectore quo hic ab illo interficeretur. E fonte igitur antiquo uterque hausit. Mirum autem fuit si quis argumentum suae poësis ex antiquo fonte depromens in singulis depingendis fontem suum dimisisset ut repeteret alius poëtae verba argumentum simile tractantis. Itaque non hoc nego aut auctorem loci Γ 358 sqq. aut loci H 252 sqq. auctorem illum versum (Γ 358, H 252) ubi lorica memoretur ab altero transsumsisse, sed hos versus qui sequantur qui ad loricatum non quadrent, a *fontis* auctore aut loci Γ 359 sq. aut loci H 252 ab alterius *fontis* auctore transsumtos esse contendo. Idque si ita est facile dabitur veri similius esse poëtam Ionium eos depromsisse e carmine antiquioris poëtae Aeolici (nam Aeolica carmina ea quoque appellare licet antiquissima carmina quae bellum Troianum celebrarent), quam aut antiquissimi carminis Peloponnesii auctor e carmine Aeolico, aut carminis Aeolici e carmine Peloponnesio.

De temporis ordine quo carmina numero quinque quae nunc pertractavimus edita sint, hoc statui posse videtur. Carmen quod inscribere liceat „Agamemnonis desperatio" pendere vidimus (supra p. 56 sqq.) ex Ἀγαμέμνονοσ ἀριστείᾳ, in hac autem tangi Menelai et Ulixi legationem (supra p. 58) quod carmen ipsum non posse conditum esse (supra p. 61) nisi post Ἀλεξάνδρου καὶ Μενελάου μονομαχίαν. E cunctis his igitur hoc carmen primum locum obtinet, secundum *Legatio*, tertium Ἀριστεία, quartum *Desperatio*. Praeterea suspicati sumus (supra p. 56) huius auctorem tetigisse carmen quo ageretur *Helenae raptus*, cui ceteroquin qui locus in cunctorum ordine tribuendus sit non apparet.

---

1) p. 15

d. *De fontibus Iliadis in superioribus non pertractatis.*

Troianorum sociis Lycii, i. e. verae Lyciae incolae, nam de Pandari eiusque copiis supra iam egimus, haud dubie additi sunt a poëtis qui ad augendam fabulam Troianam, eorum adhiberent bella cum Graecis e Dorum gente. Dores enim constat in eorum consedisse vicinia occupatis saeculo a Chr. n. fere XI vel X insulis Rhodo, Coo aliis circumiacentibus et litore Cariae his opposito, eosque Lyciis hostiles fuisse ipsa docere videtur Ilias. Nam Dores respici ubi narratur Tlepolemus (B 653 sq. cf. E 627 sqq.) cum popularibus Rhodo contra Troianos profectum esse perspicuum est, tum quia eos tripertitos habitare poëta tradit (B 655) quod idem de Doribus Peloponnesiis notissimum est, tum quia non aliter ac horum reges Tlepolemus fingitur Herculis progenies, ut etiam Dores spectari apparet ubi Coi proximarumque insularum incolae ducibus Thessali filiis Hercule nati inter Agamemnonis copias commemorantur (B 676 sqq.); Tlepolemum autem discimus (E 627 sqq.) cum Sarpedone Lyciorum rege pugnantem ab hoc occisum esse, quod certamen ne censeamus propterea inventum esse quod antea iam Lycii ferrentur inter Troianorum fuisse socios, propterea retinemur quia èt huius rei nulla causa cernitur, contra bella Lyciorum cum Doribus si forte carminibus celebrata essent, nihil mirum erat deinde in maiorem belli Troiani gloriam usurpari, èt ab altera parte apparet cum Ionibus intercessisse Lyciis vincula amicitiae et affinitatis. Nam in Iliade legimus horum reges Glaucum et Sarpedonem Graeca stirpe oriundos fuisse, narrat enim Glaucus in colloquio cum Diomede (Z 152 sqq.) Bellerophontem avum suum et Sarpedonis, habitantem in urbe Ephyra, inde in Lyciam profectum, duxisse regis Lyciorum filiam eique in regnum successisse, quod quamvis ex Homero non appareat ubi illa urbs sita fuerit [1]), ad Iones pertinere testatur Herodotus (I 147) cum

1) Urbs Ephyra in Thesprotia commemoratur B 659, sed nostram Ephyram cum poeta dicat sitam *μύχῳ Ἄργεοσ ἱπποβότοιο* et subiectam imperio regis Proeti qui quin in Peloponneso habitasset nemo ex antiquis unquam dubitavit, non credibile est hic

tradat Ionum Asiaticorum nonnullas regias gentes a Glauco duxisse originem. Tamen illa ratio inter Lycios et Iones vix existere potuit nisi aliquando finitimi fuissent, itaque veri simile est in ora Cariae antequam Dores eo advenissent, Iones consedisse qui etiam postea a sinu Iassico eam contingerent. Initio Bellerophontem Graecis inter numina fuisse docent multa quae de eo ediderunt scriptores [1]), quo etiam tendit quod apud Homerum chimaeram vincit, ἡ δ' ἄρ ἔην θεῖον γένοσ οὐδ' ἀνθρώπων [2]), ut etiam Glaucum apparet fuisse deum marinum, qui et aliis locis coleretur et praecipue Anthedone in urbe Boeotiae [3]). Pro Sisyphi prole eum habitum esse facile intelligitur si hunc quoque initio inter deos maritimos fuisse recte censent multi vv. dd.; sed qui factum sit ut Bellerophontem cum Glaucone sanguinis vinculo iunxerint poëtae, utrum hoc iam in Graecia factum sit an in Asiae denique litore, cur illis praecipue heroïbus rationes cum Lyciis intercessisse narrentur, omnino utrum in Graecia iam an in Asia a deis in heroës conversi sint, hic non opus est rogare: hoc dubitari nequit quin a poëtis Ioniis Lyciorum regibus sint additi. Idque ut ante Homeri aetatem usuvenerit ipsa fert ratio, praeterea rem confirmat hoc quod chimaeram quam a Bellerophontis rebus gestis nemo seiunget Amisodarus quidam natione Lycius eduxisse dicitur Π 528 ne verbo quidem explicandi causa rem addito; quae igitur auditoribus cognita erat.

---

de urbe Thesprotiae cogitandum esse. Aristarchus intellegebat Corinthum (cf. Schol. ad Z 152), haec vero urbs suo nomine appellatur B 570 N 664. Tamen Corinthum voluisse videtur poëta noster, cum in hac urbe Sisyphum iam collocaverit poëta Eumelus (Pausan. II. 22) qui e nostro loco hoc didicisse non potuit, ex alio igitur fonte antiquo id hausit, quem fontem nostro cognitum fuisse veri simile est. Nam etiam omnes qui post Eumelum de ea re egerunt eandem tradiderunt Sisyphi sedem et Herodotus auctor est (I 147) nonnullos reges Ionum Asiaticorum Glaucum Sisyphi prolem pro generis auctore habuisse — Iones autem Asiaticos cum ex Attica tum e Peloponneso profectos supra monuimus — a nostro Ephyra Proeto regi Peloponnesio subiecta dicitur. Cur ergo Ephyram usurpat? Sisyphus ab eo Aeoli filius dicitur heroïs Thessali. Videtur ergo Sisyphus initio carminibus Thessalorum celebratus esse, cumque Strabo tradat (IX. 442) prope Crannonem Thessaliae urbem habitasse olim populum cui nomen Ephyris, haud absurde conicias a cantoribus Thessalis Sisypho tributam esse urbem Ephyram, idque nomen retentum ab iis poëtis qui eum Corinthum traducerent.

1) Paus. II. 2. 4; 4. 1 sqq.

2) Z 180.

3) Paus IX. 22. 6. Strab. VIII. 405.

Iamvero etiam Tlepolemi cladem in Iliade traditam poëtis Ioniis deberi veri simile est. Nam id ipsum quod victoria Sarpedoni tribuitur in certamine cum eo, id quod apud Homerum si excipis Patroclum ab Hectore interfectum inauditum est e principibus Graecorum ducibus aliquem a Troiano duce vinci, indicio est eum qui hoc excogitaverit Lyciis magis favisse quam Doribus eorum hostibus. Sarpedonem non aliter atque Glaucum initio inter Graecorum numina fuisse e diversis efficitur indiciis. Nam alii narrabant Iove, alii Neptuno eum natum esse [1]), Sarpedonia dicebatur insula ubi Gorgones habitarent [2]), Aquilo ferebatur Orithyiam duxisse ad saxum Sarpedonium [3]), in Cilicia fuit delubrum Apollinis Sarpedonii [4]) et Dianae Sarpedoniae [5]), praeterea in Thracia promontorium Sarpedon [6]). In hominem conversum et Lyciorum regem factum non mirum est eum cum Glauco cognationis vinculo coniunctum esse, ut apud Homerum hic dicit (Z 197 sqq.) ex sua amita Iovem eum procreasse. Sed cum alii dicerent eum esse filium Iovis ex Europa et in insula Creta a matre editum [7]), suspicari licet, siquidem veri simile est ex hac insula Lycios in novam patriam advectos esse [8]), deum Sarpedonem Graecos a Lyciis transsumsisse et praecipue Iones adductos peculiari natura quae huic deo tribueretur, quem haud absone censeas ventis imperantem fictum esse, promontoria, insulas, litora, quae in navigationibus suis propter vim procellarum sibi notassent, pro eius domiciliis habuisse. Itaque etiam a Ionum poëtis primis eum in hominem esse conversum in promtu est, deinde Dores, si in superioribus recte disputavimus Iones antequam hos rationes cum Lyciis habuisse, cognovisse Sarpedonem Lyciorum heroëm.

Consideremus utrum in bellum Troianum iam ante Homeri aetatem an ab hoc primo Tlepolemus, Sarpedon, Glaucus denique

1) Apollod. II. 105.

2) Cypr. fr. 21.

3) Pherec. Fr. H. Gr. I 97. 104.

4) Diod. XXXII. 11.

5) Strab. XIV c. 5. 676.

6) Apollod. II 105.

7) Apollod. III. 3.

8) Ed. Meyer Gesch. des Alterth. I². 2 p. 624, Herod. I 173 VII. 99. Paus. VII. 3. 7.

Lycii arcessiti sint. Hector ubi Agamemnonem vulneratum ex acie discessisse cognovit suos adhortatur (Λ 285 sqq.), his verbis eos allocutus Τρῶεσ καὶ Λύκιοι καὶ Δάρδανοι ἀγχιμαχηταί. Ceteros locos omnes ubi Lycii sive cum ducibus suis sive sine eis in Iliade commemorantur, utrumque etiam locum (Δ 197, 207) ubi Pandari comites hoc nomine significari videntur, denegandos censemus — id quod posthac demonstrandum erit — Achilleïdi, is vero locus, nisi interpolatus est, id quod nihil est cur credamus, Irae Cantori videtur tribuendus. Atqui hic manifesto ita Lycios simul cum Troianis et Dardanis appellat ac fieri non potuit nisi tangeret rem omnibus notam. Unde efficiendum est iam ante eius aetatem aliquod carmen esse conditum quo distincte significarentur illi stetisse a Troianorum partibus. Sponte autem se hic nobis offert certamen Sarpedonis et Tlepolemi. Nam proelia a Lyciis cum Doribus finitimis commissa non tantum perquam credibile est ab horum cantoribus ante Homeri aetatem carminibus celebrata esse inque eis Tlepolemum et Sarpedonem primarias egisse partes, sed etiam facili negotio carminis alicuius ex horum numero argumentum, ita reformare potuit poetarum Ioniorum aliquis ut auditoribus nihil dubii relinqueretur quin proelium quod ageretur, pertineret ad bellum Troianum, proelio simul exitu ita mutato ut victoria, id quod poëtae Dorii consilio convenire non potuit, Sarpedoni tribueretur. Utrum Catalogi auctor ea quae de Tleopolemi iuventute deque eius fuga tradit (B 657), quae perspicuum est item primum a Doribus Asiaticis cantata esse recta via ex eorum carminibus hauserit an a Ionio poëta inde deprompta transsumserit, neque patet neque ullius momenti est. Sed cetera quae de Lyciis apud Homerum narrantur, si discedis a Sarpedonis cum Patroclo certamine et a Glauci cum Diomede colloquio, non videntur respicere argumenta carminum antiquorum. Primum de Sarpedone videamus. Hic in Τειχομαχίᾳ quoque primario loco est, sed nihil haec habet cur censeas hanc Graecorum cladem iam proprio carmine celebratam esse antequam Iliadi insereretur [1]). Et locos ubi obiter ap-

1) In Τειχομαχίᾳ tangitur mors Asii (M 110 sqq.) qui in proelio apud naves occiditur ab Idomeneo (N 348). Iam vero ea quae in hoc proelio ad Idomeneum pertineant, ei inserta esse ab auctore recentioris aetatis supra suspicati sumus (p. 35).

pellatur (Ξ 426, O 67, P 150 sqq., Ψ 800) vel proponitur Hectorem perstringens (E 470 sqq.) vix opus est monere non ex antiquis fontibus haustos esse. Ἐπεισόδιον quo narratur mors ei a Patroclo illata, cum in eo tangatur Τειχομαχία (Π 511 sqq., 558 [1]) non potest esse antiquior hac. Neque revera ullo alio consilio egisse videtur is qui Patrocli victoriam ex eo reportata invenit, nisi ut Πατροκλείαν ornaret novo aliquo facinore. Sed quoniam Sarpedonis mors tangitur in ἐπεισοδίῳ quod est de eius cum Tlepolemi certamine, ibi enim poëta postquam eum quoque graviter vulneratum narravit, addidit (E 668) πατὴρ (i. e. Ζεὺς) ἔτι λοῖγον ἤμυνε, forsitan ipsa mors non ab auctore certaminis cum Patroclo inventa sit. Nam supra suspicati sumus poëtam qui eum saucium quidem sed tamen victorem a Tlepolemo discessisse narraverit, certaminis exitum quem in fonte suo invenisset mutasse. Accedit quod colloquium Iovis cum uxore quod Sarpedonis morti praemittitur (Π 431 sqq.) et Sarpedonis corpus abductum a fratribus geminis Morte et Somno (Π 450 sqq., 666 sqq.) nescio quomodo prodere videntur fontem antiquum. Praeterea a multis ferebatur Sarpedon ab Hercule esse interfectum [2]), quem a deo in heroëm conversum imprimis a Doribus cultum esse scimus. Qua propter fieri potest ut initio Dorum cantores ipsum Herculem maioribus suiis adfuisse in bello contra Lycios et horum principem interfecisse narraverint, deinde Tlepolemum pro patre substituerint. Hoc si sumitur poeta Ionius cum contra Sarpedonem illo interfecto pugnae superstitem narraret censendus est verbis πατὴρ δ' ἔτι λοιγὸν ἤμυνε notavisse qua in re dissentiret ab auctore carminis quod pro fonte haberet. Ceterum facile intelligitur victoria quam de Tlepolemo reportasset Sarpedon, ansam dedisse Τειχομαχίας auctori ut plura fortia facta ei tri-

---

Recentissimam originem Τειχομάχίας etiam prodit vs. M 15, ubi Troia decimo belli anno expugnata dicitur, nisi hunc versum spurium iudicas cuius rei iustam causam non video.

1) Locum Π 558 ὃς πρῶτος ἐσήλατο τεῖχος Ἀχαιῶν propter levem discrepantiam, revera enim non Sarpedon primus in castra Graecorum irruit, verum Hector, ille primus effregit propugnaculum, spurium putantes vv. dd. Koechly et Leaf, ille delet vss. 556—562 hic vss. 555—568. Hoc autem nostra nihil refert cum tamen restet alter locus Π 511 sq.

2) Cf. Gruppe l.l. (p. 220 ann. 7) qui affert Inscr. Graec et Sicul (ed. Kaibel) 1293, 81 S.

bueret atque sic factum esse ut auctor eius certaminis cum Patroclo neminem digniorem putaret quem huic opponeret.

Nunc de Glauco videamus. Hic praeterquam coniuncte cum Sarpedone, invenitur Π 13 ubi vulnerat Graecorum aliquem Iphinoum, quem locum nemo censebit ex antiquo fonte haustum. Colloquium cum Diomede (Z 119—256) maxime propterea Iliadi insertum videtur ut edatur Glauci γενεαλογία ad Sarpedonem quoque pertinens (Z 197), memorentur casus et res gestae Bellerophontis ex antiquioribus Ionum carminibus petita (vide supra p. 123), narretur superbia regis Lycurgi Bacchum eiusque τιθηνάς, per iuga Nisaei proturbantis cuius rei Diomedes fingitur mentionem facere haud dubie depromptae e carminibus Boeotiis in Asiae litore pervulgatis. Sed colloquium ipsum et hospitium quo iuncti finguntur Oeneus et Bellerophon, quin excogitasse credas eundem qui Iliadi inseruerit nihil obstat. Permutationi armorum qua vehementius motus poëta exclamat (Z 234 sqq.) ἔνθ' αὖτε Γλαύκῳ Κρονίδης φρένας ἐξέλετο Ζεὺς ὃς πρὸς Τυδεΐδην Διομήδεα τεύχε' ἄμειβε χρύσεα χαλκείων, ἑκατόμβοι' ἐννεαβοίων, verisimile est subesse veram aliquam rem quam poëta undevis cognitam memoria tenuerit. Postremo Lycii sine suis ducibus referuntur Λ 285 sq., de quo loco supra egimus, Θ 173, N 150, O 424 sq., 485 sq. quibus omnibus eadem formula legitur Τρῶες καὶ Λύκιοι καὶ Δάρδανοι ἀγχιμαχηταί, ex illo loco repetita, tum Z 78 ubi Helenus dicit Αἰνεία τέ καὶ Ἕκτορ ἐπεὶ πόνος ὔμι μάλιστα Τρώων καὶ Λυκίων ἐγκέκλιται qui locus haud dubie debetur auctori Ἕκτορος καὶ Ἀνδρομάχης ὁμιλίας, e nullo antiquo fonte haustus, postremo K 430 ubi Troianorum socii recensentur quos auctor undique ex Iliade conflatos in antiquo suo fonte, si de eo recte disputavimus (supra p. 102) invenire non poterat.

Tlepolemum e Dorum Asiaticorum carminibus ad poëtas Ionios pervenisse monuimus, quaeque de eius iuventute et fuga e Peloponneso tradat Catalogi auctor (B 657) incertum esse utrum recta via ex illis deprompserit an transsumta ab his cognoverit. Quo eodem modo iudicandum est de Phidippo et Antipho Thessali filiis qui apud Homerum non inveniuntur nisi in Catalogo (B 676 sqq.). Primum hos a Doribus celebratos esse inde effici supra ostendimus èt quod ab Hercule genus suum ducerent et quod Coo insulisque adiacentibus imperarent, a Do-

ribus saeculo fere XI vel X occupatis [1]). Cumque antiquos insulae Coi incolas Meropes audisse constet, nomen quoque Meropis nobilis Troiani qui in Iliade collocatur Percote in urbe Troadis ex eodem fonte atque Thessali filios arreptum esse veri similiter monuit vWilamowitz Moellendorf v. cl. [2]). Sed etiam in eis insula Cos commemoratur quae narrantur de Hercule ipso. Nam in Iliade legimus (E 640 sqq. Ξ 249 sqq.) eum diruisse Troiam cuius urbis rex Laomedon, cui bene fecisset, ei dare nollet equos suos propter quos e longinquo venisset, in reditu autem ab urbe deleta dolo Iunonis cuius admonitu Somnus Iovem sopivisset, delatum esse in illam insulam (Ξ 254 sqq., O 26 sqq.). Itaque in promptu est haec deberi cantoribus habitantibus aut Coum ipsam aut e circumiacentibus insulam aliquam aut litus Cariae adiacens, quocum convenit quod his locis Dores consedisse vidimus, Hercules autem quamvis ab aliis etiam Graecorum gentibus coleretur, tamen eius res gestas in hominem conversi imprimis a Doribus celebratas esse constat [3]). Omissis nominibus insulae quo deferretur et urbis quam diruisset, fieri potest ut iam a Doribus Peloponnesiis eadem materies tractata sit. Sed Laomedontis urbem ab initio non Troiam audisse mox ostendam et verisimile est id nomen tum cum Troia propter Aeolum Ionumque carmina celeberrima facta esset in litore Asiae, ideoque etiam Herculi suo rationes cum ea interfuisse vellent Dores Asiatici, ab his simul ac insulae nomen additum esse. Ad devinciendum Iovem sopore illo importuno, utrum Iuno in Herculis causa, ut ubi Troianis nocitura eundem dolum denuo machinaretur (Ξ 153 sqq.), suas quoque illecebras adhibuerit maritum ad rem Veneream pelliciens, an soli Somno reliquerit eum consopiendum vix sciri potest. Hoc veri similius

1) Cos nostro loco dicitur urbs Eurypyli cum tamen quae ratio huic cum Thessalo intercesserit siletur. Atqui Eurypylum inter Thessalorum heroes fuisse et ceteroquin notissimum est et apparet B 736. Ab altera parte nulla sunt vestigia Herculem in Thessalia cultum esse. Credibile igitur videtur initio Eurypylum et Thessalum cognatos esse habitos, postea Herculem esse insertum idque a Doribus, initio igitur illos celebratos esse a Graecis qui ante Dores e Thessalia in Cretam advenissent. Cf. Ed. Meyer Gesch. des Alterth. I p. 261 sq.

2) Isyllos p. 52. A 20. — Nomina Meropis filiorum Adresti et Amphii arrepta esse e carminibus de bello Thebano monuit Usener (der Stoff des Gr. Epos 1897 p. 37).

3) Cf. Ed. Meyer l.l. p. 259 sqq.

videtur, nam coniugum amoribus Somni ministerium sane supervacuum fiebat, quapropter hoc Διὸς ἀπάτης auctor videtur deprompsisse e carminibus quibus res Herculis agerentur, illos rei ornandae causa ipsum addidisse. Neque eos e nihilo confinxit, dubitare enim non licet quin adhibuerit carmen antiquum quo ageretur ὁ ἱερὸς γάμος [1]). Quo etiam referendum videtur cingulum Veneris ἔνθα τέ οἱ θελκτήρια πάντα τέτυκται (Ξ 214 sqq.). Auctori enim nostro non ignaro Iunonem Veneremque a diversis partibus in bello Troiano stare (Ξ 190 sqq.) minus consentaneum erat illam fingere a matre cupidinum lenocinia petentem, nisi hoc in fonte suo invenisset. Seriem mulierum quas a se amatas, minus cupide quam tum uxorem se petivisse profitetur Iuppiter, manifesto undique conflavit interpolator. Quod autem poëta noster narrat Iunonem Lemni Somnum convenisse, cur ibi potissimum hunc degisse finxerit latet, neque e Dorum carminibus hoc transsumsisse videtur, quippe cum insula Lemnus longius abesset a locis ubi Dores habitarent. Sed quod Iuppiter quo tempore Hercules in insulam Coum advenit experrectus re perspecta uxorem ex Olympo suspendit manibus vinctis et duabus incudibus affixis pedibus (O 18 sqq.), deos qui ei auxilio venire studerent disiecit (Ξ 257, O 23 sqq.), Herculem reduxit in terram Argolicam (O 29 sqq.), haud dubie Διὸς ἀπάτης auctor in fonte suo Dorio invenit. Quo etiam referremus locum A 566 sqq. ubi legimus deorum patrem Vulcanum matri ad auxilium accurrentem pede prehensum e coelo detorsissise ita ut per totum diem lapsus in insulam Lemnum deveniret, nisi ipsa rursus illa insula commemorata obstaret. Ac sane Vulcanum e coelo deiectum, quo perspicuum est fulminis ictum significari, diversis rationibus constat explicatum esse, ut Σ 395 sqq. eadem res tribuitur matris saevitiae. Ceterum quod in Iliadis ἐπεισοδίῳ quo narratur Tlepolemi cum Sarpedone certamen, Herculis expeditio Troiana ita tangitur (E 637 sqq.) ut appareat eam bello

---

1) Muelder v. cl. l.l. p. 127 „mythologische Unklugheit blieb es vorbehalten in der ursprünglich auf faunisches Lachen berechneten Zeichnung die fromme Beschreibung einer religiösen Zeremonie, einer „heiligen Hochzeit" zu sehen". Aperte confiteor malle me a viro doctissimo stoliditatis postulari quam aut credere e nullo fonte antiquo hausisse nostrum, aut pro fonte fuisse iocum scurrilem („ein Herculesschwank").

Troiano quod Agamemnone duce gereretur temporis ordine antecessisse, aetatum haec definitio Ionibus deberi puto. Eos enim Dorum poëtas qui Lyciorum cum Doribus bella cantarent credibile non est rerum Troianarum rationem habuisse, ex his igitur illa non oriunda est. Ab altera parte illi Dorum cantores qui Troiae excidium Herculi tribuerent, non erat Agamemnonem cur memorarent. Verum Ionum poëtae qui horum carmina cognovissent consentaneum erat cum ambas expeditiones in unam coniungere non possent, ita eas temporis ordine distinguere ut utrique locus daretur.

Laomedontis autem sedem initio non Troiam fuisse, inde sequitur quod in urbe Sicyone a Doribus habitata ante quam in litus Asiae transmitterent regnasse ferebatur Lamedon quidam [1]) quem a Laomedonte non diversum fuisse apparet, quia huic tribuebatur filius Clytius [2]) et uxor Zeuxippe [3]), alteri socer Clytius [4]) et filia Zeuxippe [5]); Clytius vero alio nomine Orcus est [6]), et nomen Zeuxippe spectat ad equos quibus in Iliade Laomedon insignis fuisse narratur (E 268 sqq.). Itaque Laomedon ante quam rex mortalis esset, ipse fuit inferorum tyrannus, quem *κλυτόπωλον* dicere Homerum nemo nescit, quodque Neptunum et Apollinem ei servisse poëta tradit — facit enim (Φ 442 sqq.) maris deum fratris filium alloqui: *οὐδέ νυ τῶν περ μέμνησαι ὅσα δὴ ’πάθομεν Ϝιλίον ἀμφὶ μοῦνοι νῶι θεῶν ὅτ’ ἀγήνορι Λαομέδοντι παρ’ Διὸσ ἐλθόντεσ ’θητεύσαμεν εἰσ ἐνιαυτὸν μίσθῳ ἐπὶ ῥητῷ* — habemus hic aliam imaginem eiusdem fabulae aliunde notae, qua Apollo regi Admeto servisse tradebatur. Unde porro sequitur ut ubi Hercules narratur Laomedontis urbem evertisse alia forma eadem materies tractata esse videatur atque ubi refertur Orcum sagittis suis vulnerasse *ἐν Πύλῳ ἐν νεκύεσσι* (E 397) et absportasse *κύνα στυγεροῖ’ ’ΑϜίδαο* (Θ 267 sqq.), aut ubi dicitur regem Neleum devicisse eiusque filios interfecisse (Λ 691 sqq.).

1) Paus. II c. 6. 3.
2) Υ 238.
3) Schol. Γ 250.
4) Paus. II 6. 5.
5) Paus. l.l.
6) Caletor Clytii filius ab Aiace Telamonio interficitur O 419 sqq. Clytium vero et Caletorem initio eosdem fuisse atque Clymenum et Calesium vix quisquam negabit. De deis inferis Clymeno et Calesio cf. Usener Göttern. p. 39. Stoff des Gr. Ep. p. 25 sqq.

Iamvero deos Neptunum et Apollinem amandationem e coelo sibi contraxisse propter insidias Iovi structas poëtae sibi proposuisse videntur. Apud Homerum enim legimus (A 400) si mss. fides est, Iunonem Neptunum Minervam, si Zenodoto credimus, Iunonem Neptunum, Apollinem consilium inisse vinciendi deorum regem, Zenodoti autem auctoritas non sufficit ut statuamus eius loci auctorem Apollinem pro Minerva appellasse, sufficit ut credamus antiqua carmina illi nota fuisse quibus res ita proponeretur; horum autem carminum auctores veri simile est coniurationem et exilium coniunxisse. Sed quoquo modo hoc se habet utramque rem initio pertinuisse ad mythos quibus naturae φαινόμενα, imbres procellae solis labores terrae motus deberi fingerentur numinum proeliis et inimicitiis satis constare videtur [1]). Quo etiam vis Iunoni a marito illata deorumque acerba vexatio referenda esse videtur. Iunonis poenam forsitan initio non narratum sit propter Herculem sed propter coniurationis societatem ei inflictam esse.

Ceterum Laomedon cum in hominem conversus esset quaestio oriebatur unde rex mortalis equos sibi comparasset, qui essent ἄριστοι ἵππων ὅσσοι ἔασιν ὑπ' ἠῶ τ' ἠέλιόν τε (E 266 sqq.) In eam expediendam nonnulli adhibuerunt mythum quo ageretur raptus Ganymedis, Laomedontis apud Homerum avunculi, nati patre Troë, cui Iuppiter equos dedisset compensandos cum filii raptu (E 265 sqq.). Apparet autem ex his, aut tum denique Ganymedem cum Laomedontis rebus coniunctum esse cum hic iam rex Troiae crederetur, aut eum cum primum coniungeretur,

1) Coniurationem a Iunone, Miverva, Neptuno factam esse propter Iovis Troianorum studium, de quo non dubitasse poëtas qui numen in Ida cultum pro eodem haberent atque Iovem Olympium, censet vLeeuwen Mnem. 1906 p. 294 sqq. De patre Idaeo in unum coniuncto cum Iove Olympio assentior, coniurationem nolim huc referre. Si patrem Idaeum poëtae a Iove distinxissent nihil vetaret credere illum a deis Graecorum res tuentibus impugnatum esse. Sed mundum regi certo imperio iam diu, credo, ante Homeri tempora poëtae res coelestes ad instar rerum humanarum sibi proponentes, persuasum habebant, Apud Homerum Iuppiter ceteros deos longe superat viribus et potestate, quod ab Homero inventum esse parum credibile est. Olim naturae φαινόμενα, tempestates, fulmina, talia homines adduxerant ut putarent de summa imperii certari inter deos; poëtae epici fabulas inde ortas non respuerunt, sed rem remiserunt ad tempora longinquissima. Etiam quod Briareus Iovi auxilium fert A 401 sqq. eo tendere videtur, quod haud dubie antiquo mytho adscribendum est. (A Thetide eum invocatum pro Irae Cantoris habeo invento.).

factum esse non Troïs sed ipsius Laomedontis filium, quorum utrum verius sit sciri non potest; ceterum ab iis poëtis donum equorum raptui additum esse videtur qui coniungerent. Tamen Aeneae stemmatis auctor quamvis non ignorans raptum Ganymedis et Laomedontis avunculum hunc fingens (Υ 230 sqq.), illo non usus esse videtur ad Laomedontis equorum originem explicandam. Nam in raptu commemorando donum equorum tacet, sed Erichthonium, quem Laomedontis proavum fingit, duodecim pullos possedisse dicit ab Aquilone procreatos quorum divinam praestantiam copiose enarrat (Υ 225—229)[1]. Poëtam hunc ante Homeri aetatem eodem carmine èt Aeneae stemma èt eius certamen eum Achille comprehendisse, ex antiquissimis autem de bello Troiano carminibus arcessivisse Erichthonium, Troem, Ilum, Priamum, tum ex iis carminibus quae de Pedaso et Lyrnesso ab Achille captis agerent Dardanum et Aeneam cum matre divina, porro e carminінibus Peloponnesiis in Asiae litore vulgatis Anchisen Aeneae patrem avumque Capyn in superioribus vidimus[2]. Laomedontem eum filio Clytio haud dubie recepit e Dorum carminibus quibus Herculis contra eum expeditio tractaretur atque Ganymede sive ex his deprompto sive ex alio fons quisquis fuit cuncta nomina ita composuit ut Dardanum ceteris praemitteret, Ganymedem post Troëm, Laomedontem post Ilum, interponeret, Capyn faceret Laomedontis fratrem patruelem, huic autem ut patrem daret excogitavit Assaraci nomen ob nullam aliam, ut videtur, causam nisi quod eius temporibus Assyrii imperarent magnae Asiae parti, ita gloriam aucturus regiae domus ab Aenea originem suam derivantis

1) Erichthonius videtur initio fuisse numen rusticum armentorum tutela. Quod eius equas amasse dicitur Aquilo, tam ea re videtur significari vis coeli et tempestatum in valetudine armentorum conspicua quam spectari equorum celeritas. Quod autem in mythologiis Atticis idem Aquilo Erechthei filiam rapuisse narratur nonnihil ea re confirmatur quod supra suspicati sumus (p. 23) nomen Troiae Homericae deberi colonis e Troianorum demo Attico qui fuerint inter primos Graecos illius urbis postquam diruta esset sedes occupantes.

2) Supra pp. 23, 48 sq., 70, Satis insulsa est narratiuncula quam offendimus N 465 sqq. Aeneam infantem eductum esse domi Alcathoi sororis mariti An credimus Anchisem iam patrem familiae cui gener esset, a Venere amatum esse? Neque patres sed filii familiarum greges pascebant. Atqui Aeneam Venus peperit ὑπ' Ἀγχίσῃ βουκολέοντι (E 313).

cuius honoris causa demonstravimus ipsum stemma ab eo esse constitutum. Sed Clytio cur fratres addiderit (Υ 237 sq.) Tithonum, quem initio deum fuisse arguit uxor Aurora (Λ 1), Lampum Hicetaonem latet [1]). E stemmate nostro is qui *Διομήδους ἀριστείαν* Iliadi inseruit quamquam non hausit — id quod supra vidimus — donum equorum pro Ganymede rapto, tamen hausisse potest cum hunc Troïs filium diceret (E 266). Sed narratiunculam qua origo equorum Aeneae a Laomedontis equis duceretur ipsum invenisse credibile est.

Ceterum huic quoque quaestioni respondendum erat, quo iure regis Laomedontis equos petisset Hercules. Quod non totidem verbis ex Homero discitur sed tamen diversis locis comparatis ex eo efficere licet. Uno enim Iliadis loco (E 650) legimus regi bene fecisse Herculem, altero loco (Υ 144 sqq.) eum certasse in litore Troiae cum belua immani a qua si premeretur ut in tutum se reciperet, Troianos Minervae auxilio struxisse *τεῖχος ἀμφίχυτον*; cumque praeterea Homerus testetur (Φ 450 sqq.) Laomedontem deos qui sibi servissent mercedis loco affecisse ignominia vix dubium est quin poetae narraverint eos beluam misisse ignominiae ulciscendae causa. Videtur ergo extitisse carminum *κύκλος* quibus ageretur deorum apud Laomedontem

---

1) Clytii filius Caletor „*Ἕκτορος ἀνέψιος*" ab Aiace Telamonio interfici narratur O 419 sqq. Videtur huius loci auctorem cum ei Troiani nomen requirenti succurreret Clytius Laomedontis filius, simul Caletoris nomen subisse ex antiqua memoria cum illo coniunctum (vide supra p. 253 in ann. 6). Lampi filium Dolopem, Hicetaonis Melanippum interfici legimus O 525 sqq. alterum a Megete alterum ab Antilocho. Lampum et Hicetaonem qui hic memorantur ipsos esse Laomedontis filios inde apparet quod Lampus nominatim ita significatur (O 527), Melanippum autem ubi Hector alloquitur haec praemittuntur (O 545 sqq.) *Ἕκτωρ δὲ κασιγνήτοισ' ἐκέλευσε* — *κασίγνητοι* autem etiam sunt fratres patrueles — *πᾶσι μάλα πρῶτον δ' Ἱκεταονίδην ἐνένιπε ἴφθιμον Μελάνιππον*. Melanippi nomen depromptum esse e carminibus quibus bella Thebana agerentur supra vidimus (p. 31). Sed *ἐπεισόδιον* quo Dolopis mors narratur, si recte iudicavimus in superioribus (p. 13) Megetis res gestas et arma — quorum *ἱστορία* nostro loco diserte enarratur O 530 sqq. — propriis carminibus celebrata esse quae in usum suum converterint auctores anti quissimorum de bello Troiano carminum auctores, ex horum fontium altero haustum est, ita vero ut cognationis vinculum quod Dolopi in Iliade cum Lampo et Laomedonte intercedat additum sit ab eo qui *ἐπεισόδιον* nostrum Iliadi insereret quippe cum perspicuum sit in fontibus quos diximus non potuisse de illis sermonem esse. Ceterum totum versum Υ 238 *Λάμπον τε Κλυτιόν τε Ἱκετάονα τ' ὄζον Ἄρηος* ex Aeneae stemmate transsumsisse videtur *Τειχοσκοπίας* auctor (Υ 228 = P 146).

servitium, ignominia ab eo accepta, beluae missio, Herculis adventus, certamen cum belua, repulsa equos pro officii pretio poscentis, urbis expugnatio, errores in reditu propter Iunonis dolos, cetera quae cum his cohaerent. In pertractando servitio poëtas etiam eius causam, coniurationem adversus Iovem dico, si minus enarrasse attamen tetigisse verisimile videtur; neque non equos Laomedontis a Iove datos propter Ganymedis raptum, Erichthonium enim eos non cognovisse [1]. Μίσθον ῥητόν quoque quem dei a Laomedonte poscerent ipsos equos fuisse si quis suspicatur non refragor. Quodsi res ita se habet equi illi comparandi sunt cum Nibelungiorum thesauro exitiali in poësi Germanorum celebrato quem qui possideret nullo pacto adigi poterat ut eo cederet perniciemque evitaret. Quod dei qui Laomedonti serviunt alio loco (H 452 sqq.) ambo dicuntur moenia urbis ei struxisse, alio loco (Φ 446 sqq.) alter id solus perfecisse, Apollo armenta pavisse nullius momenti puto. Sed gravius est quod Hercules dicitur (E 651) e longinquo venisse propter Laomedontis equos. Equi enim si pretium erant beluae devictae quomodo de iis poscendis cogitare poterat antequam animum induxisset cum belua pugnare? Id vero quomodo potuit cum urbi nondum appropinquasset? Vix enim cum etiamnunc longe abesset beluae adventus ei notus esse poterat. Expectaveris igitur casu, non propter equos, eum Troiam venisse quo tempore belua vastaret agros. Sic forsitan res expedienda sit ut sumas ex antiquo mytho, cum Hercules crederetur non urbem Troianam sed inferos petivisse, itineris consilium retentum esse quamvis minus conveniret ad pactam pro belua interfecta mercedem. In mytho autem si beluae mentio est facta, non fuit illa e κητῶν genere, sed canis Stygius. Postremo quod Hercules apud Homerum traditur (E 641) sex navibus Troiam oppugnasse apparet poëtas sibi proponisse eum fraudatum mercede primo abisse deinde comitibus collectis sex redisse cum navibus. Nam in priore itinere eum cum copiis fuisse vix est quod poëtae narraverint.

Herculis expeditio Troiana neque ab Homero neque a recentiorum quoquam refertur in numero laborum quos regis Eurysthei iussu heros susceperit. At tamen iam Homeri aetate hi

---

1) Vide supra p. 132.

celebrati esse videntur carminum κύκλῳ qui ad illam non pertineret. Nam in Iliade legimus Iovis gloriationem asseverantis omnibus mortalibus qui sui generis essent imperaturum quem primum tum Lucina editura esset, Iunonis dolum quo maritum refutaret, Alcmenae partum ab ea retardatum, Stheneli uxoris maturatum (T 91 sqq.), tum Herculi servitium per Copreum Eurysthei praeconem nuntiatum (O 639, iter ad inferos Eurysthei iussu susceptum petendi causa κύνα στυγεροῖ' Ἀϝίδαο (Θ 267 sqq), quamque huc sane referre licebit Orci vulnerationem Πύλῳ ἐν νεκύεσσι (E 397). Quid Graecos induxerit ut fortissimum omnium heroum servitute astrictum fingerent, constituere non licet [1]). Videtur res deberi mythis pertinentibus ad antiquissimas opiniones de naturis divinis. Probabiliter demonstravit Gruppe (l.l. 461 1155) initio Eurystheum alio nomine Neptunum fuisse, neque absurde conicias in antiquissimis mythis quibus Herculis labores narrarentur, numina aëris et maris primario loco fuisse. Etiam Sthenelum eo pertinuisse credibile est. Nam Sthenium rursus esse Neptunum ostendit Gruppe (l.l. p. 176), Sthenium autem et Sthenelum vix neges eiusdem nominis diversas formas esse. Sed Dorum poëtas fuisse qui Eurysthei patrem Perseo natum finxerint ipsumque illum regnantem in regione Argolica parum credibile. Perspicuum enim est non potuisse eos id facere antequam in ea regione consedissent; sed cum ipsi regias suas gentes ab Hercule ducerent, quomodo potuerunt credere hunc servisse regi Peloponnesio? Nam quod recentiores abinde Hellanico tradiderunt, Herculis filium a Doribus receptum cetera quae pertinent

---

1) vWilam. Moellend. v. cl. (Herakles² I p. 55 coll. eis quae praecedunt quaeque sequuntur) nationis Doricae ingenio deberi censet, quippe cui Hercules fuerit quasi ἰδέα viri perfecti, quod eorum poëtae hominem fortiorem deteriori servire finxerint. Sed neque antiquissimis temporibus homines eiusmodi ἰδεῶν conscios fuisse puto, neque si maxime Dores fuerint eam causam sufficere fingendi virum perfectum deteriori viri servientem. Gruppe (l.l. p. 461) „Dass der bessere Mann", ait „dem Schlechtem dient, ist menschlich ergreifend, aber schwerlich hat die poëtische Schönheit der Motive allein den Dichter bestimmt." Sed quod addit v. cl. „vielmehr scheinen in der Dienstbarkeit des Heracles sich die Politische Verhältnisse einer späteren Zeit zu spiegeln" propterea non dandum ei videtur quod Herculis servitium iam apud Homerum commemoratur (vide ann. seq.). Ad antiquissimam Herculis imaginem id referendum esse haesitanter vWilam. Moell. concessit. „Ich muss", inquit v. cl. (l.l. p. 51) „nach erneuter Erwägung den Zweifel äussern ob ich recht gethan hab die Dienstbarkeit der Ursage ab zu streiten."

ad Heraclidarum quem dicunt reditum, vix quisquam hodie negat deberi poëmatis genealogicis quibus VII a Chr. saeculo viri docti conati sunt accomodare Herculis originem Peloponnesiam ad Heraclidarum apud Dores regnum; de qua re optime egit E. Meyer v. cl. [1]). Itaque ea quae apud Homerum de Herculis servitio traduntur hausta esse existimanda sunt e fontibus Peloponnesiis ad Dores non pertinentibus. Neque e fontibus Peloponnesiis solis. Nam cum Alcmena (T 99) a Iunone impedita ne iusto tempore pareret Thebis degisse dicatur, apparet poëtam duplicem adhibuisse fontem Peloponnesium et Boeotium. Nisi credimus Amphitryonis parricidium et fugam iam ante Homeri aetatem inventa esse, quae tamen eiusdem generis esse atque ea quae ad Heraclidarum reditum pertinent fere omnes consentiunt vv. dd. [2]). Ceterum Ate in quam (T 76 sqq.) Aga-

---

1) Forsch. z. Alt. Gesch. I p. 279, Gesch. des Alt. II p. 250 sq., vWil. Moell. Herakles² I p. 59 „es war unvermeidlich das Herakles auf alle Länder Rechtsansprüche haben musste, die seine Nachkommen besetzten. So ward er denn hier an den alten eingebornen Heroëngeschlechter angegliedert, wie nicht anders möglich durch seine Mutter, so dass er noch ein nachkomme des Perseus, und Tiryns seine Heimath ward. Da er gleichwohl nicht zu einem alten Landesherrn werden konnte, seine nachkommen auch Argos den Perseïden erst mühsam abgenommen hatten, so ergab sich dass ihm sein Erbe wider, das Recht vorweggenommen war und das eben hatte Hera verschuldet, so dass er wärend des Lebens dem schlechteren Manne dienen musste. Die Rhodische Ueberlieferung, die wir in der Ilias lesen hat das schon mit lebhaften Farben durchgeführt. Und der jämmerliche Feigling Eurystheus Sthenelos' Sohn, sammt seinem Herolde „Dreckle", κοπρεύσ sind zu ausdrucksvoll burleske Figuren geworden, an denen sich der Dorer Hochmut gütlich that." Vir clarissimus ita ratiocinatus fieri non potest quin Hylli fugam ad regem Aegimium iam ante Homeri aetatem a poëtis inventam censeat. Quod pauci ei dabunt. Quod autem „necesse" („unvermeidlich") fuisse ait omnia Herculi vindicari quae postea Dores occupassent, poëmatum genealogicorum auctoribus sane nemo negabit necesse visum esse ea Herculi vindicare, sed plus saeculo ante Dorum cantoribus idem occurrisse perquam incredibile. Ne poetis quidem saeculi a Chr. VII succurrisset servitium Herculi iniungere nisi in antiquis fontibus obvium fuisset Eo ipso quod heros omnium fortissimus sine sua culpa aliorum dolo malo coactus esset servire, sponte fiebat ut cantores qui hanc materiem tractarent eius domino obtrectarent neque hanc ob causam opus est cogitare de Dorum superbia.

2) VWil. Moell. l.l. p. 52: „T 99 nennt als Geburtsort Theben; aber das kann man nicht umhin für eingeschwärtzt aus des spätern Sage zu halten. Es ist gar nicht zu verstehen, wie Eurystheus über ein Kind Macht haben soll welches in der fernen Stadt geboren wurde, und ausdrücklich handelt es sich um die Herrschaft über die Argeier (123) zu denen Thebe nicht gehört." Quod vir cl. dicit se non intelligere, recte dicit; nemo id intelligit vel intelligere potest. Sed quid prohibet cogitare de

memnon Iovem ait gloriationis suae culpam contulisse, vehementer dubitandum est an in fontibus non obvia fuerit. Multo enim veri similius videtur quaecunque de ea Agamemnon disserit ab ipso loci auctore addita esse quo rex similitudine suae et Iovis causae se excusare possit. Ut Periphetes quoque Coprei filius qui narratur (O 639) interfici ab Hectore haud dubie ab huius loci auctore est excogitatus. Nam dicitur πατρὸσ πολὺ χείρονοσ υἱὸσ ἀμείνων. Nihil vero erat cur fontis auctor cum Eurysthei praeconem ignominiose tractaret eius filium memoraret honorifice, omnino nihil erat cur ei filium tribueret.

Iamvero ea quae de Herculis servitio in Iliade edita persecuti sumus quamvis negandum videretur e Dorum carminibus hausta esse, tamen deberi apparuit poëtis qui eius studerent laudibus. Sed alius generis est locus Iliadis (E 392 sqq.) ubi Iuno ab eo vulnerata narratur. Ibi enim vocatur (E 392 sqq.) σχέτλιοσ ὀβριμοεργὸσ ὃσ οὐκ ὄθετ' αἴσυλα ῥέζειν, ὃσ τόξοισιν ἔκηδε θεοὺσ οἳ Ὄλυμπον ἔχουσι. Ubi nunc hi versus leguntur ad praecedentia non quadrant, quapropter a nonnullis viris doctis eiciuntur. Verum sic tamen remanet haec inconcinnitas quod vs. 392 Hercules appellatur πάισ Ἀμφιτρύωνοσ et vs. 396 υἱὸσ Διὸσ αἰγιόχοιο. Itaque praestat vss. 395—402 insiticios existimare. His sublatis vs. 403 recte se applicat praecedentibus dummodo verba τότε καί μιν ἀνήκεστον λάβεν ἄλγοσ in parenthesi stare intellegas. Offendimus igitur hic fontem Herculi inimicum quemadmodum in Odyssea (Φ 25) ubi narratur hospitem Eurytum interfecisse eiusque equas abduxisse quapropter ibi quoque appellatur σχέτλιοσ atque sic pergit poëta οὐδὲ θεῶν ὄπιν ἠδέσατ' οὐδὲ τράπεζαν τὴν δὴ ϝοι παρέθηκεν. Patet haec deberi poetis oriundis e gente inimica Doribus, propterea Herculi obtrectantibus quod ab his praecipue coleretur. Qua in re de nullis aliis cogitandum erit potius quam de Ionibus Asiaticis. Fieri potest ut huc quoque pertineant quae leguntur Σ 117 οὐδὲ γὰρ οὐδὲ βίη Ἡρακλέεοσ φύγε κῆρα ὅσπερ φίλτατοσ ἦσκε Διὶ Κρονίωνι ϝάνακτι ἀλλὰ ϝε μοῖρ' ἐδάμασσε καὶ ἀργαλέοσ χόλοσ Ἥρησ. Vi-

---

duobus fontibus inter se repugnantibus, quos loci nostri auctor repugnantiam non curans coniunxerit? Ab altera parte ne mentionem urbis Thebarum interpolatori tribuas obstat ipse sententiarum contextus.

detur saltem minus veri simile aut in eis carminibus quibus expeditio Troiana ageretur aut in iis quibus labores Eurysthei iussu exhausti, rem ita esse propositam ut Hercules Iunonis irae succubuerit.

Duo loci Iliadis qui ad Herculis res pertineant supersunt. Alter est B 721 ubi Graeci narrantur Lemni reliquisse Philoctetem ἕλκεϊ μοχθίζοντα κακῷ ὀλοόφρονος ὕδρου. Quae res cum ita tangatur ut appareat auditoribus eam cognitam fuisse haud dubie carmine aliquo tractata erat. Ipsius autem huius carminis auctor necesse est compluribus diversis fontibus usus sit. Videtur inter fontes Iliadis, sive hic mavis cogitare de antiquissimis quibus bellum Troianum tractaretur carminibus, sive de iis carminibus quibus agerentur expeditiones Achille duce in litus Asiae profectae, fuisse carmen quo Graecorum exercitus narraretur in itinere substitisse in illa insula. Nam praeterquam nostro loco haec res tangitur Θ 230, ubi Iuno milites in acie Troianis cedentes alloquitur: quo abierunt verba gloriose iacta ὁππότ' ἐνὶ Λήμνῳ κενεαυχέες ἠγοράεσθε? et Π 467 sqq., ubi significatur amicitia fuisse Atridis cum Eueno Lemni rege. Illud igitur carmen adhibuit noster, rem referens quemadmodum fecerunt auctores locorum Π 467 sqq., Θ 230, ad expeditionem ab Agamemnone contra Troianos ductam. Philoctetem autem supra vidimus [1]) simul cum Achille in bellum Troianum receptum esse e carminibus Thessalicis quibus Alexandrum etiamnunc heroëm Thessalum qui Achillem occidisset, suis sagittis ultus esse traderetur; sponte enim rem ad bellum Troianum referri Alexandro in ducem Troianum Priami filium converso. Carmen quo id ageretur nostro poëtae cognitum fuisse perspicuum est; sed Philoctetae vulnus ex hoc fonte petitum non esse potest, satis enim constat nullum extitisse carminum κύκλον quo Herculis et Achillis res gestae celebrarentur coniuncte, atqui Philoctetes cruciatus veneno hydrae Lernaeae manifesto pertinet ad res Herculis. Itaque Philoctetes, id quod etiam in superioribus monuimus [2]), quemadmodum Diomedes, Ulixes alii heroes, in partem venit diversorum carminum κύκλων qui initio inter se

1) p. 56, 61 sq.
2) p. 62.

nullo vinculo coniuncti essent. Cognovisse potuerunt et Herculem et Philoctetem Dores qui in vicinia montis Oetae habitarent, eorumque poëtae, cum ibi Herculem in coelum ascendisse cantarent eidem narrare potuerunt armorum suorum heredem fecisse eum Philoctetem. Sed vix credibile etiam vulnus eos tractasse his sagittis a Philocteta sibi inflictum nedum cognovisse eas illitas viro hydrae. Sequitur quartum fontem sumendum esse, vulnerationem enim tractatam esse proprio carmine cuius auctori èt carmina Oetaea praesto fuerint èt carmen vel carminum κύκλοσ quo celebraretur cum ceteris Herculis facinoribus Eurysthei iussu peractis etiam hydra Lernaea ab eo devicta. His fontibus usus auctor carminis unde locus B 721 derivatus est novum hoc addidit, Philocteten vulneratum a Graecis Lemni relictum esse. Nec non idem narrasse videtur eius sagittis opus fuisse Graecis ad Troiam capiendam; pergit enim Catalogi auctor (B 724 sq.) τάχα δὲ μνήσεσθαι ἔμελλον Ἀργέϊοι παρὰ νηυσὶ Φιλοκτήταο ϝάνακτοσ. Poëtam Ionium fuisse eum puto in Asiae litore viventem.

Postremo hic commemorandus est locus Λ 690 sqq. ubi Hercules traditur urbem Pylum expugnasse omnesque Nelei filios interfecisse uno Nestore excepto. Hoc supra suspicati sumus deberi Pyliorum cantoribus res Nestoris celebrantibus qui antiquum carmen, quo ageretur Hercules inferorum portam irrumpens et Orcum ipsum vulnerans ita adhibuissent ut pro illa substituerent urbem Pylum et Orcum alio nomine Neleum vocatum converterent in huius urbis regem.

Ut Hercules sic Idomeneus a Doribus cultus videtur. Graecos enim qui insula Creta poterentur maximam partem natione Dores fuisse docent inscriptiones in ea insula repertae unde apparet in opulentissimis eius civitatibus Cydonia, Gnoso, Gortyne, Latone, Hierapytna extitisse Dorum tribus Dymanes, Hyllaeos, Pamphylos; Idomeneus autem est heros Cretensis nusquam a Graecis quantum sciri potest ante quam in insula Creta cultus. Quem si forte censeas propter ipsum nomen quo significari videtur initio fuisse daemon aliquis in monte Ida habitans, et propter originem a Minoë cuius opes et res gestae videntur referre memoriam temporum quibus nondum Graeci in insula consedissent, ante Graecorum adventum coluisse priscos insulae

incolas, Ἐτεόκρητες qui dicuntur in Odyssea (τ 176), tamen Dores eum inter suos recepisse apparet tum quoniam omnes abinde Homero (N 449 sqq. τ 171) eum finxerunt natum Deucalione cuius cultum illi prope montem Parnassum olim degentes inde in novam patriam Cretam transportavisse videntur, tum quoniam Phaestus ille quem in Iliade legimus ab eo necatum (E 43 sqq.), quamvis Homerus eius urbem patriam Tarnen appellet in Maeonia sitam, unde profectus pugnet inter Troianorum socios, manifesto est heros eponymus Phaesti urbis nobilissimae Cretensis, arcessitus ex antiquo aliquo carmine quo agerentur res gestae Graecorum i. e. Dorum cum indigenis certantium [1]). Ipsum quoque quod Idomeneum identidem commemorat Ulixes in Odyssea alia apud alios de se mentiens ad Cretam pertinentia [2]), documento esse videtur antiquis carminibus Cretensibus eum celebratum esse. Unde forsitan deprompta sit eius imago qualis describitur N 239—245, quippe quae quo loco legitur minus conveniat; proponitur enim rex arma induens, sed proelio quod iam a mane tenebat, usque ad meridiem interfuerat (Λ 510), et quamquam deïnde ex acie egressus visit militem e suis vulneratum (N 210 sqq.) nèque narratur propterea arma reposuisse nèque cur id facturus fuerit intelligitur. Ceterum sodalem Merionem [3]), qui in Iliade ab eius latere vix discedit iisdem carminibus atque ipsum deberi consentaneum est; cumque in Ἆθλοις ἐπὶ Πατρόκλῳ arte sagittandi ceteros omnes superet (Ψ 870 sqq.), in acie aliquando hastam ensemque mutet arcu et sagittis (N 650 sqq.), Ulixem speculatoris munere functurum his armis instruat (K 260 sqq.), veri simile est hoc in antiquo fonte eius armorum genus fuisse. Pileum apri dentibus ornatum eius patri Molo, id quod legimus in Νυκτεγερσίᾳ (K 269 sqq.) Amphidamas hospes Cythereus dono dedit. Ne hoc quidem vetamur e carmine Cretensi haustum credere. Sed ceteram quae ibi refertur pilei ἱστορίαν partim ex aliis fontibus derivatam censeo, partim a Νυκτεγερσίας auctore confictam. Hic narrat Amyntori Ormeni filio domo eius effracta Autolycum Ulixis avum subri-

1) Primus hoc vidit E. Bethe v. cl.; Hom. u. d. Heldens. p. 13.

2) ν 259 sqq., ξ 237, 382, τ 181.

3) Recentiores Molum Merionis patrem Idomenei fratrem fuisse tradunt cf. Apollod. III. 3. 1, V. 7. 9.

puisse illum. Amyntor nostro loco habitare dicitur Eleone in urbe Boetiae, sed alio loco (I 457 sqq.) ubi Phoenix se eius filium esse dicit [1]), domicilium habuisse refertur in ea parte Thessaliae cui nomen Hellas, et nomen patris ἐπωνύμου urbis Ormenii in Thessalia sitae, eodem tendit. Autolycus in Odyssea habitare traditur in vicinia montis Parnassi (τ 394 sqq.), facile autem credimus praeterea èt in Thessalia èt in Boeotia eius famam viguisse ὃσ ἀνθρώποισ ἐκέκαστο κλεπτοσύνῃ, atque inde factum ut is quoque quem ab illo insigni iniuria affectum esse in omnium ore esset, iisdem locis atque ipse collocaretur. Sed haec de Autolyco et Amyntore narrata esse carminibus Cretensibus quibus agerentur res Moli et Merionis, parum credibile puto. Veri similius est initio de alio pileo narratum esse quo Ulixes ab avo Autolyco donatus esset, de alio quo Molus ab hospite Amphidamante, Νυκτεγερσίασ autem auctorem haec coniunxisse cum eundem pileum ab Autolyco Amphidamanti muneri datum, a Merione Ulixi commodatum fingeret [2]). E reliquis quae in Iliade de Idomeneo et Merione narrantur nihil ex antiquis fontibus haustum videtur, nisi forte recensio urbium ei subiectarum (B 645 sqq.) [3]).

Non e Dorum carminibus, sed inde quod Ionum Asiaticorum navigationibus nonnihil materiei praeberetur ipsorum poëtis ornandi sua carmina, inter alia de quibus supra egimus [4]) Ulixi tributus esse videtur commilito Leucus nomine qui commemoratur Δ 491 sqq. Insula Leucas ab Homero non appellatur neque potuit eius temporibus appellari quippe quam multo post coloni Corinthii ducibus Cypselo et Gargaso perfossa peninsula

1) Phoenix, id quod (supra p. 60) suspicati sumus, ab Irae cantore excogitatus esse videtur, sive potius, nam nomen undelibet arripi potuit, eius delictum fuga ad Peleum cura Achillis infantis (I 447 sqq.) ab illo videntur inventa esse.

2) Mirum sane casum! quo accidit ut Ulixes eundem pileum quo avus furto potitus esset a Merione mutuum acciperet.

3) Cetera fere haec sunt: Phereclus a Merione interfectus (E 59 sqq.), colloquium Idomenei cum Neptuno (N 210 sqq), cum Merione (N 246 sqq.), utriusque ἀριστεία (N 528 sqq.) Acamas necatus a Merione, Erymas ab Idomeneo (Π 340 sqq.), Idomenei periculum vitae P 608 sqq. rixa cum Aiace Oilei filio Ψ 448 sqq. Merionis ars sagittandi Ψ 877 sqq. Praeterea obiter commemorantur A 145, B 405, Γ 229 sqq., Δ 251 sqq., Z 436, H 165, Θ 78, 261 sqq., K 53, 58, 112, Λ 510, M 117, Ξ 514, O 301, P 258, T 311, Ψ 113.

4) p. 102.

ab Acarnaniae continente disiunxerint [1]). Verum nomen Leucates quo èt insulae promuntorium appellabatur albo saxo insigne èt deus Apollo cuius sedes id esse putabatur, nihil vetat credere iam ante Homeri aetatem usurpatum esse a Ionibus Asiaticis in eam regionem navigantibus. Quos eosdem supra vidimus [2]) Ulixem cuius nomen ab eadem stirpe *luc* derivatam esse demonstravit Vuertheim v. d. [3]) alios Ithacae alios Cephalleniae collocasse, cumque Leucates et Ulixes exigno freti spatio diremti finitimi essent, facile fieri potuit ut in homines conversi pro hospitibus haberentur eaque res ansam daret fingendi Ulixis comitem nomine Leucum i. e. Leucaten.

Nunc consideranda sunt nobis ea quae de Meleagro narrat Phoenix in Πρεσβείᾳ ((I 527—599) quibuscum conferantur quae de eodem leguntur in Catalogo (B 642). Meleagri res gestas et casus Aetolorum carminibus acta esse nemo negabit, praeterea perspicuum est ex illis apud Homerum ea commemorari quae poëta sciat auditoribus cognita esse. Ut hoc solum afferam: Meleagrus narratur avunculum interfecisse, sed cur aut quo iure interfecerit siletur, quamvis auditores nisi id cognitum habeant diiudicare nequeant, id quod summi momenti erat ad diudicandum quatenus eius causa eadem esset atque Achillis, quo iure irasceretur matri propter eam rem filium exsecranti. Ceterum voluisse videtur poëta matrem nullo egisse iure, suo iure ei suscensuisse filium. Nam ex eis quae poëta refert fere cogimur sumere hunc fuisse in fonte rerum contextum: Aprum a Diana Calydonio agro inmissum (I 543) interfecit Meleagrus πολλέων ἐκ πολίων θηρήτορασ ἄνδρασ ἀγείρασ. Inter hos fuerunt etiam iuvenes e Curetum gente etenim magna rixa extitit ἀμφὶ συὸσ κεφάλῃ, καὶ δέρματι λαχνήεντι Κουρήτων τε μεσηγὺ καὶ Αἰτωλῶν μεγαθύμων (548). In bello inde exorto Aetoli superiores fuerunt dum Meleagros eos ducit (550 sqq.), sed postquam hic

1) Strabo X. 2 p. 452. Oppidum Leucadem in hac insula situm idem esse, quod Homerus Nericum in Acarnania sitam et a Laerte expugnatam dicat (ω 378), probabiliter demonstravit vWilam.-Moellend. (Hom. Unters. 573) monens Alcmaeonidis auctor qui nomen Leucadem a Leucadio Penelopae fratre derivatum esse perhibeat (Strabo l.l.) fieri non posse, quin post Cypseli aetatem vixerit.

2) p. 101.

3) Mnem. 1904 p. 285 sqq.

avunculo occiso (567) a matre omni contumelia affectus (566, 568 sqq.) iratus e proelio discessit (553 sq. 565), fortuna belli commutata est. Quid autem aliud inde efficies nisi hoc: in defendenda sua patria Meleagrus necavit avunculum suum, itaque hic et soror natione Curetes fuerunt? Aliter apud recentiores abinde Phrynicho rem propositam esse nemo nescit [1]). Sed hoc nihil ad nos, et credibile saltem carmina quae essent de Atalante venatrice initio sua stetisse pila et post Homeri demum aetatem cum eorum materie Meleagri res coniunctas esse. Etiam titionis ardentis ἱστορία in fonte nostro desiderabatur, nam non tantum apud Homerum eius mentio non fit, sed etiam inde quod Meleagrus matris execrationi superstes fingitur, apparet eam in eius fonte non extitisse. Spectare eam tamen videtur Catalogi auctor (B 642) nam cum ἔμφασι aliqua dicit Ὀλάνε δὲ ξάνθοσ Μελέαγροσ. Nisi praestat credere hunc versum insiticium esse. Nam male cohaeret cum superioribus. Versu enim iam 641 legimus Oeneo filios non superfuisse tempore belli Troiani [2]). Quid autem ante Homeri aetatem de Oenei fratribus Agrio atque Melane deque eorum patre Portheo in Iliade commemoratis (Ξ 115 sqq.) poëtae narraverint aeque latet. Quae a Phoenice in Meleagri rebus enarrandis inseruntur de uxoris Cleopatrae cognomine Alcyone (I 556 sqq.), propter matris Marpessae patrem Euenum (I 537) ipso nomine Aetoliae flumen referentem originem Aetolicam produnt, et Marpessae maritus Idas quia simul cum fratre Lynceo diversis Graeciae locis celebrabatur, fieri potest ut ab Aetolis quoque cultus sit. Marpessae raptus Idaeque cum Apolline certamen eodem carmine olim tractata esse atque Meleagri res gestas vix credibile, potius credas Cleopatram et Alcyonen initio diversas fuisse, eandem esse dictas ut inter diversa carminum argumenta in eadem regione vulgata vinculum quoddam constitueretur. Ob eandem causam Tydeum Meleagri fratrem esse dictum (quod in Iliade quoque traditur E 813, Z 216, 219, K 497, Ξ 117), initio enim vix ullam rationem inter eos intercessisse [3]).

---

1) Cf. Paus. X. 31. 2.

2) Ipse etiam versus 641 suspicionem movet quia ϝ nominis ϝοινῆοσ ibi neglectus est.

3) Diomedes qui factam sit ut in Oenei genus reciperetur supra p. 94 conati sumus ostendere.

Ut Meleagri ira sic Niobae clades in Iliade ita tangitur (Ω 602 sqq.) ut vix auditores singula tenuerint nisi fabulam cognitam haberent. Obscurum enim hoc: λαοὺσ δὲ λίθουσ ᾿ποίησε Κρονίων (vs. 611) neque minus obscurum τοὺσ δ᾿ ἄρα τῇ δεκάτῃ ᾿θάψαν θεοὶ οὐρανίωνεσ. Pro fonte fuisse carmina in ipso solo Asiatico condita statuendum esset propter versus Ω 614—617 ubi Nioben in lapidem conversam esse legimus ἐν Σιπύλῳ ὅθι φασὶ θεάων ἐμμέναι εὐνὰσ νυμφάων αἵτ᾿ ἀμφ᾿ Ἀχελώιον ἐρρώσαντο nisi procul dubio esset iure hos versus abinde Aristophane Byzantino omnium vv. dd. consensu damnatos esse quippe qui prorsus alieni et absurdi sint. Nam Niobe vs. 613 dicta est animo e dolore erecto cibum cepisse, unde Priamus ut exemplum sibi capiat Achilles rei mentionem facit. Itaque de fonte nihil constat.

Atque eodem modo iudicandum est de loco (E 381 sqq.) ubi Mars narratur in dolio vinctum esse ab Oto et Ephialte Aloei filiis. In diversis enim Graecorum sedibus Aloïdes celebratos esse, ut in Thessalia, in Boeotia in insulis Naxo et Creta auctores sunt Pindarus [1]), Apollodorus [2]), Pausanias [3]), Plinius [4]) alii.

Habes quam diligentissime potuimus conquisita quaecunque Iliadis sive personae sive res ad antiquos fontes referri posse viderentur [5]). Sed supervacuum est dicere fieri posse ut eiusdem

---

1) Pyth. 4. 88. 2) I. 7. 4.

3) IX. 29. 1. 2. X. 28. 4. 4) VII. 73.

5) In commemorandis fabulis Peloponnesiis quae essent de Helenae raptu (supra p. 87), addendum fuit auctorem Τειχοσκοπίασ cum inter Helenae ancillas appellaret Aethram regis Troezeniorum filiam, haud dubie eam fabulam spectasse qua Helenam a Theseo raptam reduxisse fingerentur Dioscuri, eumque quantum scimus primum fuisse qui bis eam raptam sibi proponeret. Priorem raptum ignoravit aut negavit qui finxit Aethram ab Hectore raptam esse cf. supra p. 56. — Tum in pertractando antiquo carmine quod Ἀγαμέμνονοσ ἀριστεία pro fonte fuisse sumsimus, monendum fuit veri simile esse ut ex hoc depromptae sint pleraeque personae quae in ea in scenam producantur, inter quas Graecos praecipue Boeotos quos Hector occidat, fieri potest ut auctor fontis ipse arcessiverit ex antiquissimis de bello Troiano carminibus (cf. supra p. 7) quemadmodum inde petivit Aiacem; idemque statuendum sit de Cebrione Hectoris fratre et auriga ἐπωνύμῳ urbis Cebrenis in Troiae viciniae sitae. — Porro ubi demonstravimus (supra p. 86 sqq.) Agamemnonis sedes ante Lacedaemoni vel Amyclis quam Mycenis a poëtas collocatas esse, animadvertendum fuit, sive iam carminibus Peloponnesiis sive a Ionum Asiaticorum

generis complures nos latuerint quas omisimus cum veri similius putaremus Homeri ingenio eas deberi. Ut incerti haeremus de

---

cantoribus demum qui raptum Helenae cum bello Troiano coniungerent hoc factum est — quod diudicari nequit —, inde oriri quaestionem utrum pro Atrei filiis habiti sint Agamemnon et Menelaus iam ante quam Mycenis collocarentur, an propter id ipsum. Hoc veri similius. Nam neque in Laconia ulla Atrei vestigia sunt èt *Διαπείρασ* auctor Pelopis stemma edit (B 105 sqq.) quod eiusmodi est ut satis appareat initio ad Agamemnonem id non pertinuisse. Etenim Atreo non filius Agamemnon sed frater Thyestes successisse traditur. Antiqua autem huius stemmatis origo eo ostenditur quod ne Eurysthei et Nicippae quidem in eo ratio habetur sed Pelops proponitur ab ipso Iove regnum accepisse Argivorum, quod non potuit inveniri postquam fuga Atrei ad Eurystheum divulgata est, quae etiam ipsa per se spectata recentiorem originem prodit, manifesto enim inventa est ut inter se concilientur fabulae diversae quarum altera Persidis, altera Pelopidis idem regnum tribuit Obiter animadverto, id quod huius propositi non est pluribus demonstrare, Pelopidas iam pro Argivorum regibus esse habitos ante quam iis praeponerentur Persidae, Pelopem enim — id quod iam diu viderunt vv. dd. cf. Ed. Meyer Gesch. des Alterth. II p. 68 sqq. — eponymum esse gentis alicuius quae Pelopes audiret cuius ceteroquin nullum vestigium nisi ipsum nomen Peloponnesus remansit, Pelopisque originem Asiaticam patre Tantalo recentius esse inventum. Sed auctor loci O 639 sibi proposuit Mycenis ante Agamemnonem regnasse Eurystheum, fingit enim Periphatem Mycenaeum filium Coprei Eurysthei praeconis. Ceterum hoc quoque notandum, quamvis inter urbes quibus Agamemnon imperet Catalogi auctor (B 572) etiam recenseat Sicyonem, tamen auctores carminum quibus celebraretur Adrastus Sicyonis rex, oppugnator Thebarum, inter Argivorum reges non cognovisse neque Atreum neque Agamemnonem. Nam Δ 377 legimus Tydeum et Polynicem legatos Mycenas venisse ut huius urbis regem socium in bello contra Thebanos sibi adsciscerent, id vero deorum ostentis prohibitum, quod manifesto nullo alio consilio ibi narratur nisi explicandi causa cur rex ille in eis carminibus sileatur. Atque ipse Catalogi auctor cum (l.l.) Sicyonem inter Agamemnonis urbes numerans addit ὅθ' ἄρ Ἄδρηστοσ πρῶτ' ἐμβασίλευε, nihil amplius, satis significat sibi ignotum esse quomodo factum sit ut urbs Agamemnoni cesserit, aliis verbis eius temporibus nullosdum mythologos diversas fabulas quae de utroque heroë essent conatos esse coniungere. Ut Diomedem quem inter Argivorum heroës celebratum esse priusquam ex Aetolia oriundus esse crederetur supra demonstravimus (p. 93 sq.), Catalogi auctor Tirynthi imperasse tradit ubi recentiores poëtae abinde Hesiodo Proetum regnasse voluerunt (vide supra p. 122 in ann. 1), alii Herculem habitasse perhibebant. Diomedis regnum Tirynthium ex antiquo fonte haustum esse veri simile est, neque tamen quicquam vetat credere èt Proeti èt Herculis res quoque iam ante Homeri aetatem ad urbem Tirynthem relatas esse. Sed haec ad diversos carminum *κύκλουσ* pertinuisse videntur diversis temporibus a diversarum Graecarum gentium poëtis conditos nullodum vinculo inter se coniuncta. Cuius generis etiam hoc est quod in urbe Ephyra quo nomine Corinthum designari videri supra ostendimus (cf. ann. ad p. 123) Sisyphum regnasse legimus (Z 153), sed eius nepotis Bellerophontis temporibus eam urbem subiectam fuisse Proeto (Z 159), nullo verbo addito ad explicandum qui factum esset ut Bellerophon cessisset Proeto. — Postremo ubi egimus de carminibus quibus celebrarentur bella Thebana (supra p. 93 sqq.) addendum fuit ex hoc fonte depromptum videri Euryalum Mecisthei filium Talai nepotem qui in catalogo (B 566)

Heleno Priami filio quem nemo existimabit casu accidisse ut poëtae fratris uxori ὁμώνυμον fecerint, quae res fortasse inde extitit quod in antiquissimis de dea Helenae mythis Helenus alio nomine idem fuerit atque Paris, unde fieri potuerit ut in hominem conversus crederetur frater esse, neque tamen sciri potest factumne id iam sit ante Homeri tempora; de Hecuba quam credibile est iam commemoratam esse in antiquissimis de bello Troiano carminibus quae pro fonte fuerint Ἕκτορος ἀναιρέσει (cf. supra p. 15, p. 19)[1]), sed patrem Dymanem et fratrem Asium potius credas ei additos esse ab auctore loci Π 718; porro de Calchante augure, Talthybio Agamemnonis, Eurybato Ulixis praeconibus, quos neque vetat quidquam neque cogit credere iam commemoratos esse in carminibus Homeri aetatem superantibus[2]); de Polyido, vate Corinthio de quo varia miracula narrant Pindarus, tragici, mythographi haud dubie mythos perantiquos in usum suum convertentes, unde tamen non sequitur ut partes quas illi tribuant iam ante Homeri aetatem a poëtis inventae sint, non minus enim credibile est

---

commemoratur inter Diomedis comites ei cognatus propter Adrastum Mecisthei fratrem, et alio Iliadis loco (Z 12, 20, de quo loco vide etiam supra p. 47) in huius vicinia pugnat. Hic in Ἄθλοις ἐπὶ Πατρόκλῳ (Ψ 677 sqq.) a Diomede incitatur ut caestibus contendat cum Epeio. Eodem loco pater Mecistheus narratur Thebas venisse δεδουπότος Οἰδιπόδαο εἰς τάφον deinde vicisse πάντας Καδμείωνας (Ψ 679 sqq.). Vulgo vv. dd. vocem Οἰδιπόδης pro alia forma habent nominis Οἰδίπους, et haud dubie qui primus illa voce usus est, quisquis fuit, nihil aliud voluit. Sed nescio an nostri loci auctor voce Οἰδιπόδης pro nomine patronymico abusus sit, cum vox Οἰδιποδίδης repugnaret metro. Nam neque si ab hoc loco discedis usquam legitur Oedipum in bello cecidisse quod ne quadrat quidem ad cetera quaelibet quae de eo narrantur, cum tamen haud obscure id significetur voce δεδουπώς, neque intellegit quisquam cur homo peregrinus admissus sit ad eius ludos funebres. Ab altera parte fuerunt qui perhiberent post prius bellum Thebanum pacem fecisse Thebanos cum Adrasto, quippe quem apud Pindarum legamus (Ol. VI. 15) ante rogos septem principum qui in acie contra Thebanos cecidissent, Thebis contionatum esse, quod fieri non potuit nisi pace facta. Credibile ergo tum Adrasti fratrem invitatum esse ad ludos funebres regis Eteoclis in eodem bello necati. Neve mireris sileri Polynicem, afferre licet locum Apollodori (III. 6. 3) testantis eos qui Mecistheum bello Thebani consortem dicerent illum ab hoc bello excludere („τινὲς δὲ Τυδέα μὲν καὶ Πολυνείκην οὐ καταριθμοῦσι, συγκαταλέγουσι δὲ τοῖς ἕπτα Ἐτεοκλῆ Ἴφιον καὶ Μηκιστέα").

1) Hecuba appellatur Z 293, 451, Π 718, X 234, 430, Ω 193, 283, 747.

2) Idaeus Priami praeco quin in antiquo carmine, quod esset de Menelai et Ulixis legatione Helenae reposcendae causa, memoratus fuerit vix dubium esse potest cf. supra p. 109.

ipsum et filium Euchenorem quorum neuter nisi uno loco (N 660 sq.) apud Homerum obvius est, ab hoc e nihilo confictos esse, patris autem nomen peculiariter aptum ad vatem signficandum a poëtis sequentibus arreptum esse cum antiquas fabulas vaticiniorum commentis ornare studerent[1]); de Darete Vulcani sacerdote eiusque filiis Phegeo Idaeoque quos necavit Diomedes (E 9 sqq.); de Strophio Scamandri filio venatore insigni quem artem sagittandi ipsa Diana docuit, interfecit autem Menelaus (E 119); de Imbrio Mentoris Medesicastae Priamo natae sponso quem interfecit Teucer (N 169 sqq.), deque Othryoneo qui aliam Priami filiam Cassandram in matrimonium petens Graecos si sibi sponderetur expellendos susceperat, cui Idomeneus hasta perfosso ob inanem iactantiam insultat (N 361 sqq.), de Ilioneo Phorbantis filio a Peneleo trucidato, cuius etiam commemoratur avus maternus Alegenor (Ξ 489 sqq.); de Lycophrone Mastoris filio quem ex insula Cytheris ob homicidium profugum receperat Aias Telamonius (O 430 sqq.); de paucis quibusdam aliis, quibus nonnisi in navium Catalogo obviis tamen proprii aliquid tribuitur quod videatur poëta sumere cognitum esse auditoribus cf. B 513 sqq., 671 sqq., 872 sqq.

e. *Qui dei, qua re a Graecorum partibus, qui cur a partibus stent Troianorum.*

In unam Iovis qualis in Iliade depingatur imaginem duos confluxisse deos Iovem Olympium et deum Idaeum summo iure contendit vLeeuwen. Agamemnon Iovem invocans in foedere feriendo cum Troianis (Γ 276) eum appellat *Ἴδηθεν μεδέοντα*, itemque Aiaci commilitones victoriam precantes adversus Hectorem certaturo (H 202); in monte Ida Iuppiter habet *τέμενός τε βωμός τε* (Θ 41) ibique ei Hector *πολλὰ βοῶν ἐπὶ μηρί' ἔκηε* (X 170); Dardanus primus regionis Ideae rex eo natus traditur (Υ 215); in illa regione eius ope Aeneas Achillem subterfugit

1) Pindarus cognovit Polyidi patrem Coeranum (Ol. XIII. 75) quod nomen Gruppe l.l. 122 in insula Creta inventum esse censet cum etiam Merionis aurigae idem sit nomen, Polyidus vero in hac insula Glaucum Minoïs filium in vitam revocavisse narretur (cf. Hyg f. 136, Apollod. III. 3, 1, 2, Tzetz Lyc. 811. Recentiores avum Abantem proavum Melampodem fuisse tradunt aliunde notissimum (cf. Paus. I 43. 5).

(Υ 92); Priamus in castra Graeca profecturus ab uxore monetur ut ad Iovem Idaeum manus erigat (Ω 291); perspicuum autem est poëtas qui primi Idam quoque sibi proponerent Iovis sedem, cognovisse numen aliquod quod ibi habitaret ab indigenis cultum, idque pro eodem habuisse atque Iovem suum Olympium. Simul apparet poëtas aut primos qui ita agerent aut alios eos sequentes inter indigenas qui Iovem Idaeum colerent etiam Troianos numerasse, unde intelligitur cur non dubitaverint eum habere pro Troianorum deo patrio. Quippe Hector enim solitus erat ei sacrificare in arce Troiana (Χ 171 sq.), neque dubitat Hecuba quin filius cum ex acie urbem intrasset ei ex arce sit supplicaturus (Ζ 251), hic autem eum precatur ut proli suae faveat (Ζ 476) et sperat daturum ut hostes e patria proturbentur (Ζ 526); atque ipse Iuppiter dicit (Δ 44 sqq.) ex omnibus urbibus in orbe terrarum sitis nullam sibi cariorem esse urbe Troiana, *οὐ γάρ*, inquit, *μοί ποτε βωμὸς ἐδεύετο δαιτὸς ἐίσης, λοίβης τε κνίσης τε*, tum ipse dedit Troi equos divinos *υἷος ποινὴν Γανυμήδεος*.

Antiquissimi iam belli Troiani cantores cognovisse videntur Iovis cultum Idaeum. Nam èt in certamine singulari Hectoris et Aiacis èt in eo quo Hector ab Achille occiditur, cui utrique supra vidimus [1]) diversis modis informato eundum fuisse *πρωτότυπον* illis debitum, ea res tangitur (Η 202, Χ 170 sqq.), neque vetat quidquam ad carmina principalia eam referre [2]). Itaque insigne quoque Iovis auxilium Troianis datum cuius mentio fit in Catalogo navium (Β 768), in pugna ad naves (Ο 461 sq., 488 sqq., Π 119), in proelio de Patrocli corpore (Ρ 596) quibus Iliadis partibus eundem illum carminum *κύκλον* pro fundamento fuisse vidimus [3]), in hoc fonte commemoratum esse in promptu est. Tum in eis carminibus quibus agerentur Achillis expeditiones et in alias Asiae regiones et in regionem Idaeam a Dardanis

1) Supra p. 15, p. 19.

2) Minus recte in superioribus dixi (p. 48) montem Idam longius ab urbe Troiana semotum esse quam cuius credamus in antiquissimis iam de belli Troiani carminibus deum Idaeum tutelam esse habitum. Cui sententiae etiam hoc repugnat, quod in iis carminibus, id quod ipsi studuimus evincere (l.l. p. 50) veri simile est Dardanorum mentionem esse factam. Tamen quod contendebamus (p. 50 sq.) ad Aeneam ea carmina non pertinere immotum manet.

3) Cf. supra pp. 4 sq., 6 sq., 16 in ann. 1.

Aenea rege habitatam, Iovis Idaei mentionem esse factam probant auxilium ab eo Aeneae latum (Υ 92) et Dardanus eius proles (Υ 215) [1]), necnon in iis carminibus quibus ante Homerum celebrarentur Achillis cum Troianis proelia, Troianorum deum patrium fuisse Iovem prodit Hector ei supplicans pro salute filii (Z 476) nisi credis, quod vix credibile, pulcherrimum hunc locum deberi ei qui antiquum carmen quo ageretur Ἕκτορος καὶ Ἀνδρομάχης ὁμιλία Iliadi inseruerit [2]). Atque ad idem carmen vel carminum κύκλον supra vidimus [3]) fieri posse ut Hectoris dictum ad fratrem (Z 526): sperare se Iovis ope hostes pulsum iri, referendum sit. Porro de Iove Idaeo cogitavit antiqui carminis auctor quod esset de Ἀλεξάνδρου καὶ Μενελάου μονομαχίας, a quo Iuppiter ab Agamemnone invocatus dicitur Ἴδηθεν μεδέων (Γ 276) [4]). Postremo is qui ante Homeri aetatem Agamemnonis ἀριστείαν et vulnerationem celebrans [5]) narravit Hectorem a Iove a telis defendi (Λ 163 sq.) et victorem reddi (Λ 185 sqq., 299 sqq., 406, 544), non casu accidit ut Iovem haec moliturum ab Olympo in Idam se conferre fingeret (Λ 181 sqq.), ubi in nostra Iliade per totam pugnam descriptam libris Λ—Σ rex deorum degit (cf. Λ 337, M 253, Ξ 157, O 169, 237, Π 671). Itaque satis apparet in diversis iam Iliadis fontibus èt Iovis cultum Idaeum et Troianum èt opem ab eo latam Troianis commemorata esse èt hanc ubi Irae cantor proponat debitam Iovis consilio Thetidi morem gerentis, in usum suum convertisse poëtam ea quae in fontibus suis invenisset. Atque cum ex iis locis ubi tangitur Iovis sedes Idaea vel Troiana, quorum ceteris supra (p. 268 sq.) allatis ii loci addendi sunt quibus in Κόλῳ μάχῃ, ut in Ἀγαμέμνονος ἀριστείᾳ, ex Olympo in Idam se confert deus (Θ 41 sqq.) et aliquamdiu ibi moratur (Θ 75, 170, 397 sqq., 438), èt hi èt nonnulli alii (Δ 44, Z 251, Θ 48, Ω 291) debeantur poëtis qui Irae Cantoris poëma auxerint et dilataverint, apparet hos de illa re egisse convenienter eis, quae in fontibus invenirentur.

---

1) Supra p. 48.
2) De hoc carmine vide supra p. 73 sq.
3) Supra p. 78 sqq.
4) De hoc carmine vide supra p. 118.
5) Vide supra p. 115.

Ab altera parte ratio ferebat ut poëtae Graeci sibi proponerent Iovi res Graecorum curae esse. Quamvis ad tempus in Ida consistat, Olympus tamen praecipua eius sedes et velut domicilium est, bis Idaeus (Π 605, Ω 291) saepissime Olympius in Iliade appellatur. Ut omnino reges sunt διογενέεσ, διοτρεφέεσ, δίφιλοι, eosque in summo honore Iuppiter habet (A 175, 279, B 197) quippe cui debeant regiam suam dignitatem (B 205), sic praecipue Agamemnonis sceptrum a Iove eius maioribus est datum (B 101 sqq.). Praeterea procul dubio iam abinde antiquissimis de bello Troiano carminibus constabat [1]) postremo Troianos debellatos, Troiam devastatam esse, qui exitus tangitur praesagis Agamemnonis et rursus Hectoris verbis (Δ 164, Z 448) ἔστ' ἦμαρ ὅτε κέν ποτ' ὀλώλῃ Ϝίλιοσ ἱρή, tum ubi augurio Iuppiter eum praenuntiasse narratur (B 299 sqq.), nec non ubi uxori concedit (Δ 68) obtestanti (vs. 26 sqq.) ne irritum faciat laborem suum Troianis exitium parantis, vel ubi Minervam confirmat (Θ 38 sqq.) significans immota manere Troiae fata. Convenit quod etiam in rebus dubiis vel adversis ita Iovem precantur Graeci ut qui minime metuant ne aures sibi claudat, id quod passim in Iliade animadvertere licet. Inprimis Achilli Iovem deum patrium fuisse inde apparet quod Olympus Thessaliae mons est, quem vidimus [2]) ab universa Graecia mox pro Iovis sede praecipua habitum esse ob nullam aliam causam magis quam propter auctoritatem poëtarum natione Thessalorum quorum carmina Homero pro fontibus essent. Dodonaeum eum appellat Achilles (Π 223), sed hoc nihil ad rem, nemo enim censebit non eundem voluisse poëtam atque Olympium. Achilli autem favisse Iovem etiam ex his sequitur. Supra enim ostendimus multa quae apud Homerum ad Patrocli exitum referantur olim ad Pelidae pertinuisse mortem [3]). In quorum numero etiam hoc esse videtur quod post Patrocli mortem Achillis equos divinos consolatur et confirmat (P 440 sqq.), praeterea miraculum caliginis quo involvit certantes de Patrocli corpore quia οὐδὲ Μενοιτιάδην ἤχθαιρε, 'μίσησεν δ' ἄρα μιν δηίων κυσὶ κύρμα γε-

---

1) Vide supra p. 15.
2) Supra p. 68.
3) Supra p. 78 sqq.

νέσθαι (P 270 sqq.), quae verba si pro Patroclo Achillem substituis, ostendunt mentem erga hunc benignam [1]). Sed quoquomodo hoc se habet, id satis apparet fieri vix potuisse quin Graeci crederent Iovem a se atque ab adversariis suis aequo honore habitum tamen de summa rerum potius suis commodis quam hostium prospicere, etiamsi horum sive sacrificiis sive precibus permotus ad tempus iis magis faveret. Qua de re apte conferas locum ubi Aiax loquens inducitur (H 194) *ὕμεσ εὔχεσθε Διὶ Κρονίωνι ϝάνακτι σιγῇ ἔφ' ὑμείων, ἵνα μὴ Τρῶέσ γε πύθωνται, ἠὲ καὶ ἀμφαδίην, ἐπεὶ οὔ τινα δέδϝιμεν ἔμπησ*; quippe enim metus invadit heroëm ne hostes cum cernant commilitones suos Iovi supplicare, efficacioribus precibus deum in suam partem trahant, sed mox confirmatus hunc metum dimittit. Sed mirum non est poetas sentientes non prorsus acquiesci posse in Iovis voluntate eum appellasse *μητιέτην* et *ἀγκυλόμητιν* cuius mens *ἀεὶ κρείσσων ἠέ περ ἀνδρῶν* (Π 688, P 176), quo etiam referre licebit Achilles dictum (Ω 527 sq.) *δοιοὶ γάρ τε πίθοι κατακείαται ἐν Διὸσ οὐδῷ δώρων οἷα δίδωσι κακῶν, ἕτεροσ δέ ἐάων*, facile autem intelligitur Irae Cantorem propter auxilium a summo deo Troianis latum quod in fontibus suis inveniret, in cogitationem incidisse eius mentem Thetidis precibus esse perductam ad Agamemnonis superbiam castigandam. Praeterea alium quoque iam in Iliade dispicimus conatum explicandi fortunae varietatem, sive iam ante Homeri aetatem poëtis talia succurrerunt sive auctoribus demum Iliadis, cum scilicet fingerent Iovem non tam libero suo arbitrio agere quam ministrantem ea quae cuique *μοῖρα κραταίη γιγνομένῳ ἐπένησε λίνῳ* (Ω 219). Quam rationem sponte suadebat conspicua ea lex „qua immobilis rerum humanarum ordo seritur" ut optime apud Livium ait miles Cannensis [2]). Hinc autem factum est ut Iovem fingerent libra fatali belligerantium sortes ponderantem (Θ 69, Π 658 [3]), T 223,

---

1) Quod Hectori Iuppiter trepidationem inicit (Π 656 sq.), ei recusat ne Achillis equos currui suo iungat (P 499 sqq.), vitio vertit quod Achillis arma induit (P 201) fonti deprompta esse non possunt, quippe in quo de Hectore sermo non esset sed a *Πατροκλείασ* auctore convenienter fonti efficta sunt.

2) Liv. XXV. 6. 6.

3) Ex eis quae hoc loco leguntur sequitur ut ea quae praecedant (Π 646 sqq.) non ita accipienda sint quasi libere secum consideret Iuppiter quid optimum sit factu, sed ut meditetur quomodo fati decretis optime morem gerat.

X 209 sqq.) quippe qui hominibus *ταμίησ* — i. e. dispensator, non arbiter — *πολέμοιο τέτυκται* (Δ 84, T 224), ne potestate quidem data servandi si quis esset *πάλαι πεπρωμένοσ αἴσῃ* (Π 441 sq., X 179 sqq.). Etiam quod legitur Υ 306 *ἤδη γὰρ Πριάμου γενέην ἤχθηρε Κρονίων* huic sententiae non repugnat, ira enim, causa non addita, haud dubie hic colligitur ex eventu belli; nihil igitur vetat sumere Iovem hic appellari fati loco cuius iussa peragat. Ubi vero poetae significandum esse censent Iovem invitum fato obsequi aliter loquuntur ut ne alios afferam is qui Patroclo occiso *οὐδὲ Μενοιτιάδην* inquit *ἤχθαιρε* (*Κρονίων*) *πάροσ περ*. De Patrocli autem exitu decrevisse fatum indicat poëta eum allocutus *σε θεοὶ θανατόνδ' ἐκάλεσσαν* (Π 692) non ignarus credo una mente non agere deos nisi necessitate fati. Patrocli autem mortem fato tribui nil mirum, siquidem in eum translata sunt, quae initio pertinerent ad mortem Achillis cui *αἶσα μίνυνθα περ οὔ τι μάλα δϝήν* (A 416) [1]). Postremo autem rursus aliter iudicavit atque ceteri de Iovis ratione in bello Troiano obvia, is qui victoriam Graecis impertitam deberi finxit pacto conventu inter deorum regem uxoremque (Δ 68 sqq.). Neque quisquam tam acerbe proposuit deorum licentiam et superbiam adversus homines, ne is quidem qui excogitavit somnium fallax Agamemnoni missum, vel qui Minervae fraudem in succurendo Achilli adversus Hectorem. Nam ad flagitium Iovis iussu Minervam facit pellicere Pandarum. Cuius rei acerbitas etiam magis oculos ferit si confers Agamemnonis verba ad fratrem vulneratum (Δ 164 sqq.): aliquando Iovem Troianos deleturum, iratum ob impia facta. Scilicet regi ut virum pium decet Iovem talia odisse persuasum erat. Haec vero poëta idem — nemo enim dubitat quin idem sit — qui illa de Mi-

---

1) *Πατροκλείασ* auctor quamquam fontem sequens quo ageretur mors Achillis, Patrocli mortem fato assignat (Π 692) alio tamen loco studens argumentum suum adaptare poëmati quod erat de Achillis Ira, pro fato substituit Iovis consilium. Nam Π 687 monens Patroclum si Achillis praecepta observasset futurum fuisse ut mortem effugisset, haec addit *ἀλλ' αἰεί τε Διὸσ κρείσσων νόοσ ἠέ περ ἀνδρῶν* haud dubie significans *Διὸσ βούλην* propter Thetidis preces initam cf. Σ 74 sqq. — Ut etiam in alia re a fonte sua discessit noster. Nam cum P 269 sqq. aperte significet caliginem pugnantibus de Patrocli corpore offusam esse ne Troiani mortuum subtraherent (cf. vs. 272 sqq.), alio loco (P 645 sqq.) rem ita proponit quasi nihil magis Graecis obstet corpus defendentibus.

nervae missu! quid aliud auditores docens nisi hoc deos ludere mortales? Neve tamen haec mireris in vate antiquo cum Goethe vir summus paullo ante nostra tempora florens „vos" inquit „numina caelestia, nos in peccata rapitis mox affecturi miseros suppliciis vestris." Sane quam, quo altius res humanas perspexeris eo apertius his assentieris aut „religionum nodis" ut ait Lucretius „animus est exsolvendus" et confitendum fato mundum regi nulla providentia divina.

Aliter atque maritus Iuno a poëtis proponitur constanti ardens in Troianos odio, muliebri impotentia in eos saeviens, quam ei exprobrans Iuppiter, „quodsi" inquit „Priamum, Priamique subolem ceterosque Troianos crudos devoraveris, tum denique iram expleveris" (Δ 34 sqq.); ipsa autem aperte confitetur se equosque sudasse in cogendis militibus eorum interitus causa. Unde haec implacabilis ira sit orta si quaeritur, causa videtur fuisse quod dea patria ac tutelaris Argivorum iniurias suis illatas in se susciperet vindicandas. Hoc autem ipsum documento est tum demum reginam deorum in fabulam Troianam adhibitam esse cum bellum haberetur exortum esse Ἀλεξάνδρου ἕνεκ' ἀρχῆς (Γ 100, Ζ 356, Ω 28) [1]). Id autem si ita est, partes ei in Iliade tributae debentur fontibus iis quibus pro fundamento esset mythus quo ageretur Helenae raptus [2]). Quocum convenit quod quibuscunque locis praecipue cum Achille ei res esse videtur, nullus ex his est qui derivatus esse videatur e fonte antiquo, plerique etiam eiusmodi sunt ut non appareat deam Achillem magis tueri quam ceteros Graecorum principes. Achillem inducit ut contionem advocet (Α 55). At cur facit? κήδετο γὰρ Δαναῶν ὅτι ῥα θνήσκοντας ὁρᾶτο. Eidem Minervam mittit, qui eius iram

---

1) Uno Iliadis loco (Ω 29) commemoratur „iudicium Paridis spretaque iniuria formae", qui locus tamen ab Aristarcho obelo notatus haud dubie satis recens est. Sed fac eam fabulam iam ante Homeri aetatem vulgatam fuisse, fidenter tamen statuas non eam causam fuisse cur poëtae Iunonem iratam Troianis finxerint, verum contra adhibitam esse ad iram explicandam qua deam ardere iam antea poëtae narravissent.

2) Carmina haec recensuimus supra p. 103 sqq. Tamen unum modo Iliadis locum ad Iunonem pertinentem ex his carminibus haustum puto, locum Β 155 sqq. depromptum e carmine quo ageretur Agamemnonis consilium domum redeundi. Cetera quae in Iliade de Iunone narrantur, nam etiam locum Λ 45 e nullo antiquo fonte haustum puto, de qua re posthac erit agendum, aut ab Iliadis auctoribus inventa esse aut derivata e fontibus ad bellum Troianum nihil pertinentibus censeo.

mitiget (A 194 sqq.). At non huius causa magis facit quam Agamemnonis, ἀμφὼ ὁμῶς θυμῷ φιλέουσά τε κηδομένη τε. Tum ad eum Iridem ire iubet, quae in moerore iacentem adhortetur ut Patrocli corpus defendat (Σ 166 sqq.) et repellat Troianorum impetum. Quam rem aegre ferens Iuppiter dicit (Σ 358 sq.) ἦ ῥά νυ σεῖο ἐξ αὐτῆς ἐγένοντο κάρη κομάοντες Ἀχαιοί, ipsa vero reponit οὐκ ὄφελον Τρώεσσι κοτεσσαμένη κακὰ ῥάψαι; Atque quod Achillem a flumine Xantho oppressum defendendum curat Vulcano filio in eius auxilium advocato (Φ 330 sq.), propterea hoc ad rem non facit quia pugnam cum flumine qualis in Iliade depingitur vix quisquam censebit eadem ratione in antiquis fontibus esse propositam neque erga quidquam cogit credere in eis Iunonis mentionem esse factam. Sed Ω 55 sqq. eam audimus in colloquio cum Apolline se iactantem quod Thetidem, inquit, ἐγὼ αὐτὴ θρέψα τέ καὶ ἀτίτηλα καὶ ἀνδρ' ἔπορον παράκοιτιν Πηλέϊ ὃς περὶ κῆρι φίλος γένετ' ἀθανάτοισι, quae si derivata sunt ex antiquis Thessalorum carminibus, sequitur ut haec eam habuerint Achillis deam patriam, neque negare licet poëtas qui hunc in bellum Troianum induxerint, eam finxisse huius belli sociam. Verum aliter res se habere videtur. Nam non tantum quod Iunonis illa cura vere materna qua loco nostro se Thetidis matrimonium curasse gloriatur ceteris repugnat quae de Pelei nuptiis discimus, quippe cui Thetidem nolentem dei conubio iunxerint — ἤματι τῷ, inquit filius (Σ 81) ὅτε σε βροτοῦ ἀνδρὸς ἔμβαλον εὐνῇ, et ipsa cum Vulcano queritur (Σ 431 sqq.) ἐκ πασῶν Κρονίδης Ζεὺς ἄλγε' ἔδωκε, ἐκ μέν μ' ἀλλάων ἁλιάων ἀνδρ' ἐδάμασσεν Αἰακίδῃ Πηλῆϊ καὶ ἔτλην ἀνέρος εὐνὴν πολλὰ μάλ' οὐκ ἐθέλουσαν, neque degit apud maritum sed ἐν βένθεσσιν ἁλὸς παρὰ πατρὶ γέροντι (A 358, Σ 36) — sed quod gravius est, recentiorem originem in fronte fert. An hoc antiquum est numen marinum ne careret credo marito bene morato, prudenter et amanter a Iunone copulatum esse viro mortali deis acceptissimo? Itaque vix dubium quin ipse colloquii nostri auctor quem inter recentissimos Iliadis auctores omnes fere numerant rem effinxerit quo Iunonis oratio maiorem vim haberet. Accedit quod in Thessalorum sacris et mythologiis Iuno quantum scire licet vix ullo loco est. In una Argonautarum expeditione eius auxilium commemoratur. Sed luculenter demonstravit Gruppe

v. d. [1]) veri simillimum esse ut Argis et Corinthi demum a poëtis facta sit expeditionis dea tutelaris. Atque revera ipsae illae urbes, id quod nemo nescit, abinde antiquissimis temporibus usque ad recentissimam antiquitatem deae cultus et mythorum qui inde orerentur sedes fuerunt; neque sine causa ipsa apud Homerum dicit (Δ 52) ante omnes urbes Argos sibi curae fuisse, adiunctis propter Atridas Sparta et Mycenis, quemadmodum Mycenarum regem ubi armatus prodit aciem in hostes ducturus tonitrus fragore una cum Minerva prosequitur (Λ 45). Ceterum discordiae cum coniuge exercitae quarum Homerus auctor est, non initio inde ortae esse possunt quod maritus ei nimis Troianis favere videbatur (Α 520 sqq., 536 sqq., Δ 7 sqq., Θ 408 sqq., Ο 10 sqq., Σ 356 sqq.), nam in Herculem quoque diversus fuit utriusque animus (Ξ 250 sqq., Ο 18 sqq., Τ 95 sqq.) quae materies sane non recentior est quam fabula Troiana. Altiorem vero causam hanc fuisse in superioribus suspicati sumus [1]) quod in antiquis mythologiis tempestates et imbres redderentur a poetis inimicitiis deorum qui in his phaenomenis regnarent, qua re factum esse videtur ut sicubi argumenta quae tractarent poëtae ansam praebebant sumendi aliquod sive sententiarum sive studiorum certamen inter summa numina, vix sibi satisfacere possent in proponenda auditoribus Iunonis contumacia marito severis poenis et minis coercenda.

Coniunctissima Iunoni in oppugnandis Troianis apud Homerum Minerva fingitur. Nec tamen dea bellipotens antiquissimis fabulae Troianae cantoribus infesta illis videbatur. Nam ex horum iam carminibus cognomen ῥυσίπτολις (Z 305), delubrum in Troiae arce (Z 297), antistita Theano Cissei filia, Antenoris uxor (E 70, Z 298, 302, Λ 224) in Iliadem transierunt, si quidem, id quod suo loco demonstrare tentavimus [2]), Minervae Iliadis cultum, ab iis iam Graecis qui primi consederunt in Troiae Homericae sede eo e patria traductum, illi poetae finxerunt olim extitisse apud cives urbis dirutae. Ac hercle rogare licebit nisi res ita se habeat neque Minerva Troianis amica sit habita antequam crederetur iis infesta, quid quem poetam inducere potuerit ut numen infestum a Troianis ῥυσίπτολιν appellatam et cultam esse narraret.

---

1) l.l. pp. 558, 1129. 2) Supra p. 27 sq.

Palladium quoque raptum ab Ulixe et Diomede huc tendere videtur nam quamquam ab Homero non tangitur, et raptus ipse forsitan post demum Homeri aetatem confictus a poetis sit, tamen vix neges ei subesse aliquam memoriam Minervae cultus Troiani. Quod vero ab Ulixe et Diomede raptum esse narrabatur, deberi hoc videtur rationibus quae utrique nonnullis locis cum cultu Minervae intercesserint [1]). Quapropter cum illi in heroës mortales conversi in bellum Troianum adhiberentur, deam eis adfuisse contra hostes in promptu erat. Atque haec fuit causa, quae olim Troianorum esset dea ῥυσίπτολις, cur partes tamen Graecorum amplexa esse crederetur. Unde sponte sequebatur ut quodammodo ministrae loco coniungeretur cum Iunone quemadmodum factum est ab Irae Cantore (Α 194 sq.) et ab aliis deinceps Iliadis auctoribus (Β 155 sq., Δ 20 sqq., Ε 710 sqq., Θ 350 sqq., Λ 45, Ω 25 sqq.). Ceterum iam ante Homeri tempora Ulixem et Diomedem, alterum prodisse in carminibus tum eo quo legatus cum Menelao Helenae reposcendae causa missus esse narraretur, tum quo Agamemnonis praeposterum consilium domum redeundi ageretur, utrumque autem in carmine quod extiterit de Ἀγαμέμνονος ἀριστείᾳ in superioribus demonstravimus [2]). Itaque quod in Διαπείρᾳ legitur (Β 155 sqq.) Minerva monuisse Ulixem ut milites a fuga retineret, et in Ἀγαμέμνονος ἀριστείᾳ (Λ 438) ab heroë vulnerato avertisse periculum vitae, ex his carminibus haustum videtur [3]). Sed nemo eam acrius se gerentem finxit quam is qui Διομήδους ἀριστείαν Iliadi inseruit, nimirum ante omnia hoc agentem ut Tydides ἔκδηλος μετὰ πᾶσι Ἀργείοισι γένοιτο ἠδὲ κλέος ἐσθλὸν ἄροιτο. Quippe enim ille cantor si in superioribus recte iudicavimus [4]), e fontibus hausit ad bellum quidem Troianum nihil pertinentibus, sed qui Diomedem Minervae commilitonem haberent una cum

---

1) Pind. Nem. X. 7 et schol. ad X. 2. Paus. II 24. 2, IV. 35. 8, VII. 44. Heracl. exc. 27. Tim. fr. 13. Tzetzae sch. in Lyc. A. 615.

2) pp. 109, 114, 116.

3) Solis his Iliadis locis partes Minervae tributae receptae esse videntur e fontibus quibus bellum Troianum ageretur. Nam neque Δολωνείαν neque Διομήδους ἀριστείαν huc pertinere supra demonstravimus p. 102, 103. De loco Λ 45 vide supra p. 155. De auxilio a Minerva lato Menelao (Δ 128 sqq., Ρ 353) et Achilli (Τ 249, Χ 136 sqq.) vide ann. sequentem.

4) pp. 95, 103.

ea etiam numina infesta superantem. Neque casu factum est ut idem ille poëta, nam eundem esse alio loco demonstrandum erit, matronas Troianas deae auxilium contra eum implorantes repulsum tulisse tradiderit (Z 311), ne scilicet auditoribus dubium maneret quin Minerva, quam ex antiquis carminibus scirent urbis Troianae praesidium fuisse, propter Diomedis studium mentem mutasset. Ceterum in promptu erat deam cum iam Graecorum tueretur causam, etiam aliis eorum praeter Ulixem et Diomedem principibus opitulatam esse ut Menelao (Δ 128 sqq., P 353), Achilli (T 349 sq., X 186 sqq.) [1].

Minervae nobilitatem adaequat Apollo. Hunc in Illiade Troianis cupere ab iisque ei in urbis arce delubrum esse positum nihil mirum erat si in superioribus recte demonstravimus [2], Locrenses qui inter conditores essent vici superpositi Troiae Homericae, cum Minerva Iliade coluisse Apollinem Ileum, deinde autem cantores qui inter eos existerent, ut illius sic huius èt nomen èt cultum transtulisse in urbem pristinam quae stetisset eodem loco. Unde etiam factum esse èt ut Euphorbus qui in antiquissimis de bello Troiano carminibus Patroclum occidisse narraretur [3], in ea re Apollinis auxilio usus esset, èt ut Troianorum in acie dux praecipuus, urbis et arcis defensor cui patrem poëtae adderent Priamum i. e. arcis dominum, Hector appellaretur, quo nomine Apollo sive a Boeotis, sive ab alia gente quae particeps fuisset expeditionis quae antiquissimis de bello Troiano carminibus celebraretur, in patria Graeca cultus esset [4]. Itaque apte Irae Cantor Chrysen illum qui redimendi causa filiam in castra Graecorum advenisset, Apollinis antistitem finxit. Nam quamquam Chryses neque Troianus fuit neque Troianorum socius — etenim si fuit qui potuit alloqui Atridas „*ὑμῖν μὲν θεοὶ δοῖεν ἐκπέρσαι Πριάμοιο πόλιν*” (A 19)? [5]) — tamen deus

---

1) Nihil quod huc pertineat ex antiquo fonte haustum esse, suo loco patebit.

2) Supra pp. 5, 27 sq.

3) Supra p. 10. Fuitne Euphorbus initio daemon aliquis qui pascuis et pecudibus praesideret, consimilis Erichthonio *τοῦ τρισχίλιαι ἵπποι ἕλος κάτα βουκολέοντο* (Y 221)?

4) Supra p. 32.

5) Cf. supra p. 44 Liceat hic animadvertere in eius paginae linea 21 s. f. excidisse post „urbe” vocem „patria”.

arcitenens magis idoneus erat, qui propter iniuriam seni illatam Graecis suscenseret quolibet ex eis deis qui flagrarent odio in Troianos. Atque forsitan propter ipsam Troiae tutelam poetae eum assimulaverint nescio cui deo qui revera in indigenarum urbibus coleretur; facit enim noster Chrysen eum alloquentem (A 37) ὃσ Χρύσην ἀμφιβέβηκασ, Κίλλαν τε ζαθέην, Τενέδοιό τε ϝῖφι ϝανάσσεισ, Σμίνθιε, et Διομήδουσ ἀριστείασ auctor eum fingit praesidentem Zeleae Pandari urbi patriae [1]). Nihilominus Iliadis auctores non immemores fuerunt Apollinem a Graecis quoque coli. Nam quamquam in bello Troianis et, ut par est, imprimis Hectori auxiliatur [2]), inque θεομαχίᾳ quae describitur in libris Υ et Φ consistit adversus deos qui Troianos impugnent, tamen magis urbem suam defendit quam contra Graecos saevit; odium acre quale exercent Iuno et Minerva procul habet [3]). Postquam Graecos oppressit ut sacerdotis sui iniurias vindicet placatur simul ac huic satisfecerunt [4]). Fato vetitus suos ultra adiuvare, ultro recedit [5]). Sic eius ratio magis quam eorum numinum quae Graecis favent, Iovis menti convenit, neque mirum est ei potissimum deorum regem mandata committere [6]).

Dixeris Veneri, nam de hac dea nunc agendum, prius locum non fuisse in fabula Troiana quam Paris crederetur ipsius illecebris et donis adduxisse hospitis uxorem ut marito fidem frangeret. Quid enim deae dulce ridenti cum raptu feminae invitae reluctantis asportatae a praedone inter ὁρμήματά τε στοναχάσ τε? Iamvero Venus cum non tantum sit mater cupidinum, sed Aeneae quoque parens, dandum est fieri potuisse ut simul cum hoc in partem belli Troianum vocaretur etiam antequam crederetur Paridi adfuisse in pelliciendo Helena. Sed notatu dignum est Aeneae neque incluso in urbe Pedaso expugnata ab Achille, neque certamine singulari cum eodem pugnanti periculum vitae

---

1) Vide supra p. 103.

2) Cf. i. a. H 81, 272, Λ 353, Ο 236, 306, 327, Π 725, Υ 375, 443, Χ 208, Ψ 188, Ω 18, 32. E ceteris Troianis Apollo tuetur Aeneam E 344 Panthoum Ο 521 Antenorem Φ 596, exaudit Glauci precies Π 508 sq.

3) H 23 sqq.

4) A 474, 479.

5) Χ 213.

6) Ο 236 sq. Π 663 sqq.

a matre esse aversum, sed e Pedaso fugisse Iovis Idaei ope (Υ 92 sq.) e certamine cum Achille eum abripuisse Neptunum, (Υ 319 sq.) unde iure efficias poëtis qui Achillis res celebrarent quamvis non ignari essent, id quod supra vidimus [1]) Aeneam Venere natum esse, tamen in mentem non venisse fingere matrem coelestem curantem bella terrestria quibus filius interesset. Fuerintne autem inter Iliadis fontes Helenae raptum agentes qui tradiderint Helenam volentem esse secutam Paridem, latere supra vidimus [2]), ne Irae cantor quidem quid de ea re senserit sciri posse [3]). Sed *Διομήδους ἀριστείαν* is qui Iliadi inseruit, quem eundem inseruisse paene totos libros Γ Δ Ε Ζ alio loco demonstrandum erit non dubitavit de Helenae adulterio, id quod evinci locis Γ 54, 139, 164, 173, Ε 530, Ζ 363, 377 in superioribus ostendimus [4]). Hic Venerem Troianos egregio amore amplecti pronuntiat (Ε 423); quod vero filium cum suo damno Diomedis manibus subtraxisse narrat nihil prohibet eius fontibus tribuere dummodo teneatur hos neque ad Helenae raptum neque omnino ad bellum Troianum pertinuisse [5]). Praeterquam in libris quos supra dixi, nonnisi quater Venus in Iliade prodit: in *Διὸς ἀπάτῃ* ubi eam Iuno eius cingulum petitura, metuere se dicit ne recuset *οὕνεκα* inquit (Ξ 142) *ἐγὼ Δαναοῖσι, σὺ δὲ Τρώεσσιν ἀρήγεις*, facile tamen persuadet ut donum largiatur; tum in *θεομαχίᾳ* quae narratur Υ 1 sqq., Φ 383 sqq.; porro Ψ 185, ubi canes arcet Hectoris corpore; postremo Ω 29 sqq. ubi Paridiis iudicium tangitur *ὃς 'νείκεσσε θεὰς ὅτι ϝοι μέσσαυλον ἵκοντο, τὴν δ' ᾔνεσσ' ἣ ϝοι 'πόρε μαχλοσύνην ἀλεγεινήν*. Sed cuncti hi loci deberi videntur poëtis aetate recentioribus eo qui *Διομήδους ἀρίστειαν* Iliadi inseruerit, unus locus Ω 29 sqq. vix dubium est quin derivatus sit ab antiquo mytho in quo tamen iudicium de deabus latum manifesto ad principem Troianum nondum referretur neque coniungeretur cum Helenae raptu. Tum cum rogari inciperetur cur Venus Paridem adiuvasset in Helena seducenda,

1) Supra p. 49.
2) Nihil obstare quin credamus nullos fuisse demonstravimus supra p. 108, 114, 116, 119.
3) Supra p. 118.
4) Supra p. 106 sq.
5) Supra p. 95 sqq.

poëtae non satis sibi conscii eiusmodi ministerium ex ipsa deae natura explicandum esse, huc traxerunt fabulam laudandi eam causa olim inventam.

Martem adversus Graecos cum Troianis stetisse vulgatissimum est. At si rem accurate consideras mox vides in Iliade rem ita se habere nonnisi in libris Δ E et in θεομαχίᾳ quam habent libri Υ Φ. Contra inter Graecorum principes numerantur eius filii Ialmenus et Ascalaphus (B 512, I 82), quorum hunc interfectum a Deiphobo (N 518 sqq.) ne pater ulciscatur, vix continetur a Minerva O 113 sqq.); Ascalaphi autem mortem in superioribus ostendimus [1]) veri similiter referri ad antiquissima de bello Troiano carmina. Praeter quam locis allatis, Mars in Iliade nullas partes agit, nisi quatenus est deus belli a quo occisi dicuntur quicunque in acie cadunt tam Troiani (Ω 260, 498) quam Graeci et cuius ministri et amici appellantur omnes bellatores sive Graeci (B 110, H 382, Z 67, Θ 79, K 288, O 733, T 78) sive Troiani. Itaque in promptu est conicere primum eum poëtam qui Διομήδους ἀριστείαν Iliadi inseruerit adscripsisse Martem Troianorum parti, idque propterea fecisse quod in fontibus qui de proeliis inter deos agerent et ipsi et sorori Veneri infestissimos invenisset Diomedem et Minervam. Neque ignarus fuisse videtur in aliis carminibus antiquis Martem cum Graecis facere eaque re inductus Minervam finxisse eum accusantem (E 832 sq.) quod antea professus se Troianis impugnaturum, fidem rupisset contra Graecos saeviens [2]).

Quae supersunt paucis conficere licet. Nam Neptuni auxilium Graecis latum, quod in Iliade ne obvium quidem est nisi in pugna apud naves librorum N Ξ et in θεομαχίᾳ librorum Υ Φ,

---

1) Supra p. 7.

2) Idem poeta alio loco (E 563 sqq.) Martem narrat Menelao audaciam iniecisse et incitasse ut Aeneae obviam iret. Deum belli incitare bellatores in promptu erat, sed Menelaum incitasse, addit noster, ut eum perderet. Quippe enim Martem modo in proelium reversum (vs. 508 sqq.) unde Minerva eum paulo ante removerat (vs. 35) et πάντῃ ἐποιχόμενον, facile in cogitationem incidit poëta proponendi id facientem peculiari consilio adiuvandi Troianos quod propter ipsius naturam in eum caderet. Neque igitur opus videtur sumere nostrum locum derivatum esse e fonte in quo sine mala fraude Mars Menelaum incitasset. Nam quod nostro loco Menelaus appellatur Ἄρηι φίλος facile credimus fugisse nostrum propriam vim tritae huius formulae Martis consilio repugnare.

utrum derivatum sit necne ex Iliadis fontibus quibus proelium apud naves ageretur — θεομαχίᾳ autem librorum Υ Φ nullum antiquum fontem subesse iam saepius monuimus — mittendum videtur. Sed quoquomodo haec res se habet, Neptunum cum omnes fere Graeci inter summos deos haberent, eorum poëtas facile intelligitur non dubitasse quin in bellum Troianum se interposuisset atque potius suorum causae cupisset quam hostium. In hanc sententiam vix ullius momenti fuisse quae narrarentur de iniuriis a Laomedonte illatis perspicuum est, quamquam θεομαχίας auctor eum facit perstringere Apollinem (Φ 441 sqq.) quod huius rei immemor sit. E Troianorum numero Aeneae favet (Υ 318 sqq.) quam rem suspicati sumus [1]) derivatam esse e mythologiis Arcadum quibus utrique cultus patrius esset. Porro Vulcanus Achilli arma fabricatur quod ex antiquis Thessalorum carminibus depromptum videtur [2]), et a matre Iunone advocatus Achillem iuvat oppressum a Scamandro (Φ 330 sqq.) quod auxilium ex antiquo fonte haustum an a libri Φ auctore excogitatum sit, latet; sufficiebant autem haec ut in θεομαχίᾳ quae in libris Υ Φ describitur consisteret inter deos Graecorum res tuentes. Superest unus locus, ubi a Troianis cultum legimus nam Ε 9 sqq. antistitis sui Daretis filium Idaeum Diomedis manibus subtrahit, quod rursus utrum ex antiquo fonte haustum sit necne non dispicitur. Postremo Scamandrum nonnisi quia Troianorum agrum perfluit, deas Latonam et Dianam tantummodo propter Apollinis consanguineitatem una quocum delubrum eis in arce Troiana positum est (Ε 447), adnumerari deis quae in θεομαχίᾳ libro Υ Φ Troianorum causam defendant, manifestum est. Ne hi quidem praeter quam locis allatis vix ad antiquos referendis fontes, in bello Troiano apud Homerum prodeunt; cetera numina quae in Iliade appellantur bellum Troianum non curant.

---

1) Supra p. 98.
2) Supra p. 55.

f. *Epilogus.*

Patet e quibuscunque fontibus haustae sunt sive res sive personae quae in Iliade aut depictae aut modo tactae in partem non venerunt fabulae quae erat de bello Troiano, cuius generis sunt Hercules Meleagrus Iason Eurytus Bellerophon alii nonnulli cum suis quisque casibus et rebus gestis, distinguendos illos fontes esse ab his quae fecerunt ad fabulam Troianam procreandam et augendam. Illos cum mittere iam liceat, alteros quo clarius ostendatur eius fabulae γένεσισ quatenus ante Homeri aetatem processerit, ex iis quae in superioribus exposuimus breviter repetere et recensere placet. Computanti autem apparet ad hos fontes referendum esse primo loco carminum κύκλον sive fasciculum quo celebraretur diversarum gentium Graecarum expeditio duce Aiace, quem alii poëtae Telamonium alii Oilei filium dicerent, ex Aulide profecta in regionem postea Troadem dictam, qua expeditione post varios casus et labores, Patroclo ab Euphorbo, Hectore ab Aiace interfecto, Troia capta esse si minus narraretur, attamen significaretur; tum carminum κύκλον quo Achillis aliorumque heroum Thessalorum èt sociorum ut Philoctetis Machaonis èt hostium ut Alexandri, in patria Thessalia ederentur res gestae et casus i. a. urbs Thebae ab Achille capta, ipse interemtus ab Alexandro, hic a Philoctete; tertium quo proponerentur expeditiones ab Achille ductae in insulas Lesbum Tenedum inque continentem proximum, bella adversus Dardanos rege Aenea, Leleges Alta rege, urbes Pedasus et Lyrnessus expugnatae; quartum quo narrarentur Achillis proelia contra Troianos, cum Aenea iam Troiano facto, cum Scamandro flumine Troiano; porro duos carminum κύκλουσ in Peloponneso conditorum quorum altero tractaretur Helena a Paride, nondum Troiano, rapta, a Menelao et Agamemnone reducta, altero belligerantes Minerva et Diomedes contra Apollinem Pandarum, Venerem Aeneam; tum duos quibus celebrarentur res gestae Dorum Asiaticorum, altero bella cum incolis Lyciae et insularum adiacentium, Tlepolemi cum Sarpedone certamen, altero Idomenei et Merionis fortia facta in insula Creta edita; postremo Ionum Asiaticorum carmina èt illud quo ageretur clades regis

Rhesi in patria sua oppressi ab Ulixe et Diomede, èt aliqua quibus dilataretur fabula Troiana his aucta argumentis: expeditione principis Troiani Paridis sive Alexandri qua raperetur Helena, legatione a Menelao et Ulixe suscepta ad eam reposcendam, certamine singulari Menelai et Alexandri, Agamemnonis ἀριστείᾳ et vulneratione, eiusdem consilio praepostero belli omittendi, Sarpedonis victoria reportata de Tleptolemo.

Magni autem momenti est fontium rationem habere in consideranda Iliadis compositione. Sic enim animadvertemus multa quae in illa legantur e carminibus antiquioribus hausta, non satis apte coniuncta esse cum contextu poëmatis in quod adhiberentur; discrepantias igitur et repugnantias inde ortas omittemus in inquirendo sintne conspicuae in illa eiusmodi dissentiones quae nisi diversitate auctorum intellegi nequeant. Non sufficere fontium naturam ad omnia inconcinna explicanda, et remanere quae evincant Homerum non unum esse in sequentibus ostendere conabimur; sed agendo ita ut dixi evitabimus cautem in quam nonnulli vv. dd. naufragium fecisse videntur. Qui tantummodo spectantes quid cohaereret quid minus, tum ex iis quae non quadrarent quid antiquius quid recentius videretur, eas poëmatis partes quae antiquiora referrent propter id ipsum adscripserunt auctoribus antiquioribus quae recentiora recentioribus, non satis conscii antiquiores Iliadis auctores haurire potuisse e fontibus recentioribus, recentiores ex antiquioribus, eosdem ex utrisque, ita ut ne repugnantia quidem semper diversos proderet auctores.

Lachmann vir clarissimus sibi proposuit Iliadis argumentum nec non totam eius materiem, omnia quae in ea enarrarentur aut tangerentur, pedestri sermone in omnium ore divulgata fuisse antequam carminum multitudo quorum coniunctione poëma nobilissimum prodisse censeret, condi coepta esset [1]). Atque J. Grimm

---

1) „Solche epische Einheiten zu wählen (wie der Zorn des Achilleus und die Heimkehr des Odysseus), wenn es ein einzelner thut zeigt einen Kunstverstand der völlig ausgebildeten Poësie . . . . . In einfacherer epischen Zeit macht solche Einheiten nicht der einzelne Poët, sondern die Sage, das gemeinsame Dichten (ohne Form und ohne Lied) des Geistes aller welchen die Einzelnheiten überliefert sind, die sich dann, und oft auch ganz fremdartige unter die unwillkürig entstandene Einheit fügen" (e Lachmannii epistola ad K. Lehrsium v. cl. apud Friedländerum v. d. „die Hom. Kritik von Wolf bis Grote" p. VIII).

v. cl. Lachmanniana carmina respuens, conspiratione et consensu omnium Graecae nationis hominum non tantum ut Lachmann materiem Iliadis et Odysseae creatam esse censuit, sed ipsa illa poëmata qualia nunc ea habemus numeris composita esse cum quisque cui liberet aliquos versus cantaret alius alium exciperet, argumenti unitas sponte oreretur quippe quam omnes sponte apud animum sibi propositam haberent [1]). Neutri rationi neque Lachmannianae neque Grimmianae defuerunt assectatores [2]); verum tamen dies diem docens utramque evertit. Utramque praeposteram esse iam dudum viderunt vv. dd., mera enim somnia esse illos nationum quasi genios magis quam ingenia, quorum beneficio antiquissimis temporibus non tantum unusquisquisque terrae filius arte poëtica imbutus fuerit, sed etiam omnes ita consenserint ut eadem carminum argumenta omnium animis occurrerent, omnes mutuo se adiuvarent in labore ea pangendi. Verum quidem esse Graecis etiam hodie eam esse poeticam indolem ut homines e plebe quaecunque videant audiant experiantur, quae quidem vehementius eos moveant, referant conclusa διστίχοισ, sed inde nulla fieri carmina nedum quae argumento ampliore contineantur [3]). Ab altera parte haud dubie nulla Musae ope

---

1) „Jedes Epos muss sich selbst dichten, von keinem Dichter geschrieben werden" (Kl. Schr. IV p. 10 Ann. 4) et alio loco „wie alles gute in der Natur geht auch das Epos aus der stillen Kraft des Ganzen leise hervor; was dabei leiden oder thun heissen kann, wer wollte es ihm absehn?" (Besprechung von Karl Lachmanns Schrift über die ürsprüngliche Gestalt des Gedichtes von der Nibelungen Noth, Kl. Schr. IV p. 92).

2) Sic H. Steinthal v. d. (Zeitschr. für Völkerpsychologie V p. 7) „Der Stoff gehört allen. Stil, Redewendungen, Metrum, Compositionsweise, alles was ein Gedicht ausmacht ist Gemeingut" et (l.l. p. 9) „In der Volksdichtung singt jeder da weiter, wo der Andre aufgehört hat, wie der Andre es gethan hätte, weil er auch begonnen hätte wie dieser", et (l l. p. 21) „Der Gesammtgeist legt in den Stoff mit neuschaffender That den fruchttragenden Keim" et (l.l. p. 27) „Er (der Gesammtgeist) schafft die Idee für die grosse organische Epik" et (l.l. p. 33) „So darf es nur nöthig erscheinen das jedesmal ein Einzelner, dem es weiter keine besondere Mühe macht, nur den Mund zur Mittheilungen dessen aufthut was die Uebrigen alle ebenso vortragen können" et (l.l. VII p. 74) „Die Sage schafft nicht die Einheit, wohl aber die *gesungene* Sage. Die Einheit der Odyssee wie die der Ilias sind die Schöpfung des singenden Volksgeistes". Eodem modo L. Erhardt „Die Entstehung der Homerischen Gedichte" p. XXIV.

3) Cf. Commentationem utilissimam nostratis D. C. Hesselink v. cl. in Bibliotheca „de Gids" 1913 IV p. 59 sqq. cui titulus „Heldendicht en Volkspoëzie".

narratiunculas excogitandi et divulgandi antiquis praesertim temporibus ansam dedisse ritus sacros quorum vim vetustas obscurasset, sepulchra vel alia monumenta quae quibus extructa essent memoria excidisset, ipsa nomina quae superessent hominum mortuorum olim celebrium sed iam dudum iacentium in oblivione, denique res gestas longa die non prorsus oblitteratas. At has non latius percrebescere sed adhaerere solo quod eas tulisset, nisi forte eiusmodi narratiuncula abiret in fabellam demtis nominibus propriis ita ut universe ageretur de rege qui olim regnasset, de virgine quae olim floruisset, de urbe alicubi sita. Dandum esse apologos et fabellas sive e narratiunculis ortas, sive alias quaslibet, praecipue iocosas, sine forma poëtica ab hominibus e plebe inveniri et totius nationis quodammodo proprium fieri; attamen propter ἀνωνυμίαν suam ne haec quidem posse pro fundamento esse poësis epicae quippe quae nominibus propriis carere non possit. Accedere quod inauditum sit per fabulatores pedestri utentes oratione, fabellas narratiunculas apologos ita coniungi ut inde maioris ambitus sive mythorum sive fabularum argumenta concrescant [1]). Quod si ita est ne Drerupio v. cl. adstipulandum videtur, qui quamvis non neget poëmatis magnis qualia sunt Ilias et Odyssea pro fontibus fuisse carmina antiquiora quorum auctores arte poëtica eruditi essent, minus recte praemittit exordia poësis epicae facta esse „a natione tota", quippe cum „tota natio" ἐπεισοδίοις numerosis ἐκ τοῦ παραχρῆμα conditis tractaret materiem poëticam quae contineretur rebus gestis proxime praeteritis [2]). Contra contendendum erit carmina etiam antiquissima et simplicissima quae singulorum deorum vel hominum singulas res gestas pro argumento haberent non condi potuisse nisi a paucis hominibus si nationem totam spectas, singularibus praeditis ingenii dotibus, neque materiem quam tractarent pro magna parte nedum solam fuisse res gestas praeteritas, sed cantores illos suas edidisse φαντασίας excitatas eisdem rebus atque narratiunculas fabulatorum qui pedestri uterentur sermone, nominibus numinum et hominum, monu-

---

1) De tota re egregie egit Kroll v. cl. Neue Jährb. für das klass. Alterthum 1912 XXIX p. 163 sqq.

2) „Homer" Erste Abth., dritter Abschn.

mentis artis, sacris ritibus vetustis, tum etiam rebus gestis praeteritis, neque non ipsis narratiuncnlis et fabellis. Minime huic sententiae repugnant ea quae Drerup ut causam suam tueatur e diversarum affert nationum carminibus. Dandum autem haud dubie antiquissima carmina pepigisse ἐκ τοῦ παραχρῆμα cantores αὐτοδιδάκτους qui imprimis e principum numero existerent quemadmodum Achilles ab Homero narratur (I 189) cecinisse κλέα ἀνδρῶν; mox vero extitisse δημιούργους qui arte sua poëtica victum sibi quaererent et toti in ea magis magisque eam excolerent, carminum iam extantium ope uberiora argumenta invenirent, metra artificiosiora adhiberent unde existeret hexameter qui dicitur dactylicus; denique cum longi temporis decursu diversarum regionum cantores singuli ceterorum opera cognovissent componi coepta esse poëmata maioris ambitus quales sunt nuclei Iliadis et Odysseae. Fert igitur ratio ut quibuscunque locis Iliadis auctores apparet hausisse e fontibus antiquioribus, cogitemus de carminibus, idque eo magis quo clarius sit pleraque quae ex fontibus hausta inveniantur eiusmodi esse ut a natura narratiuncularum fabellarum apologorum abhorreant, poësin epicam quasi sapiant.

At vero quamvis haec ita sint nihil vetat credere non tantum antiquiores poëtas etiam ea quae pedestri oratione narrata extarent in usum suum convertisse, sed ipsos quoque Iliadis auctores eadem materia nonnumquam sine carminum interventu abusos esse. Unde sequi videtur ut inter Iliadis fontes non carmina solum sed etiam narratiunculae, talia, referenda et indaganda sint. Quod tamen non dubitavimus negligere. Nam quamquam minime nos fugit vix aliter posse quin nonnulla quae antiquis carminibus assignavimus melius illo modo explicentur et forsitan veri similiter non nulla eiusmodi indicare liceat, ut ne multa afferam ubi memoratur σῆμα Μυρίνης (B 813), vel τύμβος Ϝίλου Δαρδανίδαο παλαιοῦ δημογέροντος (Λ 571 sqq.), vel ubi νύμφη Ἀβαρβαρέη dicitur peperisse Aesopum et Pedasum (Z 22), νύμφη Γυγαίη in lucem edidisse Iphitionem (Υ 384 sqq.) vel ubi Amisodarus narratur eduxisse Chimaeram (Π 328), tamen certa indicia nulla prodeunt quibus dignoscas quid et quantum ab Homero ex fonte aliquo haustum antiquis carminibus sit denegandum; et quoniam hoc quidquid id est si rem universe

spectas, neque multum esse potest, neque ullius momenti ad γένεσιν fabulae Troianae adumbrandam, maluimus agere quasi nihil esset, et cuncta quae ad Iliadis fontes pertinerent, ad sola referre carmina.

Superest ut rogetur utrum materiem tantum et argumenta antiquorum carminum an integros quoque versus vel maiora etiam quasi fragmenta carminum usurpaverint Iliadis auctores. Utrumque autem usu venisse videtur. Ut ex carminibus antiquissimis quae essent de bello Troiano, quae proelio apud naves, Aiacis cum Hectore certaminibus, Patrocli morte in Iliade enarratis pro fundamento fuerunt, vix unum versum integrum transsumtum esse puto. Atque sic quoque quaecumque Achillis res gestae in Iliade leguntur ex antiquis fontibus haustae, in his commemorandis illius poëmatis auctores nonnisi aut tetigisse aut, ubi fusius agerent, prorsus tamen reformasse videntur antiquorum carminum materiem. Quod consentaneum erat, quo antiquiores adhiberentur fontes eo magis obstare èt metrum — neque enim Iliadis numeros elaboratos eosdem fuisse abinde exordiis poësis epicae supra monuimus — èt sermonem — Ionum enim dialectum a Boeotorum et Thessalorum diversam fuisse nemo nescit — ne qua de verbo exprimerentur. Tamen in Aeneae et Achillis certamine, in Ἕκτορος καὶ Ἀνδρομάχης ὁμιλίᾳ, in Thetidis querelis (quas initio ad filii mortem pertinuisse ostendimus) [1]) nescio quomodo nobis videmur — nam quis sustineat talem rem arithmeticorum, ut dicunt, ratione demonstrare? — hic illic verba et sententias ex archetypis transsumtis deprehendere. Sed etiam quae e Dorum carminibus de Hercule de Tlepolemo de Idomeneo conditis in Iliadem recepta sunt, de his non aliter iudicandum videtur quam de illis quae e carminibus Boeotorum et Thessalorum tantummodo rursus paucis aliquibus locis exceptis, ut ubi fratres gemini Mors et Somnus narrantur Sarpedonis corpus in patriam referre, vix potes quin totum locum eo pertinentem abinde Iovis colloquio cum uxore (Π 432 sqq.) imitatum censeas e carmine principali quo Sarpedonis mors ageretur [2]), et ubi pingitur Idomeneus arma induens et pro-

1) Supra p. 79 sq.

2) Initio hanc pertinuisse ad certamen cum Tlepolemo demonstravimus supra p. 247. Quod si recte vidimus vss. Π 448 sqq. fonti denegandi sunt.

grediens in aciem (N 240 sqq.) ipsa imaginis gravitas ad contextum narrationis minus quadrans retenta esse videtur ex antiquo carmine. Tum quae de Herculis servitio Iliadi inserta sunt, cum obiter maximam partem iis tangantur argumenta carminum unde sunt hausta, tamen fieri potest ut Iovis iusiurandum quo filio nondum nato primarium locum inter suos praestare sibi videtur, et Iunonis responsum (T 161 sqq.) e fonte expressa sint. Porro is qui Δολωνείαν nec non qui Διομήδους ἀριστείαν Iliadi inseruit, res non verba exempli sui reddidit easque non leviter mutatas. Etiam e bellis Thebanis, e Nestoris in patria rebus gestis, ex eventis pertinentibus ad Meleagrum, quae in Iliade commemorantur strictim e fontibus concepta esse patet. Helenae Troiam asportatio tangitur tantum, item Menelai et Ulixis legatio ad eam resposcendam, Troianorum concilium cum hac coniunctum paucis adumbratur quod non potest quin in fontibus copiosius pertractatum sit. Verum de Menelai et Paridis certamine, de Agamemnonis consilio domum redeundi, de eiusdem ἀριστείᾳ et vulneratione paulo aliter iudicandum videtur. Quae in certamine, si recte censuimus pro fonte fuisse carmen quo Helena sine sua culpa rapta fingeretur, ad Veneris dona auxiliumque deae Paridi latum pertinent, inventa esse necesse est ab eo qui Iliadi inseruit. Atque in Διαπείρᾳ omnia ea quibus in Iliade res ita proponitur ut Agamemnon ficte loqui credatur, manifesto fonti deneganda sunt. Ἀριστείας introitum qualem eum nunc habemus, exordium volo libri Iliadis Λ satis recenti origine esse posthac demonstrabo. Sed ceteras partes trium illorum ἐπεισοδίων animum attendentem vix fugere poterit manus reddere eorum qui primi ea animo conceperint, utque aedificii exemplo utar, e lapidibus redivivis compositas esse. Neque re vera quidquam prohibebat carmen aliquod quod iam sua laude floreret si forte quadraret ad maioris poëmatis contextum totum vel paene totum in eum adhibere, neque aliter poterant auditores nisi delectari cum cernerent eius modi carminis dignitatem augeri eo quod inserviret novo et ampliori proposito.

II. DE ILIADIS COMPOSITIONE.

a. *De Achilleïdis argumento.*

Fabulae Troianae materies sescentorum poëtarum ope, id quod in superioribus demonstravimus, coacervata, cum uberrima et diversissima iam facta esset, en extitit ille vates qui maius coeptum ausus quam quisquam eorum quorum studiis coniunctis illa debebatur, poëma instituit, cuius argumentum ad illam pertinens ita componeret, ut narratio quasi in nodo haereret quo expedito ad finem festinaret. Nodum dico rixam regum Agamemnonis et Achillis, perspicuum enim est poëtam qui eiusmodi eam confingeret ut inde oreretur saeva Achillis ira et calamitas Graecorum necessario ex hac consecutura, difficultatem quandam sibi contraxisse narrationem ad probabilem eventum perducendi, in qua difficultate superanda tanquam in cardine versari Iliadem totam. Verum poëtam nostrum non pro auctore habendum esse totius Iliadis, sed poëmatis alicuius quod quasi nucleus ei insit, cui Achilleïdi vel Achillis Irae nomen convenienter detur èt saepius in superioribus significavimus èt nunc demonstrandum nobis est. Nomine autem Homero quamquam nihil vetat cunctos complecti Iliadis auctores, quod identidem èt fecimus èt in sequentibus faciemus, praecipuo tamen sensu non veremur vocare Irae Cantorem, nihil curantes quo nomine hunc parentes et aequales vocaverint.

Iamvero hic forsitan roget aliquis, quo iure contendamus Irae Cantorem ex omnibus auctoribus fabulae Troianae primum fuisse qui implicatiorem rationem illam carminis condendi secutus fuerit; quidni artificiosioris illius generis carmina fuisse potuerint in numero eorum quae demonstravimus Iliadi pro fontibus fuisse. Audio, neque ignoro nonnullos adeo voluisse viros doctos, in Iliadem receptas esse partes poëmatum eiusdem generis et ambitus atque ipsam. At huius rei neque levissimum quidem vestigium in ea deprehenditur, et subabsurdum videtur eo pacto Iliadem esse compositam, ut aliorum non minoris dignitatis poëmatum quasi panni ei insererentur, quod vix dictu opus est prorsus aliud quid esse quam breviorum carminum argumenta sive aliis sive partim suis verbis expressa, in maiore contextu adhibere; illud enim est expilare et destruere, hoc modo nihil destruitur sed coniunctione accedit decus. Nullum autem apud Graecos carmen, non modo quod pertineat ad bellum Troianum sed omnino nullum quaequae fuit materies pertractata, ante Homeri aetatem conditum esse arte illa qua Achilleïdem insignitam diximus, pro documento est ipsum hoc, quod nullum reliquum est. Etenim talem illius rei novitatem fuisse apparet, simplicitatem si comparas argumentorum quam vestigia produnt vetustiorum carminum, atque talis est ingenii praestantia qua opus fuerit inventori novae rei, ut vix ac ne vix quidem credibile sit, nullum ad nos pervenisse notionem poëmatis quo primo exhiberetur. Denique etiamsi forte quis censeat non satis eam rem constare, tamen dabit licere nobis negligere si quod poëma extitisse prorsus lateat. Quamobrem fidenter hoc saltem nobis statuendum est, quantum sciamus per Achilleïdis natalem novum iniri epicae Graecorum poëseos saeculum et quasi aeram, quam Homericam recte dixeris. Quo etiam hoc pertinet. Ex Achilleïde enim extitisse Iliadem cum a diversis poëtis diversis additamentis illa augeretur èt saepius iam monuimus èt in sequentibus apparebit. At vero ut eius modi amplificatio ante Homeri aetatem non usu venerit, sed novi poëseos epicae saeculi proprium sit, ipsa fert ratio. Quid enim? Simpliciora carmina vetusta vix erat cur potius dilatarentur quam eorum numerus multiplicaretur si de eadem materie plura homines cuperent audire. Sed cum primum conditum est poëma argumento effabre elaborato, fieri

non potuit quin vulgo poëtae èt impares se esse sentirent labori condendi alterum aliquod eiusdem generis èt tamen gravarentur reverti ad genus simplicius, unde sponte sequebatur ut propensi essent ad operam dandam illi poëmati amplificando.

Ceterum si quis perhibebit ex his sequi ut Ilias dicenda sit e compluribus quasi membris constare aedis Aegyptiae instar ad quam aedificandam continua conspiraverint hominum genera, nullo modo obloquemur, si vero contendet sequi ut verum integrumque poëma sic esse nequeat, ut qui maxime refragabimur, non aliter ac si quis neget, aedem, qualem diximus, verum integrumque aedificium esse. Cohaerentia enim ne perfringeretur, suo loco videbimus addimentorum auctoribus summae curae fuisse, idque studium si rem universe spectes mirum quantum iis cessisse. Atque fac, id quod nunc utrum ita se habeat necne nondum quaerimus, at fac post alios qui poëmati principali multa addidissent, extitisse aliquem, qui suam operam in poëmate dilatando navaturus, sibi censeret mutanda esse nonnulla eorum, quae illi inseruissent, alia suo loco movenda et in alium locum transponenda, nucleum ipsum quodammodo reformandum, qui igitur iure διασκευαστής appellaretur, ne sic quidem laus veri poëmatis Iliadi abiudicanda est, dummodo apparuerit eam sic quoque uno contineri argumento cohaerenti. Si vero quis opinetur ea ratione pro vero poëmatis auctore habendum esse eum quem διασκευαστήν diximus, quippe qui partes quas membra vocavimus in hanc formam coniunxerit quam deinde poëma retinuerit, ne id quidem dandum videtur. Illa enim si nullo vinculo inter se iuncta essent antequam διασκευαστής novam formam inveniret — quae sane si res ita se haberet non dicenda esset *nova* forma, sed forma ipsa, nihil amplius — huic deberetur cohaerentia argumenti, hic igitur vere poëmatis auctor diceretur; ita autem res se haberet si ipsa ea carmina quae Iliadi pro fontibus fuisse demonstravimus, simul, quemadmodum voluit Lachmann, eius partes essent, atque ex his διασκευαστής — id quod aliis placuit non Lachmannio cui persuasum erat argumentum totamque Iliadis materiem omnibus cognitam fuisse, antequam ea carmina condi coepta essent, qua in sententia διασκευαστής nullo loco esse potuit — ex antiquis igitur carminibus, quae suis pilis starent, si διασκευαστής unum poëma, quod in uno

versaretur argumento conformasset. Sed èt probe distinguendum est inter Iliadis fontes et partes — quid? complura ex his, Τειχοσκοπίαν, Τειχομαχίαν, Θεομαχίαν, Ἆθλα ἐπὶ Πατρόκλῳ alia, in superioribus nobis statuendum videbatur e nullis hausta antiquis carminibus deberi ingenio fertili eorum qui Iliadi inseruerint, omnino autem hoc constat alios poëtas condidisse carmina quae Iliadi pro fontibus fuerint, alios partim his fontibus usos partim nullis ex fontibus haurientes Iliadis moli extruendae operam dedisse — èt ex Iliadis elementis uno illo quod eius nucleum diximus in quo tota Ilias versatur, ob ipsam hanc causam continetur cohaerentia. Unde sequitur ut nihil sit cur διασκευαστήν illum potissimum Iliadis auctorem appellemus; est ille unus ex eius auctoribus, principalis autem auctor est Irae Cantor. Ceterum cum tamen latere non possit quantum differant multorum coniuncta studia ab unius eiusdemque incepto, mirum non est Iliadis cohaerentiam neque desiderari neque perfectissimam esse. Ipsa autem hac rei natura ambigua factum esse videtur ut viri docti qui egerint de quaestione Homerica, quae dicitur, in duo castra discesserint, cum alteri unice intuentes cohaerentiam ubique conspicuam discrepantias minoris facerent, alteri his moti vehementius illam dilui et dissolvi putarent. Hos non nego nonnumquam iusto severius iudicasse, illos puto in deminuendis repugnantiis saepius egisse nimis subtiliter.

Recte fere C. Rothe v. cl. negat [1]) e sermone quidquam effici posse quo diversi probentur auctores Iliadis. Dandum videtur Iliadis rationem neque quae ad etymologiam, neque quae ad syntaxin quas dicunt pertineat certi quidquam prodere unde partes Iliadis vetustiores et recentioras dignoscas, cumque haud dubie aliae partes alias ostendant elocutionis proprietates — ut vox Παναχαιοί ter in uno libro Η [2]) nonnisi quater per ceteram occurrit Iliadem [3]), ut Patroclum alloquitur poëta quater in libro Π [4]), neminem alium per totam Iliadem nisi bis Menelaum in libro Γ [5]), ut vox ὀρέγεσθαι nusquam alibi, sed bis in libro Π valet οὐτάζειν idque deinceps in duobus diversis certaminibus

1) l.l. p. 14 sqq. 2) Η 73, 159, 327.
3) Β 404, Κ 1, Τ 193, Ψ 226.
4) Π 693, 754, 787. 5) Γ 127, 146.

ibi descriptis [1]), utroque autem loco et coniuncta est cum voce φθάνειν et vicinam habet vocem μυχόν quae ceteroquin apud Homerum non legitur — quantum eiusmodi sit quod debeatur carminibus quae pro fontibus fuerint, statui non potest. Tamen auctoribus nonnullarum Iliadis partium ut librorum Υ—Ω, perlegentem vix fugere potest, sermonem epicum temporis decursu rigidiorem factum, ad mentem clare enuntiandam non prorsus suffecisse [2]), quae res manifesto ad naturam fontium non pertinet. Sed rectissime Rothe monet de formulis crebro recurrentibus, de versibus versuumque fasciculis identidem repetitis, de comparationibus eisdem plus semel adhibitis, immerito multos viros doctos ita iudicasse, ut censerent quibus locis illa minus placere viderentur, hos imitatos esse ex iis ubi magis placerent. Nimirum ex his quoque quantum diversis locis ex eisdem carminibus antiquis transsumtum sit quis dicat? Neque incredibile eundem poëtam eadem repetivisse, cum paratam habere copiam formularum, comparationum, descriptionum aut non aut leviter variatarum quae usque quaque adhibeantur, ipsius artis sit epicae [3]). Postremo non omnes discrepantias et repugnantias cogimur di-

1) Π 314, 322.

2) „Allmählich erliegt die Dichtung dem Schicksal jeder Kunstübung. .... Die Kraft des Sängers ist erlähmt. Er hat den Kopf so voll auswendig gelernter Verse und Wendungen dass er nicht mehr im Stande ist die Form frei zu beherrschen.... In Gedichten wie Υ—Ω tritt uns die spätere Manier sehr anschaulich entgegen, doch hat auch diese Zeit noch so schöne Gedichte wie Ω hervorgebracht" Ed. Meyer Gesch. des Alterth. II p. 405.

3) „Eins hat die eingehende Untersuchung der Wiederholungen bei Homer ganz klar erwiesen, dasz es vor Homer schon ein reichlich ausgebildetes Versgut gegeben hat, das jeder Dichter unbedenklich entweder wörtlich oder mit geringen Veränderungen benutzte. Es bestand dies nicht nur in Formelversen sondern auch in Schilderungen aller Art. Auf- und Untergang der Sonne, Ankunft, Fahrt, Landung der Schiffe, Opferhandlungen, Mahlzeiten, Zusammenberufungen des Volkes zur Versammlung, Kampfesscenen nicht nur, sondern auch Liebe und Hasz, Schiltworte und Lobsprüche und vieles andere waren lange vor Homer in bestimmte Ausdrücke und Verse geprägt worden" l.l. p. 45 „Wie heute noch Volksredner, die das Fassungsvermögen der Zuhörer richtig beurteilen häufig den selben Gedanken mehr oder minder wörtlich wiederholen und damit dem Zuhörer ein Ausruhen und Nachlassen in der gespannen Aufmerksamkeit gestatten, so habe auch der Dichter durch die Formelverse und zahlreiche Wiederholungen aller Art (Beiwörter, erklärende Zusätze u. s. w.) gleichsam Ruhepüncte für die Zuhörer geschaffen, die ein Nachlassen der Spannung ermöglichen" l.l. p. 23 sq.

versitati Iliadis auctorum tribuere, ut ubi proponuntur alii heroës armatura induti vetustiore alii minus vetusta, eidem heroës nunc loricati nunc tunicati, qua ex re frustra tentavit C. Robert [1]) v. cl. quasi normam efficere ad diudicandum non tantum quae Iliadis partes diversis tribuendae essent auctoribus, sed etiam qui ex his antiquiores qui recentiores essent habendi. Contra eiusmodi discrepantiae etiam inde oriri poterant quod idem poëta ex diversis carminibus èt vetustioribus èt minus vetustis hausisset fugissetque eum minus apte haec a se iungi, aut pristina illorum fontium existimatio quae eum adduxisset ut eis uteretur, simul deterreret ne quidquam mutaret. Nihilominus huic rationi explicandi iunctiones inconcinnas aliquis modus statuendus est; sunt quae ita discordent ut in uno poëta ferri nequeant. Ubi Iuppiter post Paridis et Menelai certamen singulare considerandum esse ait placeatne foedus factum permanere, manifesto nisi iocaretur in dubium veniret eius promissum Thetidi datum. Iunonem hoc latere miramur sed ferimus cum credibile sit poëtam voluisse eam occaecari odio in Troianos. Etiam quod ei suscenset maritus, nihil moramur cum liceat credere poëtam voluisse Iovem propter odii atrocitatem non quia bellum illa optaret ei stomachari. Sed qui fieri potest ut qui Iovem finxerit paulo ante Thetidem alloquentem (A 508) *ἦ δὴ λοίγια ϝέργ' ὅ τε μ' ἐχθοδοπῆσαι ἐφήσεισ Ἥρῃ ὅτ' ἂν μ' ἐρέθῃσι ὀνειδείοισι ϝέπεσσι* et nihil magis curantem quam ut uxoris iram evitet, unus idemque sit poëta qui eum fingat iam ultro eam ad iram lacessentem [2])? Cum praesertim luce clarius sit hoc non ex antiquo fonte haustum esse. Aliud afferam. Plurima quae in Iliade narrentur non decimo verum primo belli anno acta proponi nemo monitus infitiabitur [3]). At in *Διαπείρᾳ* ut hanc solam afferam, decimus belli annus fingitur, quod demonstravimus frustra a nonnullis viris doctis interpolatori iniungi [4]). Minime igitur cum Rothio faciendum puto ubi negat in Iliade ullas inveniri repugnantias quales non legantur apud scriptores

---

1) Studien zur Ilias.

2) Perperam Rothe l.l. p. 60: „völlig gleich bleibt sich z. b. Zeus in Verhältniss zu Here".

3) Vide infra p. 181 sq.

4) p. 112 sq.

nostrorum temporum [1]), vel cum Muelldero contendenti nisi vulgo Homerus sine causa pro poëta perfecto haberetur, nullam vim habituras repugnantias in Iliade obvias ad arguendos auctores diversos. Atque si iam constat partes Iliadis non exiguas diversis deberi auctoribus, sequitur ut in quaque re, etiam ubi eiusmodi discrepantias offendamus quae non absurdum sit incuriae aut fontium naturae assignare perpendendum videatur utrum hoc veri similius sit an auctorum diversitas. Quod autem nonnulli viri docti voluerunt, interdum Homero scienti et volenti inconcinna fuisse proferenda quo assequeretur eam stili claritatem et lucem propter quam ab omnibus laudetur, magnopere cavendum puto ne ei tribuamus rationem quaesitam et putidam quam perperam vocemus artificiosam et pulchram. Fuerunt adeo inter viros doctos, qui normas quasdam constituerent ad quas referri posse censerent nonnihil quod per se spectatum offenderet, id scilicet agentes ut desineremus offendi reputantes poëtae moris id esse. Sed eos fugit eam ratiocinationem in circulo quod dicitur versari. Nam morem illum nullo iure constituerunt nisi ante constitit unum esse auctorem totius Iliadis.

Achilles ab Agamemnone gravi iniuria affectus a matre petit Iovem precibus adeat, qui Troianis opituletur, Graecos opprimat ut omnes regem experiantur et Atrei filius dementiam suam agnoscat; Thetis deum summum orat ut Troianis vires addat quoad Graeci filium suum honore augeant; Iuppiter invitus annuit; Graeci plectuntur. Deinde Agamemnonis legati Achilli nuntiant regem virginem ereptam redditurum esse, donis et pollicitationibus regis verbis eum onerant dum ira desistat; obtestantur ut si minus Agamemnonis, tamen popularium eum misereat; firmissime asseverant omnes Graecos eum dei instar honoraturos esse; nihil proficiunt ad placandum iuvenem iratum; Graeci alteram et graviorem accipiunt cladem Agamemnone ipso vulnerato.

Inesse his dicas quae inter se pugnent. Nam primum quidem hoc absonum esse Achillem, cum id impetrasset quod pro eo mater a Iove rogasset, saevum manere et inexorabilem quamvis

1) l.l. p. 53 sqq.

illa rogando ut Iuppiter hostes adiuvaret *quoad* Graeci filium honoraturi essent, satis clare significasset hoc filium satis habiturum. Tum minime convenire Iovem nocere Graecis *ultra* quam se eis nociturum *gravate* annuisset, neque tamen alteram cladem acceptam *postquam* paratos se ostendissent Achillem honorare, eis illatam esse *reluctante* Iove vel *dormiente* sed *volente* et *iubente*, id quod doceant Iris ad Hectorem missa (Λ 185 sqq.) et Patroclus ab ipso Olympio incitatus ut in perniciem ruat, poëta ultro monente Iovis consilium plus valere quam hominum (Π 683 sqq.).

Contra contendunt neque Iovi neque Achilli tribui quae inter se discordent. Nam probe distinguenda esse quae a Iove petenda *mandasset* matri Achilles, et quae revera haec petivisset; non hoc *mandasse* petendum ut opprimerentur Graeci *quoad se honorarent*, sed ut opprimerentur nihil amplius, his tantum verbis additis „ut Agamemnon culpam suam agnoscat" unde nullo modo sequatur ut poëta voluerit *Achillem placatum fore sicubi rex mentem mutasset*; Iovi autem, quamvis per Achillem ipsum staret quominus eum Graeci honore afficerent, tamen quoniam hoc infectum mansisset, prae promisso Thetidi dato integrum non fuisse ut manum Hectori et Troianis detraheret, neque tamen comprobasse Achillis pervicaciam idque ut ostenderet illorum victoriam in ipsius detrimentum vertisse Patrocli clade. En, inquiunt nostri, vide quam apte omnia quadrare appareat dummodo studeas poëtae artem perspicere neve inconsulte reprehendas quae non satis perpenderis.

Mitto quod ei qui haec argumentantur Achillem magis puerum iracundum et protervum sibi fingunt quam virum seria agentem, aliter quam a poëta fit cum eum proponit Iunonis hortatu contionem advocantem ut pesti occurratur, vel Minervae iussu sibi temperantem ne manus iniciat Agamemnoni, vel praecones comiter excipientem missos ad Briseïdem abducendam, aliter etiam quam poëta auctore ab ipsa fit matre, quippe quam pateat non dubitare quin filius satis factum sibi esse censuerit sicubi Graeci ante omnes Agamemnon parati inveniantur ad eum revocandum in honorem; mitto quod nullo modo indicat poëta Thetidem filio inscio id a Iove petivisse quod illi si scivisset non placuisset, neque ullo verbo significat Iovem graviter ferre Achillis contumaciam; mitto haec omnia, quamvis quaesite mihi

videantur disputare qui poëtae mentem ita explicent ut discrepantias quas dixi nullas esse arguant; ultro moneo haud dubie in Iliadis fontibus iam adfuisse Agamemnonis vulnerationem, Iovem Idaeum Hectoris tutorem, Patrocli res gestas et exitium, mitto quod nihil prohibuit Irae Cantorem his uti, non ut in Iliade fit in altera, sed in priore Graecorum clade proponenda; nolim poëmatis rationem criminari propter causas non gravissimas. Sed hoc rogo: spretis Achilles verbis supplicibus legatorum, quid sibi proposuit quo adduci posset ut in aciem rediret? Ex iis autem quae legatis respondit video, inter haec duo eius animum fluctuasse: aut nihil amplius expectare, sed utique in patriam reverti (I 356 sqq.), aut expectare dum hostes sua tentoria suas naves invaderent, tum surrecturum ad vim defendendam (I 550 sqq. cf. 618 sqq.). Haec intelligere mihi videor, sed ubi deinde cognosco quid postero die iactet Patroclum allocutus (Λ 608 sqq.), res prorsus alia fit. Ibi enim hanc rumpit vocem: *νῦν οἴω περὶ γούνατ' ἐμὰ στήσεσθαι Ἀχαιοὺς λισσομένους, χρειὼ γὰρ ἱκάνεται οὐκέτ' ἀνεκτός*, quod post diei proxime superioris legationem absurdum est. An significat demissius Graecos sibi supplicaturos esse quam supplicaverint? Quod aut ne potuit quidem nam principes nobilissimi Aiax Ulixes Phoenix nominatim oraverant ut si minus Agamemnonis, commilitonum tamen eum misereret, omnes inter deos eum honoraturos esse (I 300 sqq.), aut, si ad litteram est accipiendum illud „*περὶ γούνατα στήσεσθαι*", furiosi tyranni erat gaudio exsultare quod eidem quorum humiles preces sprevisset, necessitate coacti ad eius pedes procubituri essent [1]). Fac autem hoc ferendum esse, id quod nego, at fac ferendum

1) vLeeuwen Mnem. 1910 p. 377 (Comm. Hom. p. 25) Achillis verba sic interpretatur: „cuncti mox Achivi ad pedes meos provolventur; non regis legati soli per silentium nocturnum in tabernaculum me sunt adituri, sed totus exercitus supplex circumfusus a me opem petet". Non video quo iure legatos et totum exercitum, noctem et diem inter se opponat vir clarissimus. Neque enim nostro loco legitur *πάντες Ἀχαιοί* sed nude *Ἀχαιοί*, principes autem qui legatorum loco Achillem adierant pro toto exercitu verba fecerant, quod non obscure ex iis significavit Aiax (I 640 sqq.) cum diceret *ὑπωρόφιοι δέ τοί ἐσμεν πληθέος ἐκ Δαναῶν*. Neque minus clare id indicaverunt Ulixis et Phoenicis verba: „si minus Agamemnonis, at tamen Graecorum ceterorum omnium te misereat qui te inter deos honorabunt" (I 300, 603). Hoc autem si tenetur, etiam discrimen noctis et diei quod ne commemorat quidem poëta, pro nihilo habendum videtur.

esse, quid quod paucis horis praeterlapsis eundem Achillem Patroclo dicentem audimus (Π 70 sqq.), se hostes in fugam conversurum fuisse dummodo Agamemnon placato in se animo esset? quid quod pergit (vs. 83 sqq.) „tu mi Patrocle obtempera meis dictis, gloriam et honorem mihi para ut Briseïdem mihi reddant Graeci et augeant me muneribus"? Minime ignoro quid et quantum moliti sint complures viri docti qui omnia potiora ducerent quam ut Homerus non unus esset, ad dicta haec interpretanda quomodo viderentur eidem poëtae tribui posse ac legationem. Sed nulla opus est interpretatione, ea quae nostro loco leguntur per se clara ac perspicua sunt; accommodare ea velle ad Achillis cum legatis colloquium, si quid est hoc est ἀσυγκλωστὰ συγκλώθειν velle. Fingere non potuit, inquam, poëta mediocriter sanus ullum hominem non mente captum, amplissima satisfactione detrectata, die post negantem sibi benignum esse qui illam proposuisset sibi; repudiata virgine dilecta cum sibi offerretur, die post exclamantem: „utinam Briseïs mihi reddatur". Quod quam conspicuum sit luculentissime ostenderunt qui acerrime uni auctori totam Iliadem vindicare studuerunt, Nitsch v. cl. cum aut vss. Π 47—79 delendos censeret [1]) et vs. 73 pro ἤπια: ἄρτια legendum, aut eiciendos vss. 69—73, quo invento tamen nihil iuvamur propter vss. 83 sqq.; Agnes M. Clerke [2]) et C. Rothe [3]) cum Πατροκλείαν Homeri a rhapsodis deformatam esse vellent, quod neminem latet vix futurum fuisse ut eos subiret nisi male eos habuissent Achillis verba de quibus agimus [4]). Ne ita quidem rem expedire licet, ut sumamus Homero in his pro fontibus fuisse duo carmina quorum altero legatio frustra ad Achillem missa, altero eius colloquium cum Patroclo ageretur. Nam ea carmina si extitissent, manifesto condita essent a cantoribus quibus poëma aliquod quo tractaretur Achillis ira esset cognitum; at vero de hoc ipso agimus poë-

1) Die Sagenpoesie der Griechen p. 48.

2) Familiar Studies in Hom. 1893.

3) Die Ilias als Dichtung p. 281.

4) Optime intellegens Rothe suspicione de rhapsodis nemini se persuasurum si ad solos vss. 72 sqq. 83 sqq. eam referret, cunctos versus 69—79 84—90 sibi displicere ait. Sed nihil in iis est, quod per se spectatum iure reprehendas; contra iis omissis verba ἀλλά (vs. 80) et μηδέ (vs. 90) mire frigent.

mate in quo Iliadis argumentum vel saltem argumenti cardo consistit neque igitur inter eius fontes haberi potest, sed cuius auctor ipse Homerus est, si quidem Irae Cantor i. e. verus Homerus is est qui primus Achillis iram cantavit. Ab hoc igitur poëmate aperte confiteamur aut Πρεσβείαν abiudicandam esse aut Πατροκλείαν simul cum Achillis verbis de clade Graecorum exsultantis, quae cum illa manifesto cohaerent. Atque eo facilius hoc feremus quia iam in superioribus nobis apparuit, etiamsi discedas a controversia quam nunc tractamus, inveniri in Iliade quae prohibeant totam Irae Cantori tribuere.

Qui autem viri docti post Wolfium et Lachmannium inquirentes de compositione Iliadis, negaverunt fieri posse ut Πρεσβεία et Πατροκλεία eundem auctorem habuerint, tantum non omnes Irae Cantori Πατροκλείαν adscripserunt, denegaverunt Πρεσβείαν. Inter quos honoris causa nomino Naberum τὸν μακαρίτην qui docte et accurate de ea re egit in opere cui titulus „Quaestiones Homericae". Quibuscum tamen ne faciam multa me deterrent. Et primum quidem hoc quod, si Πρεσβείαν ex Iliade demimus sequitur ut Achilles permotus cupidine ulciscendi Patroclum ultro cum Agamemnone in gratiam redierit nulladum ab hoc ei satisfactione oblata. Quod voluisse poëtam et per se alienum est et repugnat crebris indiciis quae contrarium docent. Achilles mandat matri Iovis auxilium implorandum *ut Agamemnon culpam suam agnoscat*, Thetis Iovem orat ut hostibus adsit *donec Graeci suum filium in honorem restituant*, Iuppiter annuit *id sibi curae futurum.* An ullo modo credibile, poëtam haec molientem apud animum sibi proposuisse Agamemnonem peccatum *non* confessurum *ante* quam Achilles ei ignosceret, Graecos *nihil* facturos ad eum honorandum *ante* quam paratum se ostenderet in aciem redire? Minerva e coelo demissa ut a vi eum avertat „tripla etiam dona" inquit „tibi propter hanc superbiam praesto erunt". An id ita accipi voluit poëta ut Achilles *ante* placatum se praebiturus esset, *quam* haec ei offerrentur? Altero autem loco tenendum est Μηνίδοσ ἀπόρρησιν ne intelligi quidem posse nisi Πρεσβεία antecesserit, nam èt iusiurandum ad quod Ulixes Agamemnonem hortatur (T 175), quid sibi velit nescis, nisi cognoveris Briseïdem intactam reddi, idque cum Ulixe ante legationem communicavisse regem (I 132 sqq.), èt ubi afferuntur

septem tripodes quos Achilli dono daturus est Agamemnon, poëta haec verba addit „quos illi promisit", quod promissum regis verbis legati significaverant Achilli (I 264 sqq.). Itaque si Πρεσβεία resecatur Μήνιδοσ ἀπόρρησισ quoque reicienda est *neque ulla omnino satisfactio Achilli ab Agamemnone obvenit.* Ab altera parte mors Patrocli in Μήνιδοσ ἀπορρήσει vix commemoratur, idque ita ut facillime credas eius mentionem additam esse postquam Πατροκλεία Iliadi inserta sit. Uno loco (T 210 sqq.) ubi *tertium* Achilles verba facit post alia paucis verbis Patroclum memorat, qui versus salvo contextu abesse possunt, sed duobus locis ubi respicere eum debuit altum agit de eo silentium. Nam ita infelicem rixae eventum lamentatus ac si cladem nullam accepisset peculiarem „Utinam" inquit (vs. 60) „Briseïdem Diana in navibus interfecisset, *non tot Graeci occidissent*" et (464) „Diu opinor dissentionem nostram meminerint Graeci, sed hoc mittamus et repellamus hostes". De Patroclo ne verbum quidem, „mittamus de clade", „hostes repellamus". Non ita loquitur quem dolor ob trucidatum amicum angit, qui ardet studio ulciscendi. Neque eum commemorat ubi denuo surgit ad dicendum (vs. 145 sqq.), imprimisque ansa dabatur commemorandi, quippe enim non alio ibi loquitur consilio, nisi ut milites incitet ad pugnandum. Praeterea de Ulixe quid dicendum? qui monens ne impransi dimicent Graeci „non est" inquit (vs. 225 sqq,) „per ventrem cur lugeamus, nimis enim multi densique cadunt, qui tandem finis inveniatur laboris? Sed sepeliamus mortuos, mens immota maneat, unum diem eos defleamus et quicunque super sumus bello cruento, cibi et potus memores simus". In universum dicta haec non sunt indigna viro strenuo atque honesto neque adeo carent vi poëtica, sed in peculiari Achillis propter Patroclum luctu inhumana sunt. Videtur igitur etiam Μήνιδοσ ἀπόρρησισ a Πατροκλεία separanda esse. Itemque Ἀγαμέμνονοσ ἀριστεία a qua initium capit Graecorum clades altera, gravissima, quae continetur libris Λ—Ο. Ne hac quidem Achilleïs carere potest, cui sive Κολὸν μάχην quoque assignas, in hac alterius cladis mentio fit ubi Iuppiter uxori minatur (Θ 470 sqq.) se proxime sequenti die etiam plures Graecorum milites perditum ire, sive Κόλον μάχην demis hoc ipso illa clade opus est. At vero huius auctor Πατροκλείαν non cognovisse videtur. Nam

Iovem inducit (Λ 191 sqq. 206 sqq.) Hectori per Iridem promittentem se sicubi Agamemnon sive hasta percussus sive sagitta, currum ascendat, vires ei additurum ad caedendos hostes donec ad naves perveniat solisque occasu tenebrae oboriantur. At in Πατροκλείᾳ invenimus Hectorem iam multo ante vesperam illius diei quo ad eum Iris missa est non sine magna suorum clade a Patroclo navibus depulsum; deinde autem cum Patroclo necato Graeci se ad castra sua recipiunt et tandem nox subit quae huic diei finem facit (Σ 239 sqq.), Hector non iterum ad naves pervenit. Fieri sane potest ut Ἀγαμέμνονος ἀριστείας auctor etiamsi Πατροκλείαν cognovisset, Iovis verba quae attulimus cum in fontibus suis invenisset — ut re vera invenisse veri similimum est — immutata transsumserit aut discrepantiam non animadvertens aut satius esse iudicans nihil mutare. Sed quamvis sic rem expedire liceat, tamen quoniam cetera quae attuli accedunt, magis in promptu est discrepantiam eo ortam esse quod Graecorum cladi in Achilleïde descriptae recentior manus addiderit Πατροκλείαν.

At, inquis, fac Irae Cantorem Πατροκλείας rationem non habuisse, qua igitur re inductum voluit Achillem redisse in aciem, si minus Patrocli ulciscendi causa? An Graecorum extremo periculo Protesilai nave iam ab Hectore incensa? Sed Achillis res gestae omnes quae deinde narrantur èt ceterae èt Ἕκτορος ἀναίρεσις ita cum Patrocli morte cohaerent et ab hac quodammodo pendent, ut necesse sit, qualia nunc ea habeamus, credantur condita esse ab eo qui Πατροκλείαν inseruerit, aut a poëtis recentioribus. Fieri sane potest ut Irae Cantor de Achillis in proelium reversi fortibus factis multa narraverit quae a recentioribus prorsus sint mutata et in novam formam redacta; sed alia rei expediendae via ostenditur probabilior. Nam in superioribus vidimus legatorum Ulixis Aiacis Phoenicis obtestationes ab Achille repudiatas aliquam molestiam habere comparatis precibus quibus Iovem pro filio Thetis adisset, cum non obscure dea significasset hoc agere Achillem ut iniuriae qua affectus esset satisfactionem impetraret, inde enim sequi ut honorificentissime oblatam non repulsurus esset. Monuimus [1]) quae-

1) Vide p. 176 sq.

sitius discrepantiam explicari ab iis qui perhiberent matrem filiumque non eadem mente fuisse, hunc voluisse hoc tantum peti ut Graeci plecterentur et Agamemnon suum peccatum agnosceret, non significasse qui modus poenae sibi sufficeret. Verum sumamus in poëmate principali exitum legationis alium fuisse atque in Iliade nostra, contigisse legatis ut Achillem placarent, post *Πρεσβείαν* continuo secutam esse *Μηνίδοσ ἀπόρρησιν*. Sic èt ea quae Achilles agit conveniunt ad ea quae mater Iovem oravit èt Iovis consilium Thetidis causa initum consummatur [1]), èt supervacuum est aliam causam quaerere cur Achilles iram posuerit. Quid et quantum mutaverit quo assequeretur eam *Πρεσβείασ* formam quam nunc habemus is qui *Πατροκλείαν* addiderit, manifestum est pro certo sciri non posse. Sed satis facile nobis apud animum proponere possumus quid, quomodo, in illa mutari satis sit ut legati redisse narrentur voti compotes. Hunc enim ad finem sufficiet in *Πρεσβείᾳ* post Achillis verba *ὡσ εἰ τιν' ἀτίμητον μετανάστην* (I 648) id ipsum inserere quod nunc post eadem verba legitur in *Πατροκλείᾳ* (Π 63—63): *ἀλλὰ τὰ μὲν προτετύχθαι ἐάσομεν· οὐδ' ἄρα πωσ ἦν ἀσπερχὲσ κεχολῶσθαι ἐνὶ φρεσίν· ἦ τοι ἔφην γε σὺ πρὶν μήνιθμον καταπαυσέμεν ἀλλ' ὅτε κεν δὴ νῆασ ἐμὰσ ἀφίκηται ἀυτή τε πτόλεμόσ τε*, deinde resectis versibus I 650—655, hoc fere substituere: *νῦν ἦ τοι μεν ἔγω παύω χόλον, ὣσ γὰρ ἄμεινον* (cf. T 67), tum eorum loco quae leguntur I 678—687 tale quid inserere: *κεῖνοσ μήνιθμον ἐθέλει σβέσαι ἠδὲ δέχεσθαι δῶρα τά ϝοι δώσεισ, νοέειν δέ ϝε θυμὸν ἀνώγει ὅππωσ κεν νῆασ σαόῃ καὶ λαὸν Ἀχαιῶν*, denique tollere vss. 691—709 et vs. 711. Ceterum suspicor etiam verba Achillis ad Ulixem (I 308—429) altera manu refecta et dilatata esse, quam suspicionem movet infinitus orationis anfractus multifariam frigentis. Ut ubi Briseïdem Achilles Helenae comparat (341 sqq.) eamque ex animo se dilexisse dicit, quod et per se minus placet et abhorret ab eius dictis ad Agamemnonem in *Μηνίδοσ ἀπορρήσει* (T 59 sq.): *τὴν ὄφελ' ἐν νήεσσι κατακτάμεν Ἄρτεμισ ἰῷ ἤματι τῷ ὅτ' ἐγὼν ἑλόμην Λύρνησσαν ὀλέσσασ*. Nec

1) Utrum hoc consilium spectetur A 5, ut recte me iudice, vulgo intellegitur, an *Διὸσ βουλή* ibi commemorata nihil aliud valeat nisi Iovis arbitrium quo multi perierint, nostra non refert.

minus offendit, quod a matre se audivisse ait duplicem sortem sibi paratam aut mortis maturae in acie aut longae vitae bellum omittenti, scilicet nec mater nec ipse de iniuria ab Agamemnone accepta colloquentes (A 352 sqq. 414 sqq.) dubitaverant quin esset μινυνθάδιοσ. Tum alienum est quod dicit Agamemnonem sine se struxisse murum et fossam, siquidem eam rem, quae narratur in libro H (337 sqq. 436 sqq.) nobis posthac apparebit in Achilleïde non actam esse. Hoc saltem constat, nihil desiderari si ceteris demtis coniunguntur vss. 307—317 344—347 356—364 378—379 388—392 421—429. Praeterea vss. 664—668 nescio quomodo, magis videntur convenire interpolatori quam Irae Cantori.

Κόλον μάχην posthac demonstrabo Achilleïdi abiudicandam esse usque ad Θ 484, nam occasum solis qui deinde commemoratur, olim secutum esse post eam Graecorum cladem quae incipitur ab Ἀγαμέμνονοσ ἀριστεία et terminatur proelio apud naves quod continetur libro O. Cum eis igitur quae leguntur sub finem libri Θ, occasum solis volo et contionem Troianorum, ab initio, ut in Iliade nostra, cohaerebat Πρεσβεία cui successit Μηνίδοσ ἀπόρρησισ. Credibile est poëma desisse in illum versum qui nunc legitur T 276 ὣσ ἄρ' ἐφώνησεν· λῦσεν δ' ἀγορὴν αἰψηρήν [1]), nam concordia redintegrata ita certum erat facile hostes repulsum iri, ut ne opus quidem esset hoc diserte enarrare, neque in carminis prooemio ulla huius rei mentio fit. Absurdum putat El. H. Meyer v. cl. [2]) poëma pangi in quo is qui primas agat partes, nihil agat; sed minime in Achilleïde nostra nihil agit Achilles quamquam nulla eius in acie facta depinguntur; quid

1) Etiam Koechly v. cl. suspicatus erat (Opusc. Philol. II 1882) priscum fuisse carmen de regum rixa in quo Agamemnonis precibus et pollicitatonibus perductus iram Achilles deposuisse narraretur (l. l. „so mag jenes alte Gedicht jedenfalls den Streit des Agamemnon und Achilleus, so wie des letzteren Zorn und traurigen Folgen, eine Niederlage durch die Troer, vielleicht auch die Versöhnung des zürnenden Helden durch eine Ehrengesandschaft und Geschenke umfasst haben"). Sed Koechly Lachmannianorum addictus disciplinae prisci huius carminis ne particulam quidem ad nos pervenisse censnit, sed ex eo tanquam fonte haurientes aliis admixtis, complures deinceps poëtas separata pepigisse carmina (l. l. „die beiden grossen Kunstwerke [Ur-Ilias und Ur-Odyssee] in einzelne Lieder aufgelöst und zerstückelt"), quae tandem Pisistratns in Iliadem nostram coniungenda curavisset.

2) Achilleïs p. 378 sqq.

autem manu valeat nobis eo indicatur quod ad eum recurrere post unius diu proelium Agamemnon coactus est; nam si putas hoc deberi peculiari auxilio quod Iuppiter hostibus ferat, neque igitur inde sequi ut utique Achillis fortitudine contra hostes careri non possit, perspicuum tamen est poëtam nisi voluisset eum communi consensu longe omnium fortissimum esse, ne potuisse quidem id ipsum de se praedicantem inducere (A 412) et ut Troiani vincerent cum pugna abstineret a Iove petentem, Iovemque annuentem; ridiculum enim fuisset. Qua autem ratione rem significavit fieri non potuit, quin altius penetraret auditorum animos quam si demonstrata esset multis exemplis, cuius generis quidquid noster addidisset heroïs imaginem non amplificasset. Quod autem in Iliade Aiax et Diomedes tales depinguntur qui contra Hectorem suffecturi fuerint nisi Achillis honorandi causa eos prohibuisset Iuppiter, ceteros locos ubi hoc appareat Achilleïdi abrogandos esse, posthac ostendemus, solos id genus locos quos Achilleïs habet, unum ubi Diomedes Hectori galeam tam vehementer hasta percutit ut in genu procumbat caligine oculis offusa (Λ 354 sqq.), alterum ubi poëta animadvertit evitasse Hectorem Aiacis manus (Λ 542) [1]), propterea minus censemus Irae Cantoris mentem reddere, quod eos transsumsisse videtur e fonte qui Achillis rationem non habuerit, carmen antiquum volo, quod 'Αγαμέμνονοσ ἀριστεία pro fundamento fuisse demonstravimus antea [2]). „At poëta non potuit" ita pergit Meyer [3]) „opus suum concludere clade popularium". Id nihil ad rem, neque enim clade sed certa spe victoriae Achilleïs concluditur.

At vero inquiunt, Achilleïdis argumentum quam angustum et tenue! Ita, si comparas Iliadis amplitudinem et ubertatem, non vero si confers cum eis carminibus quae, quantum ex Iliade colligere licet, huic pro fontibus fuerunt. Horum enim singulorum materiem uno excepto de quo mox agemus, nihil est cur credamus fuisse variam et abundantem; sed in Achilleïde aguntur res diversissimae: sacerdotis ad Graecorum naves adventum, eius colloquium cum Agamemnone, Apollinis ab eo implorati

1) Versum sequentem Ζεὺσ γάρ ϝοι 'νεμέσα ὅτ' ἀμείμονι φωτὶ μάχοιτο omittunt codd. potiores omnes.

2) p. 116.

3) l.l.

sagittae, contio ab Achille advocata, Calchantis responsum, regum iurgium, Minervae interventus, Nestor frustra se interponens, praecones Briseïdem abducentes, Chryseïs reducta ad patrem, Achillis querela cum matre, huius missio ad Iovem, Iunonis ira, deorum coetus, Vulcani lepor, somnium fallax, exercituum congressus, pugna commissa, Agamemnonis fortia facta, Iris ad Hectorem missa, Ulixis et Diomedis vulneratio, Aiax protegens Graecorum receptum ad naves, deinde a navibus ipsis vim ignemque defendens, proelium nocte diremtum, Agamemnonis desperatio a Diomede castigata, Nestoris monita, legatio ad Achillem missa, concordiae reconciliatio. Inter carmina antiquiora unum tantum est quantum scire licet, quod Achilleïdi aliqua ex parte comparare liceat; illud volo quo Meleagri res gestae celebratae sunt, quod haud absurde Muelder Achilleïdis πρωτότυπον dixit [1]). Illius carminis argumentum sic fere reddi posse supra vidimus [2]): Ad opprimendum aprum immanem, quem Diana a rege Oeneo cum ceteris deis deabusque sacra faceret neglecta agro Calydonio inmiserat, Aetoli arma consociant cum Curetibus, e qua gente Oeneus Althaeam uxorem duxerat; Meleagrus Oenei filius beluam interficit, inter socios certatur de apri capite ac pelle; bello exorto Meleagrus occidit fratrem Altheae quapropter haec mente furiata filium dis manibus devovet; is iratus proelium deserit; Curetes ipsam urbem Calydonem oppugnant; pater mater sorores sodales frustra orant heroëm ut patriam defendat, tandem, urbe iam ab hostibus incensa uxoris lacrimis pervictus vim propellit. Utrum poëtae qui hoc carmen condidit narrandi genus fuerit nudum incomtum ieiunum, an quale Achilleïdis vividum copiosum ἠθικῶς excultum, sciri nequit. Sed elaborata illa compositio qua supra monuimus Achilleïdem insignem esse, cum quasi nodus connectatur et dissolvatur, nostro carmini deest. Series rerum gestarum traditur quarum nulla eiusmodi est in qua tanquam in cardine totum poëma versetur; ad solam alteram eius partem Meleagri ira pertinet, neque diutius haec auditores incertos tenet quo sit exitura, nam continuo iratum circumdant sui, tum hostes appropinquant, urbem incendunt,

1) l.l. p. 50.
2) p. 142 sq.

Meleager surgit. Contra Achilleïs paene in exordio statim Achillem iratum habet, Iuppiter eius socium; auditorum interest scire quomodo Graecos victuri sint Troiani, quibus illi quin satis superque sint pares nemo dubitat, quid Agamemnon porro sit facturus; hic a Iove dolose incitatus ad proelium committendum, Iovis arbitratu vulneratur sine suo dedecore, praeclare enim se gerit; etiam Diomedes et Ulixes honorifice proelio propter vulnera excedunt; vulgus tergum dat; Aiax tarde pedem refert, vim et ignem hostium sustinet; in extremo navium discrimine sol occidit; auditores gaudentes agnoscunt antiquorum carminum materiem in novum contextum adhibita. Iam in eo est ut nodus expediatur; silentio noctis Agamemnon fracta iam superbia legatos mittit, placatur Achilles non sine labore. Cum autem argumenti structura Achilleïs longe superet πρώτοτυπον suum, veri simillimum est eam orationis quoque et stili luminibus ab hoc se distinxisse.

Ingeniose vLeeuwen animadvertit [1]) Iliadem esse τριῶν ἀποριῶν λύσιν, quarum una sit quaestio haec: cur in multis carminibus laudes heroum qui ante Troiam pugnarint habentibus, inter Aiacis Ulixis Diomedis aliorum clara nomina desideretur nomen Achillis omnium clarissimum; altera haec: cur Apollinem deum vero Graecum πατρῷον καὶ κουρότροφον καὶ μάντιν in Phocidis antro Pythio cultum, non Achivis sed Troianis opitulatum ferant plurima, quae ad bellum Troianum spectent carmina vetusta; tertia haec secundae cognata et similis: cur prisca quaedam carmina Iovem deum Olympium Troianis ostendant faventem non Achivis optimo iure Troiam oppugnantibus, quibus ipsa eius uxor Iuno auxilietur. De prima quaestione vir clarissimus ita poëtam secum egisse putat: „Aliquantisper Achilles cum ceteris Achivorum ducibus comes in pugnam non ivit. Cur autem? quod nolebat videlicet. Nam volentem quis prohibiturus erat quominus hostes peteret? Cur autem aliquando noluit bellum gerere iuvenis ille generosus, fortis et audax et laudis appetentissimus? Quinam affectus in eius pectore plus valere potuit quam famae studium? Fuit ira, cuius causam erit poëtae probabiliter fictam enarrare". Quibus verissime dictis additum

1) Mnem. 1910 p. 386 (Comm. Hom. p. 35 sqq.).

velim poëtae ut occurreret, ira commotum proelio abstinuisse Achillem, magni momenti fuisse similem Meleagri causam, quam ex antiquo carmine cognitam haberet. Ad quaestiones autem secundam et tertiam quoque prorsus Leeuwenio assentior cum censeat hoc responsum praebuisse poëtae fertile ingenium: contumeliam sacerdoti factam Apollinem suscepisse vindicandam; Achillis iniurias ab eius matre oratum Iovem annuisse se ulturum Graecorum clade. Sed hoc animadversum velim, τριῶν ἀποριῶν λύσιν illam non minus pertinere ad Achilleïdem nostram quam ad Iliadem; illius enim argumentum non secus quam huius sufficere ut inveniatur responsum ad quaestionem triplicem. Neque hoc tantum, sed ea in re etiam magis satisfacit Achilleïs quam Ilias. Aperte enim vLeeuwen declarat, Iliadem non ita compositam esse ut omnia quadrent ad responsa alteri et tertiae quaestioni data. Apollinem enim pestilentiae quidem quam Graecis inmississet finem mox fecisse cum sacerdoti satis datum esset, sed nihilo minus exinde quoque eis esse adversatum; Iovem palam plus semel esse confessum caram sibi Troiam; Hectoremque servaturum fuisse modo fata sivissent; hunc semper ei confisum esse. Negat vLeeuwen, idque suo iure, poëtam, cum in fontibus suis haec invenisset quorum materiem neque negligere neque ex arbitrio suo mutare et transformare posset, vituperandum esse quod ἀσύγκλωστα συγκλώθειν non valuerit, fecisse quod posset, sed in ipsius ut in aequalium mente vixisse illa prisca carmina, his aperte contraria dicere non licuisse etiamsi libuisset. Nihilo minus notatu dignum puto, in Achilleïde nostra eam discrepantiam abesse, quippe in qua neque Apollo ullo in proelio se interponat vel omnino ullas in proeliis partes agat, neque Iuppiter Troianos diligere se significet, vel eis adsit amplius quam requiratur ut promisso Thetidi dato satisfaciat. Quod nunc mihi est demonstrandum.

b. *Quae Iliadis partes praeterquam* Πατροκλεία *eaque quae cum hac cohaereant, Achilleïdi abiudicandae sint.*

Iliadis pars quae complectitur libros Π—Ω tota, si excipis Μηνίδος ἀπόρρησιν quae narratur in libro T, Achilleïdi abiudicanda est, illi enim libri praeterquam Πατροκλεία nonnisi ea

continent quae ex hac pendeant; atque his addenda sunt omnia quae in libro Λ leguntur post versum 574, quae item cum Πατροκλείᾳ cohaerent; praeterea libri Λ vss. 501—520 qui locus ab iis separari nequit.

Nunc autem videamus de cetera parte Iliadis. Libri Α nullam video certam causam cur quidquam Achilleïdi detrahatur nisi vss. 145—147 ubi commemoratur Idomeneus cuius mentionem mox videbimus in ea non recurrere, qua propter hic displicet. Quodsi praeterea vss. Α 430—492 insitivos censes, quibus narratur Chryseïdis reductio, non magnopere refragabor, neque certam tamen neque magni momenti rem esse iudicans. Sequitur Ὄνειρος qui optime cohaeret cum iis quae praecedunt. Sed Διαπείρας causa alia est. Nam eius auctor, id quod in superioribus demonstrasse mihi videor [1]), belli annum decimum agi sibi proposuit, quod quin in Achilleïde aliter se habeat minime est dubitandum. Vulgo enim primus belli annus in Iliade proponitur. Sic ubi Iris a Iove missa (Β 788) Troianis nuntiat Graecos approquare, dicitur induisse speciem Politae Priami filii qui speculatoris loco in Aesepi tumulo sederet δεγμένος ὁππότε ναῦφιν ἀφορμηθεῖεν Ἀχαιοί (Β 794), quibus indicari tum primum Graecorum a navibus expectari progressum e verbis deae apparet his: „confabulamini ut ante in pace, sed acre bellum ortum est, ne! numquam tot et tales copias vidi" quae luce clarius belli initium spectant. Paullo post, cum exercitus in campo constiterunt foedus facturi, Priamus eos de muro observans Helenam interrogat de principibus (Γ 162 sqq.), quod facere senem anno belli decimo absurdum erat [2]). In pugna quae deinde committitur Diomedes Glacum offendens alloquitur (Ζ 124): „nequaquam [3]) te ante vidi in proelio" quod incredibile est, si iam decimo anno bellatur. Mox Graeci castra circumdant muro et fossa (Η 436 sqq,), decimo demum anno belli id fecisse censebit nemo. In pugna apud naves (Ν 362 sqq.) Idomeneus trucidat Othryonem

1) p. 112 sq.

2) Non repugnat illud οὐ νέμεσιν Τρῶας καὶ εὐκνήμιδας Ἀχαιοὺς τοιῇδ' ἀμφὶ γυναικὶ πολὺν χρόνον ἄλγεα πάσχειν (Γ 157 sqq.), neque enim cogimur senis verba sic intelligere quasi dicat iam per longum tempus eos mala passos *esse*.

3) In mss. legitur οὔποτε, desideratur autem σε, qua voce nullo modo hic careri potest. Recte igitur vHerwerden v. cl. legere iubet σέ γε.

ὅσ ρα νέον πολέμοιο μετὰ κλέοσ εἰλήλουθει. An decimo denique anno belli famam accepit? Priamo ad castra Graecorum iter faciens occurrit Mercurius sub imagine iuvenis „cui prima genas vestibat flore iuventus", (Ω 347 sqq.) dicitque se Achillis esse militem e sex fratribus ei sorte datum, quod manifesto tum evenerat cum belli initio dilectus haberetur, neque tamen octavo vel nono aetatis anno iuvenis militiam inierit. Sex locos attuli, hunc unum afferre satis fuit, nam quoniam ratio fert ut sensim apud hominum animos creverit belli Troiani spatium, Irae autem Cantor antiquissimus est omnium Iliadis auctorum, sequitur ut si unus ex his quisquis fuit significaverit primum belli annum agi, non ex antiquo fonte imprudens id transsumens sed ipse ita rem sibi proponens — at vero nemo censebit ea de Mercurio ex antiquo fonte esse translata — Irae Cantori saltem idem placuerit. Nisi contrarium apparuerit. An apparet e Iovis verbis ubi dicit (A 520) *semper* uxorem sibi temere conviciari quod Troianis in pugnis adsit? Pugnatum iam esse, si minus cum Troiae urbis copiis, tamen adversus oppida circumiacentia quae sub Troianorum dicione vel iis socia essent, eo indicat poëta quod narrat urbem Thebam a Graecis captam esse sed nihil obstat quominus hoc primo belli anno factum sit. Optime igitur potuit poëta fingere Iovem querentem, immerito se ab uxore cum non odio eodem atque ipsa Troianos persequeretur, semper accusari quod iis opitularetur.

Iamvero Διάπειρα si Achilleïdi abiudicanda est, vix multum a vero aberrabimus statuentes in hac post diei ortum qui commemoratur B 48, 49 statim secuta esse ea quae nunc leguntur B 442—483. Utrum comparationes cunctae, quae deinceps quatuor numero ibi sequuntur, Irae Cantori debeantur an una vel plures ab aliis sint insertae, non constat. Hoc veri similius videtur, nam aut altera (B 459—468) aut tertia (B 469—473) prorsus supervacua esse videtur, neutram harum si absit desideres; sed rem parvi momenti omittere licet. Sequitur Catalogus navium qui dicitur. Huius nucleum ante hac vidimus [1]) inter carmina fuisse, quibus celebraretur bellum Troianum ortum ex expeditione in Asiam suscepta a Boeotis Phocensibus aliarum

1) p. 4 sq.

gentium Graecarum hominibus. Perspicuum ibi nullos neque populos neque principes appellatos esse, nisi qui in illius expeditionis partem venirent, nullos igitur praeter Aiacem ex iis qui primas partes egerunt in Achilleïde, Aiax Achilles Agamemnon Menelaus Diomedes Ulixes cum eorum popularibus; itaque Irae Cantor si Catalogum principalem in suum poëma adhibuit ipse hos addidit. Sed populi et principes qui in illo adhibebantur, in hoc, Aiace solo excepto, nonnisi exiguas partes egerunt; neque omnino in bello Troiano verum in Achillis ira enarranda versabatur Achilleïs. Multo igitur praestat sumere tum cum Achilleïdis quasi corpus crebris magnisque membris auctum esset, ita ut belli Troiani amplam exhiberet imaginem, extitisse poëtam qui Catalogum principalem et insereret et expleret, quem credibile est ne totum quidem eum constituisse qualem nunc habemus, sed etiam post hunc ab aliis nonnihil esse additum [1]. Irae Cantori hi soli versus (B 786—815) tribuendi videntur quibus narratur Iridis missio [2]). Nam diserte cum descriptum esset (B 455—483) copias Graecorum duce Agamemnone e castris educi, in campo consistere, in catervas a ducibus suis distribui, requirebatur ut eodem modo Troiani Hectore duce in aciem proficisci et instrui narrarentur, quod nullo loco fit nisi nostro. Quod autem Iuppiter Iridem mittit Troianos monitum de hostium adventu, optime quadrat ad somnium fallax Agamemnoni missum. Nihil igitur vetat credere, ea quae nunc leguntur B 786—815 in Achilleïde iuncta fuisse ab altera parte eis, quae nunc leguntur B 483, ab altera eis quae Γ 1—14.

Nam a versu Γ 15 initium capit ἐπεισόδιον maius quod Achilleïde alienum videtur. Omnia quae abinde eo versu continentur libris ΓΔΕ, nisi forte minora aliqua ἐπεισόδια post addita sunt de quibus nunc non quaerimus, uni haud dubie debentur auctori. Is qui Iliadi inseruit Ἀλεξάνδρου καὶ Μενελάου μονομαχίαν non potest non inseruisse Ὁρκίων σύγχυσιν, quo enim alio modo illam potuit coniungere cum sequentibus? An forte recentior est hac? Sed haec ne cogitari quidem potuit nisi illa

1) p. 13 sqq.
2) Vide supra p. 188.

praecessisset. Porro Pandarum ubi a Minerva incitatus Menelao sagittam intendit, poëta, νήπιον vocans simul significat ultrices deas non evasurum, et ab altera parte, ubi narraturus est Pandari mortem, vulnus Menelao inflictum respicit (E 206 sq.). Pandari autem exitus a cetera Διομήδους ἀριστείᾳ separari nequit, nam cum illo cohaeret Aeneae vulneratio a qua rursus pendet Martis auxilium Troianis latum eiusque cum Diomede certamen. Ea quoque quae continentur libris ZH, rursus si excipis ἐπεισόδια nonnulla quae recentiora esse videntur, ita cohaerent abinde saltem versu Z 73 ut diversis auctoribus dividi nequeant; manifesto enim is qui Iliadi inseruit Hectoris colloquium cum uxore etiam eius adventum in fratris domum et profectionem cum fratre in aciem inseruit, atque idem rursus ut ansam sibi praeberet mittendi Hectorem in urbem, Heleni ad matrem mandata confinxit [1]); pugna autem ab Hectore et Paride restituta causa fuit colloquii Minervae et Apollinis, unde pendet Hectoris cum Aiace certamen. Ab alio poëta libros ZH atque ΓΔΕ insertos puto, de qua re alio loco accurate agendum erit, nunc satis est statuere eum qui illos inseruerit, hos cognitos habuisse. Nam ubi Helenus (Z 73 sqq.) Hectorem adhortatur ut matri auctor sit cum ceteris Troianorum matronis grandaevis Minervae adeundi delubrum, ita eas deam placare iubet αἴ κεν Τυδέος υἱὸν ἀπόσχῃ Fιλίου ἱρῆς (Z 97), quibus verbis liquido apparet eum respicere Διομήδους ἀριστείαν, atque ubi Hector fratrem alloquitur δαίμονι' οὐ μὲν καλὰ χόλον τόνδ' ἔνθεο θυμῷ (Z 326) haud obscure tangit huius certamen cum Menelao [2]) non aliter quam

1) Bethe v. cl. („Hektors Abschied" Teubner 1909) recte animadvertit Z 242 ubi Hectori mater obviam ire narretur Priami filios dici domi patris habitare, sed Z 313 Paridem propriam domum habitantem fingi. Versus Z 243—252 interpolatos puto, sed fac genuinos esse repugnantia facile sic explicatur, ut in antiquo carmine unde fratrum colloquium haustum sit (vide supra p. 80 sq.) Paris suam habuerit domum, is autem qui hos Iliadi inseruerit, cum paulo ante (Z 242) rem aliter proproposuisset repugnantiam non attendisse. Ceteras discrepantias quas in libro Z dispexisse sibi videtur Bethe nullas puto.

2) Cur Naber (Quaestiones Hom. p. 157) hoc neget non intelligo. Nam Γ 451 sqq. legimus Paridem a Venere servatum et domum reductum, cum a Menelao quaereretur neminem Troianorum victori potuisse ostendere οὐ γάρ κεν φιλότητι ἐκύνθανον εἴ F' ἐFίδοντο, Fίσον γὰρ σφιν πᾶσιν ἀπήχθετο κηρὶ μελαίνῃ. Quid mirum igitur Hectorem existimare fratrem eius rei non ignarum, cum civibus suis suscenseret domi latitare.

ubi Graecorum principes provocaturus ad certamen secum ineundum (H 69 sqq.) sic dicere incipit ὅρκια μὲν Κρονίδης ὑψίζυγος οὐκ ἐτέλεσσε. Quodsi igitur in eis quae inter se cohaerentia complent maiorem partem librorum ΓΔΕ, aliqua offenduntur quae prohibeant haec adscribere Achilleïdi, nihil iam cunctis libris Γ—Η superest quod tribui ei possit.

Est autem aliquid quod pro invicto stet argumento cur illi libri Irae Cantori abnegandi sint, estque hoc, id quod in superioribus iam verbo attigimus, Iovis mens ergo uxorem aliter ab hoc proposita, aliter ab auctore libri Δ. Nam praefracte negandum censemus, qui Olympium anxie sollicitum finxisset (A 517 sqq.) ne uxor intelligeret se suscepisse Troianos iuvandos quippe quae etiam immerito ipsi conviciaretur quod eos iuvaret, eundem paulo post (Δ 5 sqq.) finxisse ultro uxorem ad convicia lacessentem simulando se Troianis etiam magis favere quam faveret re vera. Neque enim serio loquens sed παραβλήδην ἀγορεύων se meditari dicit pacem inter Troianos et Graecos, neque re vera adeo favet Troianis ut prohibiturus sit perduci bellum, cuius exitus ne Iuno quidem metuit ne Graecis adversus sit futurus. Neque tantummodo erga Iunonem sed erga Graecos quoque Iovis mentem aliam proposuit poëta noster atque Irae Cantor. An iis victoriam largiturus somnium fallax Agamemnoni miserat? Non ita, credo. At poëta noster Minervam cum Martem Troianorum socium e proelio abductura sit his usam verbis fingit (E 34) νῶι δὲ χαζώμεσθα Διὸς δ' ἀλέωμεθα μῆνιν, quibus satis clare significavit Iovem nihil mali intendere Graecis[1]). Quid? Ubi frater in aciem reversus Graecos opprimit eum *Iove annuente* male mulcatum proturbat, et Iuppiter ultro belli furorem filio increpat. Omnino in Iliade nostra clades Graecorum diutius differtur quam iure expectes post promissum Thetidi datum et somnium fallax. Voluit noster, inquiunt, poësin suam

1) Rogas quid poëtam induxerit ut fingeret Minervam fratrem e pugna seducentem. Veri simile puto ut in fonte suo invenerit belli deum a sinistra parte pugnae — quaequae fuit — sedentem Veneri a Diomede vulneratae currum suum mutuum dedisse (cf. E 355), et secum reputaverit ita sibi explicandam esse hanc Martis stationem — quae in fonte prorsus aliam causam habuisse potest — ut e pugna seductus esset a numine quopiam, ad quam rem nemo Minerva ei videretur aptior esse. Quocum cohaeret quod Δ 439, qui locus haud dubie quoque nostro poëtae assignandus est (vide supra p. 190 sq.), Minervam Graecos Martem Troianos adhortatum esse narravit.

locupletari inserenda materie ex antiquis carminibus hausta, quae quamvis ad argumentum poëmatis minus faceret vel etiam aliqua ex parte discreparet, tamen eius cohaerentiam non frangeret. Audio, et eiusmodi rationem credibilem censeo. Etiam veri simile puto in antiquo carmine quod *Διομήδους ἀριστεία* pro fonte fuerit ad bellum Troianum non pertinens, Martem Iovis voluntate a Minerva e proelio fugatum esse, favisse deorum regem Diomedi. Sed petulantiam Iovis qua Iunonis iram provocat, nemo censebit petitam e fonte antiquo. Diversitas autem concipiendi eiusdem personae imaginem ut nulla mutationis causa conspicua idem nunc timeat nunc petat, non eiusdem poëtae est, verum multo hoc est certius documentum diversitatis auctorum quam multae discrepantiae in rerum externarum et adventiciarum narratione. Adde quod etiamsi daremus *ἐπεισόδιον* de quo nunc agimus ipsi tribui posse Irae Cantori, illud tamen immotum manet alia *ἐπείσοδια*: *Πατροκλείαν Διάπειραν Τειχομαχίαν* ei abiudicanda esse. Haec reputanti ubi optio datur aut tribuendi Achilleïdis argumenti additamentum nostrum Irae Cantori ipsi aut poëtae recentiori, haud dubium videbitur quin hoc sit probabilius.

Pervenimus ad *κόλον μάχην*. Hic habemus Graecorum cladem, non vero eam quae adscribi possit Achilleïdi. Nam eius auctor *Πατροκλείαν* se cognovisse significat. Iovem enim ita loquentem inducit (Θ 474): „tum Achilles surget apud naves cum in summis angustiis de Patrocli corpore certabitur''. Accedit quod *κόλος μάχη* multa habet, quae undique ex Iliade comportata esse videantur, unde sponte movetur suspicio originis recentioris. Nam ut utar verbis Naberi v. cl. qui de hac re accurate egit [1]) „exceptis locutionibus et dimidiatis versibus qui apud Homerum quavis fere pagina occurrunt, sunt praeterea versus plus quam octoginta, qui cum parva nullave mutatione alibi quoque inveniuntur, quorum versuum ea est ratio ut saepe aliunde desumta possint videri, raro autem octavus liber fons sit reliquorum'' [2]).

1) l.l. p. 143.

2) Locos comparavit Naber hos: vs. 3 = Α 499; 5 = Τ 101; 28—30 = Ι 430—432; 39—40 = Χ 183—184; 41—44 = Ν 23—26 58—59 = Β 809—810; 60—65 = Δ 446—451; 66—67 = Λ 84—85; 68 = Π 777; 69—70 Χ 209—210; 71 = Τ 127; 72 = Χ 212; 105—107 = Ε 221—223; 222—226 = Λ 5—9; 227 = Λ 275; 228 =

Tamen abinde solis occasu qui narratur Θ 485 sqq. rursus habere videmur manum Irae Cantoris. Ad πρεσβείαν enim, quam in Achilleïde secutam esse vidimus post proelium apud naves, quod in Iliade continetur libro O, requiritur transitus, isque quem hic habemus: nam legatio ad Achillem noctis silentio mittitur. Transitus igitur aptissimus efficitur eis quae leguntur abinde Θ 485 qui versus optime coniungitur cum postremo versu libro O.

Πρεσβείαν cur exitu mutato Achilleïdi assignemus cum in superioribus copiose demonstraverimus, de cetero praetermittere licebit. Eadem autem nocte atque haec, in Iliade Νυκτεγερσία et Δολωνεία actae finguntur quibus in Achilleïde, utpote in qua statim post Πρεσβείαν sequeretur Μήνιδος ἀπόρρησις, nullus locus esse potuit; in illa igitur videtur Ἀγαμέμνονος ἀριστεία iuncta fuisse versui qui nunc legitur Γ 14. Sed versus Λ 1—84 non quadrant ad ea quae leguntur B 48, 49, 442—483, quae Achilleïdi impertienda eese censuimus; nam diei ortus narratus erat B 48, 49 et Minervae labore in excitandis Graecis (B 446 —454) excluditur belli Furoris missio quae libri Λ initio diei ortui succedit (Λ 3 sqq.). Praeterea versus nostri alia ex parte habent quae offendant. Dicuntur enim duces aurigis suis equos prope fossam retinendos mandasse (vs. 47 sqq.), sed paulo post (Λ 192, 270, 280) Agamemnon vulneratus curru vehitur e proelio, quod facere non potuit si currus ad fossam restitisset. Neque omnino video causam cur currum apud fossam remanere opus fuerit, verum M 84 sq. iisdem verbis aptissime duces Troiani castra Graecorum oppugnaturi currus suos apud fossam reliquisse narrantur, idque iisdem verbis. Deinde vss. Λ 51 sq. displicent cum satis dure pedites dicantur multum praecedere essedarios, hi venire paulo post pedites. Tum Λ 56 aegre desideratur vox θωρήσσοντο, sed Υ 3 qui versus idem est ac Λ 56, θωρήσσοντο facillime auditur ex versu Υ 1. Porro comparatio adhibita vss. 67—69 minus apta est, neque enim messores sibi oppositi quemadmodum Graeci et Troiani se mutuo

E 787; 258—260 = E 40—42; 313—317 = Θ 121—125; 331—334 = N 420—423; 343—345 = O 1—3; 345—347 = O 367—369; 354 = Θ 34; 381—383 = E 719—721; 384—388 = E 733—737; 389—396 = E 745—752; 457—462 = Δ 20—25; 463—465 = Θ 32—34; 493—495 = Z 318—320; 540—541 = 827—828.

feriunt, sed aristas quae mediae inter eos sunt. Tum vss. 78—83 damnaverunt iam Alexandrini non immerito ineptum rati *omnes* deos suscensuisse Iovi. Postremo vs. 46 Agamemnon dicitur rex Mycenarum, quod ceteroquin in Achilleïde non invenitur, cum contra in Πρεσβείᾳ propter urbes quas Achilli polliceatur in Laconiae confiniis sitas, censendus sit potius Lacedaemoni regnasse [1]). Statuendum igitur videtur, post ea quae leguntur Γ 15 statim secuta esse in Achilleïde ea quae nunc leguntur abinde Λ 85. Postremam partem libri Λ abinde vs. 575 praeterea vss. 501—520 ab Achilleïde separanda esse, quippe quae cohaereant cum Πατροκλείᾳ, supra iam monuimus.

Hanc autem etiam Τειχομαχίας auctor se cognovisse prodit, ne dicam eo quod Hectoris mortem memorat (M 10 cf. 13), hanc enim ex antiquiore carmine cognitam habere potuit, tamen quia exorditur a mentione Patrocli curantis Eurypylum vulneratum, qua tangit ea quae inveniuntur sub finem libri Λ, a Πατροκλείᾳ, id quod iam saepius monuimus, pendentia. Praeterea Τειχομαχίας auctor putandus est sibi proposuisse belli spatium decennale siquidem hoc apparet ex eo quod legimus M 15 'πέρθετο δὲ Πριάμοιο πόλις δεκάτῳ ἐνιαυτῷ. Versum hunc eiecit vLeeuwen v. cl. [2]) sed cum post ὄφρα (vs. 10) sequatur (vs. 11) Πριάμοιο ϝάνακτος ἀπόρθητος πόλις ἔπλε, post αὐτὰρ ἐπεί (vs. 13) requiri videtur mentio urbis dirutae, id quod confirmatur versu 16 „Ἀργεῖοι δ' ἐν νηυσὶ φίλην εἰς πατρίδ' ἔβησαν", quae verba frigent illa mentione omissa. Cumque viderimus etiam Διαπείρας auctorem decimum cogitare anni bellum et Helena Hectoris mortem lugens (Ω 762 sqq.) vel vicesimum postquam Troiam venerit annum memoret, minus etiam causae esse videtur cur nostrum versum interpolatum putemus. Ceterum verum quidem est, poëtam nostrum cum decimo belli anno Troiam eversam dicat non totidem verbis pugnam quam descripturus sit eo demum anno commissam dicere, sed quoniam vs. 10 sq. Hectoris vitam Achillis iram urbis salutem ita coniungit ut liquido significet hanc ab illis pendere, satis clare

1) Cf. supra p. 90.

2) Mnem. 1907 p. 209 Hom. Comm. p. 20. Quod imperfectum v. cl. hinc alienum se censet, cf. Thuc. I. 9. 2, Xen. Anab. I. 1. 6, Cyrop. III. 3, 1 quibus locis non aliter se habet ac nostro loco.

enuntiat non multis annis post, sed continuo eius excidium secutum esse. Praeterea fac cogitavisse nostrum res in Iliade enarratas actas esse primo, expugnationem decimo belli anno [1]), quid igitur sibi proposuit actum esse per tot annos in medio positos? Adventus Memnonis Aurorae filii commemoratur in Odyssea (δ 188, λ 522), Amazonum in carminibus κυκλικοῖς quae dicuntur, de Memnone autem et Amazonibus quae narrantur ad bellum Troianum pertinentia, recentioris originis notam in fronte ferunt [2]) nedum in Iliade tangantur. Itaque si haec cognita habuerit Τειχομαχίας auctor, ea ipsa re inter recentissimos Iliadis auctores habendus est.

Transeundum iam est ad Μάχην ἐπὶ ταῖς ναυσίν, Διὸς ἀπατήν, Παλίωξιν παρὰ τῶν νεῶν, quae ἐπεισόδια continentur libris Ν Ξ Ο. Coniuncte haec tractanda sunt, nonnullis enim locis omissis de quibus mox agemus, nihil in his est quod Achilleïdi vindicari possit nisi cuncta ei assignanda esse apparebit. Nam per totam Μάχην ἐπὶ ταῖς ναυσίν si paucas aliquas περικοπάς excipis quibus de hac re siletur, versari Neptunum apparet in exercitu Graecorum, sed qui fiat ut maris deus aliquando discedat, audimus in Παλιώξει παρὰ τῶν νεῶν (Ο 157 sqq.), quae ab altera parte usu venire non potuit nisi praecessisset Διὸς ἀπατή. In Παλιώξει nonnulla leguntur quae si constaret genuina esse, in aprico esset poëtam cognovisse Πατροκλείαν. Experrectus enim e somno quo uxoris dolo oppressus erat Iuppiter inter alia ei dicit (Ο 65) Patroclum ab Hectore interfectum iri. Sed totum locum Ο 64—71 expunxerunt Zenodotus Aristophanes Aristarchus, propterea quod simul cum eis quae modo attuli hoc quoque cum Iunone communicat Olympius, Graecos confugituros ad Achillis naves, deinde hunc sodalem suum Patroclum

1) Forsitan sic acceperit nostrum versum (Μ 15) is qui maximam partem libri Ν Iliadi inseruit. Hunc cognovisse Τειχομαχίαν mox ostendemus; significat autem (Ν 362 sqq. de quo loco vide supra p. 188) certamina quae depingat, primo belli anno non decimo habita esse.

2) Ut hoc solum afferam: in Ἀχιλλέως ἀναστάσει, quae a Πατροκλείᾳ pendet, Thetis filium alloquitur (Σ 96) αὐτίκα γάρ τοι ἔπειτα μεθ' Ἕκτορα πότμος ἑτοῖμος; in Aethiopide interveniunt adventus Amazonum et deinde Memnonis. Iliadis autem versus ille Aethiopidi ita convenit si pro μεθ' Ἕκτορα substituis μετὰ Μέμνονα, fatale enim vinculum quo in Iliade Achillis mors iuncta est Hectoris morti, in Aethiopide imitatum est substituto Memnone pro Hectore.

suscitaturum, in Πατροκλείᾳ vero res aliter proponuntur, ad naves Achillis Graeci non confugiunt, Patroclus ultro hunc adit. Quod quamvis minime incredibile vel veri dissimile putem deberi inconsiderantiae poëtae negligenter referentis ea quae narrantur in Πατροκλείᾳ, tamen omittam et alia proferam cur ἐπεισόδια nostra Irae Cantori abneganda sint. Nam in Παλιώξει ubi discimus (O 3) Troianos Iove dormiente e castris Graecorum repressos esse usque ad eum locum ubi currus suos reliquissent, Τειχομαχία tangitur, utpote in qua narrati essent (M 80 sqq.) Polydamantis monitu currus collocasse non procul a Graecorum castris pedibus murum ascensuri. Accedit, id quod non minoris momenti videtur ad dissuadendum ne ἐπεισόδια nostra assignemus Achilleïdi, quod manifesto eorum interventu dies quo Graecorum clades continetur, praelongus fingitur. In Iliade ille dies vere infinitus est quoniam Τειχομαχία et Πατροκλεία accedunt, sed etiam his omissis habemus: proelium aequo Marte gestum usque ad meridiem — ὄφρα μὲν ἠὼς ἦν καὶ ἀέξετο ἱερὸν ἦμαρ (Λ 84 cf. vs. 86 sqq.) — tum Agamemnonis fortia facta, quibus Troiani usque ad urbem repelluntur — Σκαιάς τε πύλας καὶ φηγὸν ἵκοντο (Λ 170) — deinde Agamemnonis vulnerati discessum e pugna et Hectoris impetum, Diomedis et Ulixis fortitudinem, qui tandem ipsi quoque, alter ante, post alter, vulnerati abeunt, Aiacem fugam Graecorum protegentem usque ad naves se recipientium, Neptuni adventum, longam seriem certaminum qua totus liber N completur, Troianos Iove dormiente e castris eiectos et usque ad fossam repulsos — nam Iunonem Venerem adeuntem, deinde Lemnum profectam ut Somnum arcessat, cum hoc reversam, coniugum caelestium amores, propterea omitto quod tota haec Διὸς ἀπατή cogitari potest eodem tempore acta esse quo postrema ex illa serie certamina — denique redintegratum Troianorum impetum et rursus certaminum longam seriem quae terminatur irrito illorum conatu incendendi naves. Haec si ab uno eodemque poëta composita essent quantum negotii fuit per plures dies ea distribuere? parte eorum post addita facile intelligimus, qui addiderit minus attendisse sponte diem duci omni probabilitate diutius.

At vero, quamvis haec ita se habeant suspicandum tamen est latere in iis, quae contineantur libris N Ξ O, nucleum quemdam

qui referendus sit ad Achilleïdem. Neque enim solis occasus qui commemoratur Θ 485 satis apte coniungitur cum eo proelio quod in Achillïde terminari vidimus eo versu qui nunc legitur Λ 574. Nam iure existimes antequam sol occidat Troianos perventuros esse ad naves, quemadmodum Iuppiter futurum esse praedixerat (Λ 193 sq. 208 sq.) Graecos circum maris litus oppressum iri, id quod ut fieret Achilles matrem a Iove petitum miserat. Ab altera parte perlegentem libros Ν Ξ Ο fugere neminem potest nonnullas occurrere περικοπάς, quas si per se spectes nullo necessitatis vinculo coniunctas esse appareat aut cum Neptuni interventu, aut cum fraude Iovi facta, aut cum Troianorum a navibus regressu. Hae igitur nunc nobis sunt considerandae, simulque inquirendum, sitne in his aliquid quod in nostrum usum convertere possimus. Cetera ita cohaerent ut ne versus quidem in iis sit, qui non aut contextus vinculo coniunctus sit cum loco aliquo ubi Neptuni mentio fiat, aut ubi aliquid narretur quod pertineat ad Διὸς ἀπατήν aut ad Παλίωξιν παρὰ τῶν νεῶν, loci quos volumus sunt Ν 136—155 Ξ 1—134 Ο 306 —746. Neque tamen contendimus cunctos hos locos totos olim obvenisse Achilleïdi. Nam statim loci Ξ 1—134 Ο 390—414 seiungendi sunt, quippe quibus respiciantur ea quae continentur postrema parte libri Λ pertinentia ad Πατλροκλείαν. Deinde videamus de loco Ο 415—746. Invenimus Ο 415 sqq. Hectorem et Aiacem de eadem nave certantes, quam alter conatur incendere alter defendere ab igne. Sed Ο 593 sq. legimus Τρῶεσ δὲ λίεσσι τετοικότεσ ὠμοφάγοισι νηυσὶν ἐπεσσεύοντο, et Ο 653 εἴσωποὶ δ' ἐγένοντο νεῶν quod aliter interpretari non licet nisi sic „in conspectum navium venerunt", apertum autem est eos conari non potuisse navem incendere qui multo post demum in conspectum venirent navium, cum praesertim ne verbo quidem indicetur eos post irritum conatum eo usque propulsos esse ut ne in conspectu quidem manerent navium. Qua propter aut locus qui continetur versibus 415—591 — divelli enim eius contextus non potest — aut qui versibus 592—746, ab Achilleïde demendus est et pro interpolato habendus ex altero imitatus. Neque dubium esse potest uter potior sit habendus. Supra enim demonstravimus (p. 194) post ea quae habeat finis libri Ο olim secutum esse solis occasum, qui nunc invenitur Θ 485 sqq., et

animadvertimus eum optime coniungi cum versu O 746. At, inquis, non minus apte quadrat ad versum O 591. Dicam cur hoc negandum esse censeam. Sub finem libri O Graeci versantur in summo discrimine, non tantum ceteri omnes (vs. 655 sqq.) a primis navibus recesserunt et apud tentoria i. e. in litore maris conglobati substiterunt, sed Aiax quoque, qui paulisper remanserat cum illi pedem referrent (vs. 674 sqq.) in transtro navis concursans (vs. 685 sqq.) conto hostes arcens (vs. 677 sqq.) consistere iam non potuit (vs. 727 sqq.), sed paullulum regressus summo labore ignem a navibus defendit; res prorsus eo statu sunt, quem Achilles cum matre querens de iniuria sua cupiverat Iovis ope oriturum esse ut frangeretur Agamemnonis superbia (A 408 sqq.). Contra sub finem loci alterius (O 415—591) minime Graeci versantur in discrimine summo. Nam quamquam iam vs. 415 Caletor Clytii filius Troianus conatus erat e Graecorum navibus aliquam incendere pugna constitit sicubi hic ab Aiace interfectus est, deinde ultro citroque milites caeduntur, ab Hectore Lycophron Mastoris filius, a Teucro Clitus filius Pisenoris, tum ab Hectore Schedius Perimedis filius, ab Aiace Laodamas Antenoris filius, a Polydamante Otys Cyllenius, a Megete Phylei filio Croesmus Troianus, a Menelao Dolops Lampi filius, ab Antilocho Nestoris filio Melanippus, in toto igitur a Graecorum parte tres a Troianorum sex viri cadunt, nullo modo apparet illos a navibus reici et in litore maris compelli. Accedit quod cum sub finem libri summa certaminis ad Aiacem redeat, quem consentaneum erat primas ferre fortitudinis, nostro contra loco auditorum animi ab eo avertuntur fortitudine Teucri, Megetis, Menelai Antilochi, qui ceteroquin in Achilleïde praeter Menelaum ne appellantur quidem. Itaque sic iudicandum puto, vss. 415—591 insertos esse sive ab eo cui debemus maiorem partem librorum N Ξ O, sive ab antiquiore sive a recentiore poëta, neutiquam tribuendos esse Irae Cantori. Qui inseruit, quisquis fuit, non satis attendit propter versum O 653 *εἰσωποὶ δ' ἐγένοντο νεῶν* aliena esse quae ederet de Hectore et Aiace circa eandem navem pugnantibus.

Iamvero etiam vss. O 596—652 Achilleïdi abiudico. Nam O 599[b] sqq. legimus Iovem noluisse ante Graecis succurrere quam Hector in naves curvas ignem coniecisset, expectasse dum

oculis cerneret fulgorem navis inflammatae. Revera Π 112—124 legimus navem incensam a Troianis „τῆσ δ' αἶψα κατ' ἀσβέστη κέχυτο φλόξ". Sed haec non pertinent ad Achilleïdem, sed ad Πατροκλείαν, ab huius auctore inserta sunt mox narraturo (Π 293 sqq.) Patrocli cum Myrmidonibus adventu Troianis cedentibus flammam extinctam esse; ab Achilleïde aliena sunt, néque enim si Troianis contigisset ut navem incenderent, solis occasu pugna diremta esset, quae incendii luce potuit continuari, néque cum iis conveniunt aut Iridis mandata ad Hectorem (Λ 190[b] sqq. 207[b] sqq.) aut Achillis preces (Λ 408 sqq.) in quibus proponendis poëta vix omisisset incendii navium mentionem facere si id cogitasset.

Porro vss. Ο 306—389 ab Achilleïde demendi sunt. Alteram huius loci partem abinde vs. 367 iam propterea aliena est, quod ibi narrantur vs. 387 sqq. Graeci de navibus pugnare, unde rursus sequitur ut aut haec πειρικοπή aut vss. 653—736 sint tollendi; neque dubium esse potest post ea quae modo (p. 199) disseruimus utrum sit praeferendum. Versus autem 306—366 propter duas causas Irae Cantori abiudicandi sunt. Quarum altera haec est, quod Apollo Troianos ducit qui, quamquam èt in Διομήδουσ ἀριστείᾳ iisque quae cum hac cohaerent haud obscure ab eorum parte stat èt in Πατροκλείᾳ iisque quae ab hac pendent Hectori saepius adest, Patroclum ei caedendum tradit èt in Παλιώξει παρὰ τῶν νεῶν Iovis iussu Hectori succurrit, in Achilleïde si a nostro discedis loco non tantum in pugnis se numquam interponit, sed ne ullo quidem modo significatur favere Troianis — nam quod Λ 354 ab eo galeam accepisse Hector dicitur, id quod haud dubie cum cetera Ἀγαμέμνονοσ ἀριστείᾳ ex antiquo haustum est carmine nullius hac in re momenti est — contra ab Irae Cantore haud obscure indicatur erga Graecos, cum eius sacerdoti filia reddita satisfecissent, placato fuisse animo. Nam Calchas de pestis causa respondens, non prius inquit (Α 97 sqq.) Apollo calamitatem a nobis defendet quam virginem sine pretio patri restituerimus deoque ampla sacra fecerimus, tum vero ἱλασσάμενοι πεπίθοιμεν. Neque frustra Chryseïde reddita Ulixes cum comitibus πανήμεριοι μολπῇ θεὸν ἱλάσκοντο (Α 472); quid enim? ὁ δὲ 'τέρπετ' ἀκούων. Iam scio equidem fieri posse ut poëta mox fontibus usus qui aliam dei mentem ostenderent in-

concinna proposuerit, sed propterea hoc minus probabile est quoniam accedit altera causa suspicandi auctorum diversitatem. Nam vs. O 334 sqq. legimus: τόφρα δ' Ἀχαιοὶ τάφρῳ καὶ σκολόπεσσιν ἐνιπλήξαντες ὀρυκτῇ ἔνθα καὶ ἔνθ' ἐφέβοντο· δύοντο δὲ τεῖχος ἀνάγκῃ. In Achilleïde fossa vallus murus ceteroquin non commemorantur [1]), atque vix auditores nisi cognovissent fossae oras vallis praeacutis munitas esse, id quod narratur in Τειχομαχίᾳ (M 55 sqq.), intellegere poterant quid sibi vellent valli qui a muro distinguerentur et ad eum non pertinerent. Quapropter censendus est loci nostri auctor Τειχομαχίαν respexisse.

Postremo locus O 659—673 eximendus videtur. Nam Nestoris adhortatio minus placet. Sic enim loquitur senex: „ὦ φίλοι ἀνέρες ἐστὲ καὶ αἰδόα θέσθ' ἐνὶ θυμῷ", cum paucis versibus ante poëta Graecos laudavisset (vs. 657 sqq.) „ἴσχε γὰρ αἰδὼς καὶ δέος, ἀζηχὲς γὰρ ὁμόκλεον ἀλλήλοισι". Rem actam igitur Nestor agit. Quae autem post eius verba sequuntur (vss. 668—673) iam Aristarchus obelo notavit et merito quidem, dicitur enim ibi Minerva Graecis ἀχλύος νέφος ab oculis removisse quasi antea occaecati fuissent, quod neque poëta ullo verbo significaverat, neque intellegi potest. Supersunt igitur e locis quos supra recensuimus hi, qui aptissime coniunguntur, N 136—155, O 593—595, 653—658, 674—746, quibus efficitur nucleus quem dixeramus inesse eis quae continerentur libris N Ξ O. Vix dictu opus est fieri posse ut ab iis cantoribus qui haec in ingentem ambitum augerent et dilatarent, etiam sive pauci sive multi versus quos in Achilleïde invenirent, aut suppressi aut ita mutati sint ut iam agnosci nequeant. Sed hoc non admodum veri simile est quippe cum ipsa stili Epici ratio magnam praebeat facultatem versus ita inserendi ut immota et intacta maneant ea quibus inserantur. Illud saltem constat nihil desiderari si ea inter se iungis quae nucleum illum efficere demonstravimus.

Ad finem igitur perduximus id quod nobis proposueramus inquirentes quae partes Iliadis Achilleïdi adscribendae essent. Nihil enim ex eis quae abinde Πατροκλείᾳ sequerentur, huc pertinere vidimus, nisi Μηνίδος ἀπόρρησιν i.e. T 1—275 exceptis vss. 3—39 quippe

---

1) Locum Λ 47 sqq. ubi fossa commemoratur Achilleïdi abiudicavimus, vide supra p. 195.

quae pertineant ad armorum munus Achilli a matre allatum, et vss. 209—214 cum ibi Patrocli mortui Achilles mentionem faciat. Sequitur ut statuendum sit Achilleïdem ex his fere constitisse versibus:

Α 1—144, 148—429, [430—492?], 493—611,
Β 1—49, 442—483, 786—815,
Γ 1—14,
Λ 85—500, 521—574,
Ν 136—155,
Ο 592—595, 653—658, 674—746,
Θ 485—565,
Ι 1—317, 344—347, 356—364, 378, 379, 388—392, 421—648,
Π 60—63,
Τ 67 pro verbis: οὐδέ τί με χρή his substitutis: ὣσ γὰρ ἄμεινον,
Ι 649, 656—663, 669—677, 678 ita fere mutato κεῖνοσ μήνιθμον ἐθέλει σβέσαι ἠδὲ δέχεσθαι et inserto versu δῶρα τά ϝοι δώσεισ, νοέειν δέ ϝε θυμὸσ ἀνώγει, 681 mutato σαόῃσ in σχόῃ, 688—690, 712—713,
Τ 1—2, 40—208, 215—275.

In hoc poëmate e principum Graecorum numero, quos habet Ilias, alii nulli prodierunt nisi Achilles, Agamemnon, Menelaus, Nestor Aiax Telamonius, Aiax Oilei filius, Ulixes, Diomedes, Phoenix; e Troianorum principibus nulli nisi Hector et Paris. Ex antiquis carminibus quibus ageretur fabula Troiana in suum usum convertit poëta èt quod erat de Ἀγαμέμνονοσ ἀριστεία èt quibus celebraretur pugna cum Troianis apud naves, eo imprimis quo ageretur Aiacis fortitudo in navibus defendendis. Praeterea tetigit carmina quibus narrarentur insula Lesbos, urbs Lyrnessa ab Achille captae; satis copiose retulit argumentum carminis alicuius quo Meleagri res gestae ederentur; significavit cognita sibi esse carmina quibus tractaretur Iunonis erga maritum contumacia et insidiae huic structae, gravisque poena a Iove illi inflicta (sive ob aliam causam sive id quod probabile est ob dolum structum nocendi causa Heracli Troia revertenti), Vulcani clades matri auxilio venientis; respexit carmina quibus narraretur Hercules Eurystheo subactus propter patris iactantiam et novercae malignitatem. De quibus omnibus rebus fuse in superioribus egimus. Sed in summa poëmatis prorsus poëta noster suus fuit.

c. *Quibus Iliadis partibus contineatur poëma a Πατροκλείας auctore conditum.*

Qui poëta Patroclum Achillis comitem atque amicum ab Hectore caesum finxisset, eundem sibi proposuisse eius mortem ab Achille vindicatam, uni igitur auctori et Πατροκλείαν deberi et Ἕκτορος ἀναίρεσιν, ita per se perspicuum est ut demonstratu non opus sit. Neque tamen minus certum videtur eundem ademisse Achilleïdi Πρεσβείαν et Μήνιδος ἀπόρρησιν. Nam nisi voluisset in harum locum substitui Πατροκλείαν et Ἕκτορος ἀναίρεσιν, nihil negotii fuit rem ita instituere ut repugnantia quam inter eas cerni demonstravimus evitaretur, omittenda nimirum fuerunt ea quae nunc leguntur Π 70ᵇ, 71, 84—87 „si Agamemnon mihi benignus esset" et „reddant mihi Achivi virginem et augeant me honore", quae non tantum excogitari non poterant a Πρεσβείας auctore, sed ne ab ullo quidem poëta qui Πρεσβείας rationem haberet, id quod etiam pertinet ad Achillis verba Λ 608 sqq. „nunc credo Achivos ad meos pedes procubituros esse", quae aut debentur Πατροκλείας auctori aut poëtae recentiori cui Πατροκλεία nota erat. Atqui Μήνιδος ἀπόρρησιν a Πρεσβείᾳ secerni non posse cum ostenderimus, necesse est hanc quoque noster spreverit.

Itaque sic statuendum est, Πατροκλείας auctorem quodammodo alteram condidisse Achilleïdem, cuius prior pars eadem esset atque Achilleïdis principalis, altera prorsus differret praecisis omnibus quae in illa sequerentur ab inde solis occasu qui narratur Θ 485 sqq., eorumque loco substitutis Patrocli cum Achille colloquio, rebus gestis, clade, Achillis in aciem reditu, caede Troianorum, amici morte in Hectore vindicata. Ne sic quidem partes ambas optime cohaerere, Thetidis enim preces quibus Iovem oret ut hostibus adsit donec Graeci filium in honorem revocent, Iovis consilium eo pertinens, Minervae

vaticinationem fore ut triplicibus donis Agamemnon iniuriam compenset, recta ratione carere cum Achilles nulla satisfactione oblata iram dimittat, minime negandum est; hoc vero cum in unius poëtae opere ferri non possit, tamen eiusmodi est ut ab alterius partis auctore facile intellegatur neglectum esse aut eum fugisse. Neque aliter iudicandum de Iovis ad Iridem mandatis quibus Hectori se vires additurum dicit (Λ 193 sqq.), donec ad Graecorum naves perveniat et solis occasu tenebrae oboriantur; nam ne haec quidem ad Πατροκλείαν quadrare supra [1]) demonstravimus. Sin autem quis putet Πατροκλείαν et Ἕκτορος ἀναίρεσιν non tam eo consilio conditas esse ut priori Achilleïdis parti iungerentur quam ut carmen existeret quod sua pila staret, hoc obstare videtur quod haud obscure Πατροκλείας initium se applicat ad ea quae narrantur sub finem libri O.

At vero nunc oritur alia quaestio; perlegentem enim quae continentur libris Π—Χ, ut nunc omittamus ea quae sequuntur post Hectoris mortem, neminem non subibit suspicio multa in his esse quae a poëtis recentioribus sint addita. Sed accurate rem inspicienti mox apparet multa hic ambigua esse, indicia certa quibus res conficiatur in plurimis desiderari. Itaque de singulis proferentes ea quae sentimus, nonnulla evincere posse putamus, cetera satis habemus si ostenderimus credibilia esse. Hoc praefamur. Nisi tamen certa documenta essent quibus diversitas auctorum Iliadis probaretur, si contra ab illa suspicione cum discederes, nihil credere vetaret Iliadis argumenti ubertatem uni deberi auctori, facile ferremus hunc in tanti ambitus incepto multa quae salva argumenti cohaerentia abesse possent delectandi causa inseruisse. Sed quoniam hic habemus poëtam, Πατροκλείας auctorem dico, cuius poëseos fines minus late pateant, quippe qui sibi proposuerit hoc maxime narrare cur et quomodo Achilles alia ratione quam etiamnunc crederetur, iram demisisset et in aciem redisset, quae narratio adeo natura sua ad finem festinat, aliena censenda esse videntur quaecunque in ea obvia eius decursum morantur.

Iam vero primum quidem interpolatum censeo versum Π 27 ubi memoratur Euripyli vulnus, quam rem infra ostendam Πατροκλείας

1) p. 181.

auctori ignotam fuisse. Sed tum a poëtae nostri opere seiungendum puto quamvis per se spectatus nihil habeat quod offendat et pro parte saltem ex antiquis fontibus haustus esse videatur [1]), locum Π 168—196 ubi Myrmidonum copiis in quinque partes distributis singulorum ducum commemorantur nomina et origo. Porro vss. 342—350 quibus Meriones narratur occidisse Acamantem, Idomeneus Erymantem. Idomeneus hic, quasi eum iam cognitum habeant auditores inter belli Troiani duces, sine patris vel patriae nominibus appellatus, néque comparet in Achilleïde [2]), quae sola Iliadis pars — id quod mox ostendemus — poëma nostrum originis aetate superat, néque credibile esse eum carminibus Iliade antiquioribus adnumeratum esse oppugnatoribus Troiae in superioribus demonstravimus [3]), néque in poëmate nostro recurrit, nam locum Ρ 605 sqq. ubi rursus eius mentio fit mox ostendemus ob causas ad Idomeneum nihil pertinentes Πατροκλείασ auctori denegandum esse, quapropter hic simul cum comite Merione insitivus est habendus. Tum vero Sarpedonis, deinde Cebrionae cladem et, una cum utraque, ea quae praecedunt i. e. Π 372—683 698—783 a Πατροκλείασ auctore abiudico. Ubi in his de Sarpedone agitur, bis tangitur Τειχομαχία. Nam Π 510 legimus de Glauco quem Sarpedon moribundus auxilio vocat „τεῖρε γὰρ αἰνῶσ ἕλκοσ ὅ δή μιν Τεῦκροσ ἐπεσσύμενον 'βάλεν ἰῷ τείχεοσ ὑψηλοῖο, quae res narrata erat Μ 388 sqq., et Π 558 a Patroclo Sarpedon vocatur is qui πρῶτοσ εἰσήλατο τεῖχοσ 'Αχαιῶν [4]). Iamvero Τειχομαχίαν et propter belli annum decimum commemoratum Μ 15 inter recentiores habemus Iliadis partes, et propter Eurypyli vulnus a Patroclo curatum cuius mentio fit Μ 1, recentiore saltem origine est quam Patrocli missio ad Nestorem (Λ 596 sqq.), nam ab hoc rediens Patroclus incidit in Eurypylum vulneratum (Λ 809 sqq.). At manifesto Patrocli missio non excogitata est ante quam Πατροκλεία conderetur, huic igitur Sarpedonis clades demenda est. Nunc autem

1) Vide supra p. 62 sq.

2) Locum Α 145 ubi obiter memoratur, propter ipsam hanc causam Achilleïdi abiudicavimus.

3) p. 140.

4) De hoc loco egi supra p. 126.

agam de eis quae ei anteeunt. Hic locus (Π 372—418) si retinetur demtis eis quae ad Sarpedonem pertineant, coniungendi sunt vss. 418 et 684 sqq. Sed non bene hi conveniunt; nam „Τρῶας μετεκίαθε" (vs. 685) non apte dicitur de eo qui in mediis Troianis versatur quemadmodum Patroclus vs. 394 sqq.; praeterea displicet quod octo Troianos poëta enumerat ab eo occisos vs. 415 sqq. paene continuo rogaturus (vs. 692 sqq.) ἔνθα τίνα πρῶτον τίνα δ' ὕστατον ἐξενάριξας Πάτροκλος; novemque enumeraturus Troianos ab eo interfectos; propterea περικοπή quae continetur versibus Π 394—419 insitiva videtur. Neque vero aliter iudicabit de versibus praecedentibus (Π 372—393) qui attendet his vix aliud quidquam enuntiari atque proxime superioribus (Π 358—371), nisi quod ibi Aiax hic Patroclus Troiani fundere narratur, èt vs. 367 èt vs. 383 legimus Ἕκτορα δ' ἔφερον ἵπποι; praeterea versus 372 Πάτροκλος δ' ἕπετο κ.τ.λ. vix differt a versu 684 Πάτροκλος .... μετεκίαθε. Postremo Cebrionae cladem et quae praecedit, Patrocli audaciam ab Apolline repressam (Π 698—783) propterea Πατροκλείας auctori abiudicamus, quoniam post verba τίνα πρῶτον, τίνα δ' ὕστερον ἐξενάριξας Πάτροκλος ὅτε δή σε θεοὶ θάνατόν δ' ἐκάλεσσαν (Π 692 sq.) iure existimaveris commemoratis novem Troianis a Patroclo trucidatis in eo esse ut heroïs ipsius iam exitus narretur, quae tamen res differtur interiectis impetu in Troianae murum ab Apolline repulso, congressu cum Hectore, Cebrionae interfectione. Haec igitur aliena videntur, quibus omissis optime coniunguntur vs. 697 et vs. 784. Versibus 693—696 enumerati erant novem Troïanos quos Patroclus interfecit, versu 784 sq. ter novem Troianos triplici impetu caesorum numero addidisse dicitur, tum sequitur ipsius interitus de quo praemonuerat poëta eum compellans δή σε θεοὶ θάνατόνδ' ἐκάλεσσαν. Cetera pars pars libri Π non vexanda videtur, itaque haec coniungenda sunt 1—167, 198—341, 351—371, 684—697, 784—867. Quae ab his secrevimus maximam partem tamen laude poëtica non inferiora putamus, imo Sarpedonis fatum magnifice proponi, neque eum quidem qui Cebrionae descripserit obitum inter malos poëtas referendum esse. De Sarpedone pro fonte fuisse supra suspicati sumus [1]) carmina

1) p. 126.

quae haberent laudes Dorum Rhodiorum Tlepolemo duce contra Lycios bellantium; Patrocli fortitudinem propellentis hostes a Graecorum navibus et mortem ei ab Euphorbo illatam nulla dum Achillis, Apollinis, Hectoris ratione habita, celebratam esse vidimus [1]) ab antiquissimis cantoribus belli Troiani; sed Πατροκλείας auctor cum spreto Achilleïdis exitu mansuetiore, suscepisset auditoribus proponendam Achillis imaginem in pugnam regredientis, contra hostes saevientis in eos ira conversa a popularibus, et incidisset in cogitationem eam rem ita expediendi ut sumeret Achillis mentem mutatam esse ardore ulciscendi Patroclum quem Irae Cantor aut antiquior iam poëta eius comitem fuisse finxit, sponte inducebatur ut hunc proponeret ab ipso Troianorum duce fortissimo occisum: sic futurum ut Achilles haberet dignissimum adversarium, qui Graecis illo quiescente insignem cladem intulisset, cuius morte simul illa clades lueretur. Praeterea vero nobis apparuit nonnullas e Patrocli rebus in Iliade narratis, imprimis quae ad eius mortem pertinerent, repetitas esse e carminibus quibus Achilles ipse ageretur initio de hoc heroë traditas, ut Apollinis partes in eo occidendo, ploratum equorum divinorum, tenebras offusas pugnantibus de mortui corpore cetera quae suo loco enumeravimus [2]).

Quae huius generis sunt leguntur in libris ΡΣ; sed multa in his libris edita ét alia ét huc spectantia vehementer dubitandum est an hausta e fontibus antiquis, a poëtis recentioribus inserta sint Iliadi, ornamenti loco addita Πατροκλείας auctoris poësi. Huic libri Ρ versus 1—129 denegandi non videntur neque enim omittere poterat referre quid Euphorbo factum esset [3]), quomodo Achillis armis potitus esset Hector. Neque dubium quin eum haec induisse, id quod legitur Ρ 192 sqq. narraverit noster, eisque indutum ab Achille occisum esse (Χ 322 sqq.), quod nisi voluisset non finxisset Patroclum ea ab Achille

---

1) Supra p. 10.

2) Supra p. 80.

3) Fortasse Euphorbi exitus iam traditus erat in antiquo carmine quo Patroclum interfecisse narraretur; modo non Menelaus, quippe de quo illius carminis auctor cogitare non poterat (cf. supra p. 6, p. 84 sqq.) sed alius quispiam e Graecorum principibus eum occidisse narrabatur.

mutuatum [1]). Sed et colloquium Glauci et Hectoris quod praecedit (P 140—187) et Hectoris adhortatio sociorum (P 210—232) a qua separare non licet Menelai monita appellantis Graecorum duces (P 233—261), consulto enim haec iuxta posita esse videntur, aperte confiteor indigna videri *Πατροκλείασ* auctore qualem ceteroquin se ostendit insignem ingenio poëtico; displicet Glaucus Hectori nullo iure increpans, displicet Hector ei respondens se non totum diem ignavum se praebiturum (vs. 179 sqq.), magis etiam displicet promittens (vs. 230 sqq.) se si quis Patrocli corpus Graecis eripiat dimidiam partem daturum eius spoliorum quibus nempe ipse iam indutus erat. Rem vero conficere videtur mentio facta de Sarpedonis morte (P 160 sqq.), quam ad *Πατροκλείασ* auctorem nihil pertinere vidimus. Qua propter vss. 130—191 et 210—261 secernendos puto et coniungendos vs. 192 cum vs. 129, vs. 209 cum vs. 262. In sequentibus autem ita ducitur per varios casus narratio pugnae ancipitis ut eius longitudinem descriptio fere aequet, quae minuta diligentia historici potius est quam poëtae, verborumque ponderi quod minime desideratur multitudo tamen nocet imprimis molesta quod festinandum erat ad Achillis in pugnam reditum. Versu P 262 legimus *Τρῶεσ δὲ προύτυψαν ἀόλλεεσ, ἦρχε δ' ἄρ' Ἕκτωρ* tum post duodecim versus rursus vs. 275 *ὦσαν δὲ πρότεροι Τρῶεσ Ϝελίκωπασ Ἀχαιούσ*, qui tamen impetus mox reprimitur ab Aiace neque multum abest quin *Τρῶεσ Ἄρηι φίλοι ὑπ' Ἀχαιῶν Ϝίλιον εἰσανέβησαν*, id quod prohibetur ab Apolline et Aenea et pugna restituitur teste versu 365: *ὧσ οἱ μὲν 'μάρναντο δέμασ πυρόσ*; cumque vs. 384 legamus *τοῖσ δὲ πανημερίοισ ἔριδοσ μέγα νεῖκοσ ὄρωρε* et vs. 424 *ὧσ οἱ μὲν 'μάρναντο, σιδήρειοσ δ' ὀρύμαγδοσ χάλκεον οὔρανον ἷκε*, vix dictu opus est nihil decerni certaminibus quae inter hos versus depingantur, imo in sequentibus res eodem loco manet donec pervenitur ad versum 543 *ἂψ δ' ἐπὶ Πατρόκλῳ 'τέτατο κρατέρη ὑσμίνη*.

---

1) Bergk. v. cl. (in opere cui titulus „Griechische Litteraturgesch." p 627) in antiquissima Iliade Patroclum Achillis arma induisse negat. Quem sequitur Ben. Niese v. cl. (die Entwicklung der Hom. Poesie p. 92). Sed adstipulandum videtur Naberio (Quaestiones Homer. p. 193) Bergkium „levibus quibusdam conclusiunculis efficere hoc conatum"; neque debueram in superioribus (p. 55 in ann. 1 sub fin.; p. 80) in huius ire sententiam.

Quis non sentit non cuncta haec eidem poëtae deberi, sed complures concinuisse alio alium excipiente? Atque totus locus P 274—318 quo Aiacis Telamonii demonstratur virtus, quamvis per se spectatus optime se habeat fortasse haustus ex antiquissimis de bello Troiano carminibus, tamen denegandus videtur Πατροκλείας auctori quoniam sine ullo contextus damno carere eo possumus; item versus qui sequuntur 319—365 quippe quos propter versum 319 „ἔνθα 'κεν αὖτις Τρῶες Ἄρηι φίλων ὑπ' Ἀχαιῶν, Ϝίλιον εἰσανέβησαν" cohaerere pateat cum superioribus; tum locus insequens vs. 366—383 ubi explicatur cur Patrocli mors latuerit Antilochum, hoc enim pertinet ad Antilochi missionem Achillem de ea re docturi, — nam ubi missio narratur (P 640 sqq.) legimus Antilochum rei ignarum a Menelao certiorem fieri — quam missionem mox videbimus Πατροκλείας auctori non posse tribui. Coniungendus igitur videtur vs. 273 cum vs. 384. Postremo autem versus 424—542 — sive potius 412—452 de qua re quoque mox agemus — a poëta nostro abiudicandi videntur. Vs. Π 865 is narraverat Automedontem ab Hectore petitum abstulisse equorum celeritatem. Convenit quod nostro loco P 425 proponuntur μάχης ἀπάνευθεν ἐόντες. Neque hoc offendit quod dolore oppressi οὔτ' ἂρ ἐπὶ νῆας ἐπὶ πλατὺν Ἑλλήσποντον ἠθελέτην ἰμέναι οὔτ' εἰς πόλεμον μετ' Ἀχαιούς, atque optime se habet quod Iuppiter eos consolans, (vs. 451 sq.) „γούνασι δ' ἐν σφῶιν" inquit „βαλέω μένος ἠδ' ἐνὶ θυμῷ, ὄφρα καὶ Αὐτομέδοντα σαώσετον ἐκ πολέμοιο νῆας ἐπὶ γλαφυράς." Quid autem porro? Navesne igitur petunt? Ita censes; revera autem ῥίμφ' ἔφερον θοὸν ἅρμα μετὰ Τρῶας καὶ Ἀχαιούς. Sequitur Automedontis ἱππασία in curru παραιβάτῃ vacuo, colloquium cum Alcimedonte, congressus cum hostibus. His consideratis satis apparet ploratum equorum Iovisque eorum confirmationem, ex antiquo hausta fonte quo ageretur mors Achillis, hic adhibita esse ut facultas daretur inserendi id quod fontis auctor minime cogitaverit, Automedontis volo strenua facta. Iamvero si rogas utrum veri similius sit hoc ἐπεισόδιον deberi Πατροκλείας auctori cui etiam his omissis uberrima materies tractanda erat an poëtae recentiori — neque hercle optimo ἱππασία enim illa satis insulsa est — qui poësi nobili flosculum addere cuperet, vix dubitaveris utrum optandum sit. Reliqua pars libri P i. e. vss. 543—761 ita

cohaerere videtur ut non possis quin uni tribuas auctori. Sed dubitare licet an hic non fuerit Πατροκλείας auctor. De qua re nunc agendum nobis est.

Pars nostra libri P complectitur èt nonnulla certamina (vs. 543—625) in quibus a Troianorum parte excellit Hector, a Graecorum parte complures heroës, èt missionem Antilochi ad Achillem de Patrocli interitu, quae continuatur in libro Σ (vs. 1—35). Quod autem ea missione intenditur, ut Achilles surgat et amici corpus ab hostibus defendat (P 692) sic non impetratur; neque Achilles de hac re cogitat neque Antilochus omnino verbum facit ad eum monendum, lugentibus supervenit Thetis, longum habetur colloquium; mortuum absportassent Troiani nisi Iuno κρύβδα Διὸς ἄλλων τε θεῶν Iridem misisset (Σ 166 sqq.), cuius tandem hortatu id efficitur quod ut fieret frustra missus erat Antilochus.

Hanc rerum compositionem unius poetae deberi ingenio parum veri simile est. Et primum quidem hoc absonum est, non Achilli ipsi quamvis percusso amici morte hoc ante omnia in mentem venisse corpus mortui servandum esse, non Antilocho succurrisse propterea se missum esse ut corpus servaretur. Voluit poëta colloquium Thetidis cum filio interponere uniceque intentus ut id ei contingeret rectam rationem ex oculis amisit. Colloquii quis non admiretur pulchritudinem et splendorem? Sed est „purpureus" quem dicit Horatius „late qui splendeat pannus" cui „nunc non erat locus". Oculos ferit ibi id fuisse inserendum ubi mortuum in lecto positum Myrmidones plorare coeperunt (Σ 355 sq.). Tum demum Achilli otium dabatur indulgendi dolori. Atque vix credibile, poëtam quem fugeret eum debuisse nihil antiquius habere quam defendere Patroclum, Antilochum nihil quam id eum poscere, eundem narravisse hunc ad ipsum eum finem missum esse. Attende vero hoc quoque. Cum Iris Achillem incitare conatur (Σ 178 sqq.) ut surgat hostesque arceat, quid respondet? Pudetne eum obliviosae segnitiae? Imo reluctatur, matrem se vetuisse in aciem prodire dum sibi arma a Vulcano comparasset, neque inter milites Graecorum quemquam esse cuius armis uti possit nisi scuto Aiacis Telamonii. Quam ignava haec sunt, quam indigna fortissimo Graecorum, quam pusilla, ne dicam quam absurda quasi tegi non posset scuto

viri minoris staturae! Ad expediendas has molestias unum praesto est auxilium. Sic ratiocinandum. Utraque missio, Iridis dico et Antilochi, non uni tribuenda est poëtae. Altera debetur Πατροκλείας auctori, alteram in eius locum alter poëta substituit, tertius nescio quis utramque coniunxit. Qui Iridis missionem invenit non tantum voluit Achillem ab ea incitari, voluit simul ab ea prima nuntium afferri de Patrocli morte. Utrique consilio suppetunt deae verba quae leguntur Σ 171 sqq. Πατρόκλῳ ἐπάμυνον, οὗ εἵνεκα φύλοπις αἰνὴ ἕστηκε πρὸ νεῶν, οἱ δ' ἀλλήλοις ὀλέκουσι οἳ μὲν ἀμυνόμενοι νέκυος πέρι τεθνηῶτος, οἱ δὲ ϝερύσσασθαι ποτὶ Ϝίλιον ἠνεμόεσσαν Τρῶες ἐπιθύουσι; his auditis omnia habebat Achilles quae scire opus erat. Itaque deae verba ἀλλ' ἄνα μηδ' ἔτι κεῖσο olim non valuerunt „torporem pelle quo dolor te illigavit" verum „desidiam exue cui indulsisti propter iram" [1]). Ab altera parte is qui Antilochi missionem invenit et hunc narravit assedisse amico torpore percusso, haud dubie finxit deinde incitantem ut in hostes prosiliret, quae instigatio in Iliade nostra praecisa est interposito Thetidis adventu. Alium fuisse qui Iridis, alium qui Antilochi cogitaret missionem, eo quoque confirmatur quod Σ 9 sq. qui locus cum hac cohaeret, discimus Achillem procul viso tumultu Graecorum cogitationem subisse matrem se praemonuisse Myrmidonum optimum ipso vivo a Troianis perditum iri, cum P 410 sqq. quem locum nihil opus est cum Antilochi missione coniungere neque quidquam vetat auctori tribuere Iridis missionis, perhibeatur mortem Patrocli non praesagisse Achillem quippe quem mater cum saepe monuisset neque cum Patroclo neque sine hoc eum Troiam deleturum esse tum non fecisset certiorem de tanto malo quod occidisset comes carissimus. Accedit quod P 268 sq. legimus Iovem tenebras multas offudisse certantium de Patroclo oculis cum nollet eum tradi Troianorum canibus, haec igitur caligo significatur prodesse Graecis, sed P 643 sqq. qui locus rursus cohaeret cum Antilochi missione eadem res prorsus aliter proponitur; ibi enim Aiax e commilitonibus aliquem nuntium ad Achillem missurus queritur, se propter caliginem neminem discernere posse et Iovem precatur ut tenebras dissolvat. Iam vero Thetidis colloquio neutrius missionis auctor

1) Cf. B 689 κεῖτο γὰρ ἐν νήεσσι ποδάρκης δῖος Ἀχιλλεύς.

carere potuit, necesse enim fuit nova promitti arma a Vulcano fabricata, sed cum initio locum obtineret quem supra monuimus unice aptum esse, unde sequitur ut versus qui nunc est Σ 323[a] olim sic se habuerit: ὢσ ὁ βάρυ 'στενάχιζε, atque huic successerit qui nunc est Σ 35[b] ἄκουσε δὲ πότνια μήτηρ, tum Σ 36—148, deinde vs. 344 (ibi autem 'στῆσαν non στῆσαι) —355, tertius ille poëta quem supra dixi, quoniam nullo alio modo utramque missionem coniungere potuit, ibi id collocavit, ubi nunc legitur. Huic igitur debentur ea quae continentur versibus Σ 181—201, quae quam insulsa sint, supra ostendimus, et quae continentur versibus Σ 324—343 quae aliquanto melioris notae sunt, postremo versus qui nunc sunt Σ 149 sq. Qua forma autem poëma erat cum in eo mortem Patrocli Iris Achilli nuntiaret, statim post versum qui nunc est P 411, habebat ea quae leguntur Σ 151 sq. [1]). Nam locum P 424—542 Πατροκλείᾳ demendum esse supra ostendimus cuius auctori mox ostendemus debere Iridis missionem, omnia autem quae post P 542 sequuntur usque ad Σ 35[b] ita cohaerent ut divelli nequeant, atque in iis abinde P 640 ea narrantur quae ad Antilochi missionem pertineant; tum versus quoque P 412 —424 huius auctori assignandi esse videntur propterea quod, cum Iridis missio optime coniungatur cum versu P 411, ubi legimus Achillem a matre non praemonitum esse de amici sorte, maximam enim vim habet ad animum commovendum Achillis mens ignara mali imminentis deinde subito ab Iride edocta, versus nostri quamquam per se spectati bene se habent, eo ipso quod intercedunt nescio quomodo frigent, sed ad ea quae in Iliade nostra eis succedunt optime quadrant. Iamvero locum Σ 153—165 insertum puto sive a tertio illo poëta, sive a recentiore. Nam huius loci causa fere eadem est atque versuum P 412—424, per se spectatus nihil habet quod offendat, hoc offendit quod inutilem moram interponit repetita imago pugnae ancipitis quae in superioribus satis erat descripta. Atque Iovis colloquium cum uxore Σ 356—368, quam propter Iridis missionem perstringit Olympius, olim continuo post ipsam missionem i. e. post versum qui nunc est Σ 202 locum suum ha-

1) Nonnullos viros doctos male habuit quod Minerva, quamvis Iunonis incepti ignara esset, tamen continuo post in parte eius fuit, sed quid obstabat quin dea cum Iridem vidisset colloquentem cum Achille atque hunc surgentem ad eum festinaret?

buisse videtur, transpositum a tertio nostro poëta quem ostendimus inseruisse versus Σ 181—201. Ipsum colloquium vexare nolim. Eo quod dixerat poëta (Σ 167 sq.) Iunonem κρύβδα Διὸς ἄλλων τε θεῶν misisse Iridem, quid aliud significaverat nisi hoc ὑπὲρ μόρον eam egisse? Neque enim id quod fato convenienter fit insciis deis omnibus fit quemadmodum nostro loco Iunonis inceptum omnes deos latet, imo alio loco poëta Patrocli interitum fato deberi significans — id quod supra vidimus [1] — eum compellat δή σε θεοὶ θάνατόνδ' ἐκάλεσσαν; videtur autem Homerus distinxisse inter ea quae fatum ultro constitueret neque sineret eludi, et alia quae non constitueret attamen sineret fieri, quemadmodum in Odyssea Iuppiter queritur (α 33 sq.) saepius mortales sibi mala praeter fatum contrahere. Propterea neque mirum est quod poëta dicit futurum non fuisse ut Patrocli corpus ab amicis servaretur, nisi Iuno misisset Iridem [2]), neque vero quod maritus eam propter audaciam reprehendit, sed hoc non oportuit differri in tempus posterum quemadmodum in nostra Iliade èt Achillis ἀνάστασις et Troianorum contio intermittur. Hanc etiam alienum videtur, id quod obiter moneo, narrari antequam Achillis et Myrmidonum lamentationes, colloquiumque Thetidis cum filio quod initio cum illis cohaesisse vidimus, ad finem perducta essent; quapropter suspicor initio post versum qui nunc est Σ 242 secutum esse versum qui nunc est 316, et qui nunc est 243 successisse ei qui nunc est 356: versum autem 315 insertum esse ab eo qui illa transposuerit et postrema verba vs. 314 quae nunc sunt αὐτὰρ Ἀχαιοί mutata esse cum antea legeretur ἐν τελέεσσιν vel eiusmodi aliquid. Ceterum qua forma poëma erat cum in eo Antilochi non vero Iridis missio extaret, locum P 412—Σ 35^a habebat qualis nunc est, post versum Σ 35^a aliqua in eo aderant quae nunc deperierunt, aberant autem versus Σ 149—202, 356—368.

Aliter quam is qui eorum poesin conglutinavit, auctores missionum Iridis et Antilochi inter summos poëtas haud dubie habendi sunt. Utri si rogas palma tribuenda sit, incertus haereo. Oratio Iridis acerba sua brevitate id habet quo nihil altius pe-

---

1) p. 152.

2) Fortasse in fontibus suis invenit Patrocli corpus ab hostibus abreptum esse.

netrare olim potuerit animos auditorum, nos ὀψιγόνους vix ullum poeseos cuiusvis saeculi exemplar vehementius afficiat. „Age, surge Achilles, defende Patroclum, de corpore mortui hostes et amici certant, Hector studet caput abscidere et palo affigere; ne diutius deses iacueris, pudeat amicum mutilatum ad inferos descendere". Hoc modo Achilles de clade certior fit. Quid vero ille? Quid respondet? Ne verbum quidem. Neque enim respondendum erat, sed agendum — αὐτὰρ Ἀχιλλεὺς ὦρτο Διὶ φίλος — prorumpentis autem etiam vividius exprimitur terribilis aspectus et saevi clamores, quod Minerva fingitur aegidis terrore et voce consona eum prosequens; tum Iovis Iunonisque altercatio collocata inter Iridis ad coelestes reditum et heroïs ἀνάστασιν, nonnihil affert ad augendam rei totius magnitudinem ferocem. Ab altera parte mollius quidem tangimur neque tamen minus commovemur Antilochi nuntio. „Ὤ μοι Πηλέος υἱὲ δαΐφρονος ἦ μάλα λυγρῆς πεύσεαι ἀγγελίης ἣ μὴ ὤφειλε γενέσθαι", quanta miseratio, quanta pietas in dicendi exordio [1]). Brevissime deinde ne amicum ultra quam necesse sit affligat, quid acciderit docet. Tum ante oculos nobis ponit poëta imaginem fortissimorum iuvenum in communi moerore iacentium, alterum humi prostratum caput formosum cinere adspergentem, alterum inter lacrimas non immemorem curae amici, eius manus occupantem ne magnitudine luctus oppressus, ferro sibi mortem consciscat. Sed si quis rogat utra missio, Iridis an Antilochi, adscribenda sit Πατροκλείας auctori, vix dubium videtur quin illa optanda sit. Nam primum quidem nihil veri similius erat quam Achilli ex amicis aliquem pro nuntio venisse, neque igitur si haec narratio antiquior esset eundem ob finem recentior poëta arcessivisset nuntium e coelo. Ab altera parte Iridis missio quia brevius narratur, antiquiorem prodit originem. Nam materies carminis cum recoquitur, consentaneum est dilatari eam non contrahi. Atque brevitas illa magis quadrat ad ceterae Πατροκλείας rationem quam fusior expositio. Quod ut apparet placeat conferre quae in Iliade sequantur post terrorem Troianis incussum subito Achillis con-

1) Ceterum haec nuntii verba quodammodo in formulam abisse inde apparet quod iisdem Antilochum alloquitur Menelaus P 686.

spectu. Quinque ibi versibus (Σ 232—236) proponitur mortuus ex hostium telis ereptus, in Achillis tabernaculum ipso comitante feretro delatus, in lectulum depositus, a commilitonibus plangentibus circumdatus. Optime autem convenit quod eodem modo cunctas res gestas in Πατροκλείᾳ tractatas esse e superioribus apparet, omissis nempe eis quae ob varias causas ab ea secernenda esse iudicavimus. Postremo hoc ipsum, quod Patroclum fato sacrum dei ad mortem vocavisse dicuntur (Π 693) et rursus Iuno sine fati auctoritate se interponens κρύβδα θεῶν egisse dicitur, utroque igitur loco fatum significatur deorum consensu, eiusdem poëtae manum prodere videtur. Ceterum quia constare vidimus [1]) Thetidis cum filio colloquium deberi illius missionis auctori quae antiquior sit, apparet iam id deberi auctori missionis Iridis. Nec arte poëtica inferior est. Matrem enim, eamque deam, lamentantem se filium nec morti maturae eripere posse, nec adeo iuvare contristatum, dum vivat, aerumna perpetua, euntem tamen ne lugenti desit; filium fortissimum omnium aequalium querentem se sibi videri terrae oneri esse qui nullo usu omnes viribus superans amicum non valuerit servare, quem fugiat mirifice reddere eos affectus qui non sint populi vel temporis unius, sed omnibus hominibus communes omni tempore pectora agitaverint?

Pervenimus ad versum Σ 369 a quo inde libri pars extrema continetur Thetidis apud Vulcanum adventu, precibus de armis filio fabricandis, dei armorum fabricatione. Ceteris mihi videtur Πατροκλεία carere non posse, clipei amplam descriptionem excipio. Idque ob nullam aliam causam nisi quod eius ambitus longe superat modum èt quem consentaneum erat poëtam sibi statuere in eiusmodi παρέργοις èt quem revera in ceteris statuisse in superioribus ostendere conati sumus. Quod Vulcanum memorantem audimus (vs. 397 sqq.) se a matre olim e coelo deiectum esse cum a patre se id perpessum in deorum coetu paucis diebus ante dixisset (A 590 sqq.), molestum est iis qui Achilleïdem et Πατροκλείαν uni auctori tribuendas putent, nos alia omnia censentes nihil moramur in hac rem eandem negligentius paulo aliter quam in illa proponi. Sed quae Thetis

1) Supra p. 211 sq.

refert (Σ 448 sqq.) principes Graecorum Achillem oravisse multis promissis donis ut hostium impetum a se defenderet, hunc vero recusantem quominus ipse hoc susciperet, Patroclum suis armis indutum in aciem misisse, de his nobis paulo accuratius agendum est. Fuerunt inter viros doctos qui contenderint aut hoc loco Πατροκλείας auctorem respexisse Πρεσβείαν aut locum interpolatum esse. Quibus assentiendum non videtur. Non hoc consilio poëtam nostrum instituisse opus suum ut carmen conderet quod sua pila staret ipsum patefecisse vidimus cum ita exordiretur (Π 1) ὣς οἵ μὲν περὶ νηὸς ἐυσσέλμοι' ἐμάχοντο quo versu quasi digito indicavit hanc pugnae ad naves conditionem quam descripsit Achilleïdis auctor iis versibus qui nunc leguntur in fine libri Ο. Ab hoc autem rerum statu initium faciens, pro solis occasu quem ille poëta, id quod in superioribus vidimus, sequi narraverat, nunc legimus Θ 584 sqq., proque consilio regum et legatione ab Agamemnone ad Achillem missa, quae continentur libro Iliadis Ι, et regum amicitiae reconciliationem quam nunc habet Iliadis liber Τ, substituens Patrocli cum Achille colloquium, incendium navis Protesilai, Patrocli res gestas et mortem, cetera quae Πατροκλεία habet, auditores haud dubios reliquit quin illa sperneret et negligeret non ἔτυμον λόγον esse iudicans, ipse meliora docturus, neque igitur potuit eo loco de quo nunc agimus respicere Πρεσβείαν. At tamen nihil vetabat eum quasi per transennam strictim enuntiare se non infitias ire Nestorem, Diomedem Ulixen qui ex acie discessissent, heroem iratum adisse et cuncti exercitus verbis larga dona promisisse dum sociis laborantibus auxilio veniret; quodammodo sic significavit quem veri nucleum inesse censeret Πρεσβείᾳ quam ceteroquin respueret. Facere hoc potuit inquam sine ulla repugnantia. An postquam Achillem finxit negantem Agamemnonem sibi benevolum esse (Π 72 sqq.), Patroclum adhortantem ad ita rem instituendam (Π 83 sqq.) ut Graeci sibi Briseïdem restituerent, loco nostro Thetidem proposuit dicentem Agamemnonis spiritus fractos esse, declarasse regem se Briseïde cessurum? Ne verbo quidem. Quod autem Thetis de Patrocli silet precibus, quidni eis supersedere licebat? Causam igitur non video cur locum nostrum censeamus interpolatum esse.

Libri Τ perspicuum est quaecunque ad Μήνιδος ἀπόρρησιν

pertineant a Πατροκλείᾳ separanda esse. Restant vss. 1—34 (sed pro εἰς ἀγορὴν καλέσας requiritur εἰς πόλεμον καλέσαι) 37—41 356 (sed pro ᾤχετο requiritur πάντας) 357—424. Sed Achillis colloquium cum equis i. e. vs. 399—424 vehementer dubito an melius excipiatur, quippe quod alienum videatur a proposito poëtae nostri. Auditu ex equis mortem sibi imminere Achilli non opus erat, satis superque eius rei gnaro, frustra eis ob hanc causam Iuno vocem praebet. Ex antiquissimo sane mytho haustus qualibus in Thessalia Achillem celebratum fuisse nemo nescit, e quorum numero supra vidimus [1]) complures in Iliade tangi, a poëta recentiore locus noster insertus esse videtur.

Librum totum Υ et maximam partem libri insequentis (usque ad vs. 525) Πατροκλείας auctori abnegavit Naber [2]). Quocum magna ex parte consentio neque tamen ex omni parte. Nam versus Υ 1—3, 156—158ᵃ, 364ᵇ—405, 456—503 retinendos puto. Naber versum Υ 398 coniungit cum Φ 526. Sic vero aliqua desiderantur. Versibus Υ 365—398 poëta descripserat Achillem arma induentem, Automedontem et Alcimum equos iungentes, illum in currum ascendentem. Versu Φ 526 sqq. legimus: εἱστήκει δ' ὁ γέρων Πρίαμος θειοῖ' ἐπὶ πύργου εἰς δ' ἐνόης' Ἀχιλῆα πελώριον αὐτὰρ ὑπ' αὐτοῦ Τρῶες ἄφαρ 'κλονέοντο πεφυζότες, οὐδέ τις ἄλκη 'γίγνετ'. Aegre sic requiritur èt pugnae èt fugae initium, quod utrumque bene supplent versus quos supra diximus. Legimus enim Υ 1—3 ὣς οἱ μὲν παρὰ νηυσὶ κορώνισι 'θωρήσσοντο ἀμφί σε Πηλέος υἱὲ μάχης ἀκόρητον Ἀχαιοί, Τρῶες δ' αὖ ἑτέρωθεν ἐπὶ θρῳσμῷ πεδιόοιο et Υ 156—158ᵃ Τῶν δ' (i. e. Graecorum et Troianorum) ἅπαν 'πλήσθη πέδιον καὶ ἐλάμπετο χαλκῷ ἀνδρῶν ἠδ' ἵππων, 'κάρκαιρε δὲ γαῖα πόδεσσιν ὀρνυμένων deinde 364ᵇ Τρώεσσι δὲ φαίδιμος Ἕκτωρ 'κέκλεθ' ὁμοκλήσας, 'φάτο δ' ἀντ' ἰμέναι Ἀχιλλῆος, quibus apte succedunt verba Apollinis monentis ne Achilli obviam eat Hector et huius recessus intra suorum turbam (vs. 366—380), Achillis autem impetus (vs. 381—382ᵃ) et strages hostium (382ᵇ—405, 456—489), tum comparationes aliquae quibus haec illustrantur (vs. 490—503); his bene se applicant versus Φ 526 sqq.

Iamvero ex iis quae Naber affert ad probandam sententiam

1) p. 80.

2) l.l. p. 200 sqq.

suam, complura virum clarissimum acute et vere disputasse puto. Et primum quidem de Θεομαχίᾳ agens, cuius altera pars legitur Υ 4—74 altera Φ 383—425, „admirabili consilio" inquit, Υ 26 sqq. „Iuppiter deos et deas iubet pugnae interesse ne forte Achilles contra fatum urbe potiatur". „Nam plures erant dii qui Graecis favebant quam Troianis" [1]). „Postquam autem satis diu adstete-runt in acie tandem sequenti libro videbimus quem exitum deorum pugna habuerit. Scilicet est haud dubie victoria penes Graecorum deos, reliqui solis exceptis Minerva et Apolline redeunt in coelum nec tamen Troia ab Achille capitur". Sed „poëta etiam obliviosus est neque recordatur ipse cur dii in campum descenderint: facit enim Iunonem (Υ 125) ita dicentem πάντεσ δ' Ὀλύμποιο κατήλθομεν ἀντιάοντεσ τῆσδε μάχησ ἵνα μή τι μετὰ Τρώεσσι πάθῃσιν (Ἀχιλλεὺσ) σήμερον". Rectissime sane haec sunt monita, neque minus recte addidit vir clarissimus ridicule se gerere deos, testibus imprimis versibus Φ 380 sq., 463 sq., 389 sq., 396 sq., 426 sq., palmam autem stoliditatis iure contendit praeripere vs. 502 sq. ὣσ ἄρ' ἔφη, Λητὼ δὲ συνήνυτο κάμπυλα τόξα πεπτεῶτ' ἄλλυδισ ἄλλα μετὰ στροφάλιγγι κονίησ [2]). Quod autem post priorem Θεομαχίασ partem sequitur certamen singulare Achillis et Aeneae (Υ 75—364[a]), in superioribus demonstravimus haustum esse e carmine ante Homeri aetatem condito, sed insertum est ab alio poeta non a Πατροκλείασ auctore quippe ad cuius propositum prorsus inutile sit. Tum Achillis et Hectoris certamen incohatum (Υ 419—454) etiam magis in

1) Antequam Iuppiter consilium declarat, Themidem iubet omnes deos advocare (Υ 4 sqq.), quo fit ut omnes quoque fluvii, Oceano excepto, omnesque Nymphae in Olympum ascendant. Ingeniose vLeeuwen suspicatur (in Comm. Exeget. 1912) poëtam sic mutasse fabulam vetustam in qua deus non Olympius sed Idaeus non cuncta numina in bellum mitteret sed suos fluvios et suas Nymphas iuberet Troianis adversus Achillem et deos peregrinos opitulari, quemadmodum mox Scamander revera iis auxilium tulerit. Ita viro clarissimo assentiri possum, si ea fabula censetur in Troianorum agro pervulgata fuisse antequam prima carmina de bello Troiano a Graecis poëtis panderentur neque igitur ad hoc bellum initio pertinuisse. Nam si primi cantores belli Troiani deum Idaeum cum cognoscerent, distinxissent ab Olympio, manifesto ne posteriores quidem, id quod alio loco demonstravi (cf. supra p. 148), eos pro eodem habuissent. Ceterum quoquomodo haec res se habet, nullo modo eam vim habet ut desinamus vituperare poëtam qui in Iliadem eam fabulam adhibuerit. Ita enim contorte et inepte eam proposuit ut omnis ratio absit.

2) vLeeuwen monet (l.l.) vocibus κάμπυλα τόξα hic sagittas una cum arcu designari Sane. Sed id ipsum absurdum est.

oculos incidit poëtae huic abiudicandum esse, nam repugnat Apollinis consilium Hectori datum cedendi, utque hoc recte se habet ita illud friget. Etenim Achilles et Hector sicubi congrederentur, huic esse succumbendum adversario neque fieri posse quin imminueretur rei vis et effectus si non primo statim certamine sed altero vel tertio demum Achilli contingeret ut pro Patrocli morte interfectorem ulcisceretur, si ante aut aequo Marte discederetur aut tamen Hector e vitae periculo evaderet; auditorum autem animos intentos in congressus eventum non oportere differri et duci, haud dubie intellexit poeta summus qui poëmatis de quo agimus argumentum mente concepit. Ab altera parte non poterat eum fugere victoriam ex Hectore reportatam caput et summam esse cladis ab Achille Troianis illatae, debere igitur ceteras huius res gestas praecedere, concludi Hectoris exitu, neque tamen hunc fingendum esse metu adductum certamen detractantem quod et ipso indignum foret et quo fieret ut dignus non esset Achille adversario. Is cuncta haec felicissime expedivit cum Apollinem arcesseret qui Hectori auctor esset ne Achilli obviam iret, et liquido apparet miserrime omnia conturbasse eum qui certamen illud incohatum insereret. Ceterum cum hoc quoniam cohaeret Polydori clades (Υ 407—418) haec una cum eo resecanda est, qua propter praecisis versibus 406 et 455, versum 456 coniunximus cum versu 405. Postremo libri Φ versus 1—382 — nam versibus 383—525 continetur altera Θεομαχίας pars de qua iam egimus — cur displiceant restat ut ostendatur. Quae libri initio narrantur (vs. 1—33) paucis sic comprehendo [1]: altera pars Troianorum recta urbem petivit, altera urgente Achille dextrorsum deflexit, dein cum ad ripam Scamandri pervenisset hunc per vadum traicere conata est ut in montium saltus posset se conicere; cuius vadi spatium quoniam multo erat angustius quam quod omnes qui simul illuc ruebant recipere posset, multi fugientium de ripae praeruptae saxis in ipsum fluminis alveum inciderunt. Haec si per se spectantur optime se habent, verum cum nusquam Achilles dicatur cursum a flumine avertere, contra omnes eius res gestae quae narrentur nostra libri Φ parte, agantur aut in Scamandri ripis

1) Leeuwenii utor verbis cf. Comm. Exeg. 1912 p. 736 sq.

aut in flumine ipso, ac nihilominus abinde versu 526 fingatur proxime accedens ad urbem, satis causae esse videtur cur versus 1—33 quoque tribuamus illi poetae vel, si plures fuerint, uni ex illis qui has res gestas inseruerint. Et primum quidem hic offendimus eius congressum cum Lycaone (Φ 34—135), qui quamvis multa habeat quae arte poetica excellant, tamen Lycaonis iterum comprehensi casus fuse enarratus et Achillis verbositas in occisi nece triumphantis, haud dubie hausta e carmine vetustiore [1]), nostro loco prorsus aliena sunt. Sequitur certamen cum Asteropaeo consertum (Φ 136—210) cui rursus antiquum carmen pro fonte fuisse videtur [2]). Achillem hic non modo verbosum sed loquacem iure dicas, ridicule autem, quod non fugit Naberium [3]), hostem mortuum allocutus, genus suum paternum recenset et de matre dea tacens gloriatur se tertium esse a Iove. Tum proelium narratur a Scamandro initum (Φ 211—281) quod ipsum quoque veri similiter censeas ex antiquo derivatum carmine [4]). Sed narrationem qualem nostro loco habeamus rectissime Naber hiare monuit [5]). Rogat enim Scamander Achillem ne mortuorum corporibus fluminis cursum impedire velit (vs. 219), concedit Achilles (vs. 223 sqq.) nec tamen desistit a caede (vs. 227 sqq.). Scamander Apollini exprobrat (vs. 229 sqq.) quod Troianorum interitum non curet, sed antea ne ipse quidem curarat si quidem ad Achillem dixerat (vs. 216 sqq.) *εἴ τοι Τρῶασ ἔδωκε Κρόνου παῖσ πάντασ ὀλέσθαι, ἐξ ἔμεθεν ἐλάσασ πεδίον κάτα μέρμερα ῥέξε.* Apollo nihil respondet, nec opem fert laborantibus Troianis nec laboranti fluvio. Denique ne verum quidem est quod Scamander retulit vs. 229 sq. Iovem iussisse Apollinem adesse Troianis, liberum enim deis arbitrium dederat Iuppiter Υ 25. Sed ne Achilles quidem servat quod spoponderat, nam neque Scamandro parcit et in fluctus insilit vs. 233. Iure haec Naber usque quaque absurda esse iudicat.

Extremam partem libri Φ Naber integram *Πατροκλείασ* auctori assignat. Cui adstipulari nequeo. Nam de Achillis cum Agenore congressu Φ 544—X 4, X 7—24 non alio modo iudicandum puto atque de eiusdem certamine cum Aenea deque priore certamine

1) Cf. supra p. 36.
2) Cf. supra p. 61.
3) l.l. p. 204.
4) Cf. supra p. 46.
5) l.l. p. 205.

cum Hectore, credibile non esse ita non poëtam nostrum circumscripsisse argumentum propositum ut moraretur in Παρέργοισ quae eo non facerent. Aliter res se haberet si poëma nostrum farrago esset e carminibus antiquioribus conglutinata nullo interioris cohaerentiae vinculo, sed quamvis èt Πατροκλείᾳ et Ἕκτοροσ ἀναιρέσει vetusta carmina pro fontibus fuerint, manifesto tamen novi quid et penitus cohaerens ex his poeta effecit. Atque saltem Achillis et Agenoris congressum nihil est cur ex antiquo fonte derivatum credamus. Quod autem complures viri docti multi fuerunt in demonstrando suo iure poësin epicam nectere moras (teutonice: „retardirende Momente") et fuse („in Epischer Breite") singula persequi, quoniam haec lex efficitur ex ipsa Iliade qualem eam nunc habemus iisque poëmatis, quibus ut Vergilii Aeneïdi illa pro exemplo fuit, in circulo vertitur qui eam legem affera tut poëmatis auctori vindicet quaecunque quasi per satiram eius argumento inmixta sunt. Ab altera parte quid magis in promptu, quid convenientius naturae humanae, quam ut quo tempore epica poësis floreret et vigeret, multi poëmatis laudibus incenderentur ut ipsi quoque aliquantulum conferrent ad id exornandum? Ne multa; coniungendos censeo vss. Φ 543, X 5, 6, 25 sqq.

In sequentibus autem Naberio iure neganti retinere posse vss. X 46—53 quibus Priamus de filiis Lycaone et Polydoro loquitur, ita assentior ut etiam vs. 45 abesse malim. Quid autem quod damnat vir clarissimus vss. 111—130, 167—187, 254—259, 261—269, 281—288, 323, 328—329, 335—366? Versum 323 quem propterea eicit, quod sibi persuasit [1]) Hectorem non induisse Patrocli arma, de ea re qui aliter sentit retinendum putabit. Quod autem Naber repugnare censet Λ 353 ubi Hectoris galea dicitur Apollinis donum, nihil huc facit si nobiscum ab Achilleïdis auctore ad quem ille locus pertinet, Πατροκλείαν abiudicas; porro quod vir cl. suo iure Hectoris verba quae sequuntur (P 231 sqq.) damnat, inserta haec esse a poëta recentiore demonstravi supra [2]). Tum vss. 111—130, 167—187, 281—288 Naberio videntur languere, aliis fortasse placent, equidem do nihil desiderari si absint, ferri tamen posse arbitror. Sed vss.

1) l.l. p. 188.   2) p. 208.

254—259 ubi Hector conditionem proponit de tradendo mortui corpore, 261—269 quibus eam abnuit Achilles, 335—336 quibus Hectoris corpus canes laceraturos praedicit, 337—366 ubi moribundus hic precatur ut corpus suum parentes redimere Achilles sinat, et precibus spretis inimico mortem vaticinatur, 328—329 quibus explicatur qui fieri potuerit ut Hector quamquam δι' αὐχένος ἤλυθ' ἀκωκή (vs. 327) tamen vocem ruperit, propterea Naber resecandas censet, quoniam non dubitat quin vs. 393 poëta destiterit, neque igitur tradiderit vexasse Achillem inimici corpus (vs. 395—404). At fac hoc ita esse, inde non sequitur ut illa retineri nequeant. Ab altera parte negare non licet optime ceteris omnibus careri posse, tantum vs. 335 sq. ita convenit ut potius retineas. Sed imprimis hoc molestum est quod Hector iugulo perfosso satis longa utitur oratione, nam quod additur versibus 328—329 ad id expediendum, iure Naber frigidum dicit inventum. Etiam vss. 372—375 alienos puto, neque enim iocos militares apte afferri ad rem tragicam.

Utrum poëta noster concluserit versu qui nunc legitur X 393 an versus quoque X 394—404 ei assignandi sint non decerno, utrumque enim aeque credibile videtur. Sed prorsus assentiendum est, ex iis quae deïnde habeat Ilias, nihil addendum esse. Auditoribus illo poëmatis exitu non satisfactum esse, flagrasse studio cognoscendi pater, mater, uxor heroïs occisi, quo animo quo planctu accepissent tantum mali, quo honore Achilles amici funus celebrasset, denique quid factum esset Hectoris corpore, negabit nemo. Sed ad argumentum natura sua definitum quod poëta sibi proposuisset haec non pertinebant; ab altera parte mirum fuisset si materiem ab eo rite relictam nulli occupassent alii. Itaque id quod iam saepius animadvertimus hic quoque videmus, multa in Iliade legi quae egregie placeant sed nihilo minus liquido appareat inserta esse.

Superest ut e superioribus computemus versuum numerum quibus consistat Πατροκλεία ceteraque eiusdem auctoris poësis. Sunt autem hi:

Π 1—167, 198—341, 351—371, 684—697, 784—867.

Ρ 1—129, 192—209, 262—273, 384—411.

Σ 151—152, 166—180, 202, 356—368, 203—242, 316—322, 323^{a} (mutato στενάχων in 'στενάχιζεν) 35^{b} (abinde ἄκουσε)

—148, 344 (mutato στῆσαι in 'στῆσαν) —355, 243—314 (mutato αὐτὰρ 'Αχαιοί in ἐν τελέεσσι), 369—481, 609—617.

Τ 1—34 (mutato εἰς ἀγορὴν καλέσασ in εἰς πόλεμον καλέσαι), 37—41, 356 (mutato ᾤχετο in πάντασ), 357—398.

Υ 1—3, 156—158ᵃ, 364ᵇ—405, 456—503.

Φ 526—543.

Χ 5—6, 25—44, 54—110, [111—130?], 131—166, [167—187?], 188—253, [254—259?], 260, [261—269?], 270—280, [281—288?], 289—327, 330—336, 367—371, 375—393, [394—404?]

Poëma hoc niti duplici quasi fundamento ex antiquis hausto fontibus sequitur ex iis quae in superioribus demonstrare conati sumus [1]), aliis carminibus celebratas esse Patrocli res gestas et mortem Apollinis ope ei illatam ab Euphorbo, aliis certamen quo congressi essent Hector et Aiax Telamonius, ille autem victus occidisset. Duplicem hanc materiem noster ita coniunxit et reformavit ut prorsus novum inde argumentum existeret: Patroclus ab Achille rogatu suo ipsius armis indutus in proelium missus, ab Euphorbo et Hectore Apollinis ope interfectus, ultor Achilles post magnam Troianorum clade Hectore devicto et necato. Applicavit noster poësin suam ad Achilleïdem quo loco in hac proponebatur summum navium discrimen, substituens suum opus pro illius poëmatis parte posteriore, Achillem fingens, nullis ab Agamemnone legatis missis, cum amico querentem regis superbiam. Aliter atque Achilleïdis auctor Apollinem auxilium praesens Troianis Hectori imprimis tulisse ratus est; Graecorum ducibus quos ea habuit, addidit Peneleum,; Troianorum principes praeter Hectorem et Paridem appellavit Panthoum, Euphorbum, Polydamentem, Deiphobum, cunctos e priscis carminibus iam diu cognitos. Etiam Othryntei filium Iphitionem ab Achille occisum (Υ 382 sqq.) eiusmodi fonti debuisse videtur [2]). Praeterea vix dubium quin arma Achilli Thetidis rogatu a Vulcano fabricata, lamentationes Thetidis mortem filio instantem deplorantis, mentio Vulcani a matre e coelo deiecti ex antiquis fontibus ad bellum Troianum nihil pertinentibus derivata sint.

---

1) p. 10, p. 15. 2) Cf. supra p. 47.

d. *Qua maxime ratione ex Achilleïde Ilias facta sit.*

Is qui Achilleïdem duplicem in superioribus pertractatam in unum poëma coniunxit, quomodo rem instituerit docet ipsa quam nunc habemus Ilias. Nam ex hac apparet eum, id quo nihil magis in promptu erat, legationis ad Achillem missae exitum ita mutasse ut reverterentur legati re infecta; cladem autem Graecorum ab Agamemnonis vulneratione ortam quam in priore Achilleïde legatio sequeretur, post eam collocasse ita ut pro solis occasu qui in illa Troianorum victoriam terminasset et contione horum nocturna deinceps habita, sequeretur Achillis cum Patroclo colloquium, incendium Protesilai navis, Patrocli res gestae et mors, arma coelestia filio a Thetide petita, non aliter ac in Achilleïde altera; tum inter arma Achilli a matre allatae et Achillis reditum in aciem quo Troiani profligarentur interficeretur Hector, inseruisse Agamemnonis cum Achille gratiae reconciliationem quae in Achilleïde priore continuo post legationem sequeretur; postremo cum iam desideraretur pugna Graecis adversa ante legationem commissa, ipsum eam confinxisse quae Κολὸσ μάχη nomine Iliadis nostrae libro Θ proponitur, eamque finivisse solis illo occasu quo in Achilleïde priore finiretur Graecorum clades, ita ut èt hic èt Troianorum contio quae eum sequitur eodem ante legationem loco quem in illa haberet, retineretur. Aptissime nostrum assecutum esse propositum suum haud cunctanter pronuntiaveris, nam quamquam singula considerantem latere non possunt eiusmodi inconcinna quae diversitatem auctorum haud dubie arguant, tamen si poëtas omittis et poëma solum spectas, compositionis summa minime reprehendenda videtur. Heroëm fortissimum gravi iniuria ab expeditionis duce affectum, cum et ipse recusasset ne amplius proeliis interesset et a summo deo impetrasset ut quamdiu bello abstineret hostes vincerent, neque verbis supplicibus neque pollicitationibus regis et exercitus mente mutata, mox tamen amico roganti dedisse ut cum suis militibus, suis armis indutus sociis laborantibus auxilio veniret, atque illo post multa fortia facta ab hostium duce occiso, surrexisse ad eum ulciscendum, ultro cum imperatore in gratiam redisse, in hostes invasisse,

magna eorum strage edita denique interfectorem petitum necavisse: huc redit argumentum Iliadis quod optime se habere ecquis negat? Nihilominus quamvis haec ita sint arte poëtica non excelluisse διασκευάστην nostrum, sic enim eum appellare licet, confitendum est, siquidem, id quod multi viri docti viderunt, ante omnes Naber demonstravit [1]), illa poëmatis pars quam solam illi debemus, Κόλον μάχην dico, minus commodas habet scenae mutationes rerum conversiones victores qui modo victi erant et contra [2]), atque praeterea velut cento est e variis locis comportatus. Ipsa huius poëseos ratio, id quod obiter notare libet, qua ceteris omnibus fere Iliadis partibus est posthabenda, permira sit si tota Ilias tribuatur auctori uni, sin vero hic habemus supplementum διασκευάστῃ debitum, nihil est cur miremur.

Iam vero eo ipso quod Κόλος μάχη magnum exhibet versuum numerum „quorum ea est ratio" ut iterum Naberii utar verbis „ut saepe aliunde desumti possint videri, raro autem octavus liber fons sit reliquorum locorum", interest nostra accuratius hanc rem considerare, quo appareat quae Iliadis partes praeter Achilleïdem et Πατροκλείαν cetera quae huius auctori debentur, διασκευάστῃ nostro praesto fuerint. Et primum quidem animadvertimus versum Θ 68 eundem esse ac Π 777 qui versus legitur

1) l.l. p. 141.

2) Documento sit libri conspectus quem dat Naber l.l. p. 141 „Post deorum concilium a Iove advocatum fit proelium atrox donec Iuppiter duas aequato examine lances sumsit et fata imposuit diversa duorum. Exin post meridiem inclinatur Graecorum acies. Fulminibus ex Ida territi undique fugiunt, sed restituit pugnam Diomedes occiso Hectoris auriga. Hinc metuens ne Graeci Troianos usque ad urbem repellant ipse summus Iuppiter identidem tonans fulgurans Diomedem cogit convertere currum. Sequitur breve colloquium Iunonis et Neptuni. Frustra soror fratrem hortatur ut Graecis auxilio sit Interim Graeci sensim complerant intervallum quod inter murum et fossam erat et Hector iam poterat sperare fore ut naves incenderentur. Sed Iuno ipsa animum addit Agamemnoni eumque hortatur ut pugnam renovet. Postquam rex sociis exprobravit ignaviam et Iovem precatus est ut perniciem a classe avertat miseratus Graecorum calamitatem, pater deorum mutat consilium eosque missa aquila fausto omine recreat. Exin Graeci extra fossam prorumpunt eduntque ingentem stragem, sed mutatis partibus Iuppiter iterum adest Troianis et Hector Graecos intra munitiones repellit. Ancipitem pugnam de summa arce Iuno et Minerva indignabundae aspiciunt, itaque parant Graecis auxilium ferre, sed cum in eo est ut de Olympo descendant, conspicit eas Iuppiter et per Iridis ministerium domum eas ire iubet. Ipse quoque paulo post redit in Olympum ut rideat dearum irritos conatus et deinde profitetur postero die quam diu Achilles absit a pugna insignem se daturum Hectori victoriam, postremo sol occidit".

in ἐπεισοδίῳ quo Cebrionae clades agitur (Π 727—783), sed cum solus sit illi cum Κόλῳ μάχῃ communis isque eiusmodi ut facile e quovis carmine antiquiore depromi potuerit — est enim hic: ἦμος δ' ἠέλιος μέσον οὐρανὸν ἀμφιβεβήκει — nolimus eum adhibere. Tum Θ 29 sq. idem est ac Χ 183 sq., qui versus utrum Πατροκλείας auctori dandi sint an cum Naberio pro insitivis habendi supra censuimus [1]) non constare, qua propter item omittimus. Ceteri versus de quibus inquirimus repetiti sunt e libris Γ Δ Ε Ν Ο (Γ 127 = 251 = Θ 71, Δ 20—25 = Θ 457—462, Δ 446—451 = Θ 60—65, Ε 40—42 = Θ 258—260, Ε 221—223 = Θ 105—107, Ε 719—721 = Θ 381—383, Ε 733—737 = Θ 384—388, Ε 745—752 = Θ 389—396, Ε 787 = Θ 228, Ν 23—26 = Θ 41—44, Ν 420—423 = Θ 331—334, Ο 1—3 = Θ 343—345, Ο 367—369 = Θ 345—347), supra autem demonstravimus [2]), si discedas a paucis aliquibus ἐπεισοδίοις vel versuum fasciculis per libros de quibus agimus dispersis, auctorem libri Γ eundem esse ac libri Δ et libri Ε, libri Ν eundem ac libri Ξ et libri Ο. Inter ἐπεισόδια quae excepimus, Τειχοσκοπίαν esse (Γ 121—244) ostendemus suo loco, hic notamus Κόλῳ μάχῃ cum illa unum versum communem esse, hunc autem versum (Γ 127 = 251 = Θ 71) cum nihil habeat nisi hoc „Τρώων θ' ἱπποδάμων καὶ 'Αχαιῶν χαλκοχιτώνων" non eiusmodi esse ut inde quidquam efficere liceat. E libris Ν Ο Ξ excepimus [3]) nonnisi versus Ν 136—155, Ο 593—595, 653—658, 674—67 quorum nullus in Κόλῳ μάχῃ recurrit, sed cum eos Achilleïdi dandos esse ostenderimus, apparet omnia quae contineantur libris illis origine antiquiore esse quam Κόλον μάχην. De libris autem Γ Δ Ε in praesentia satis habemus concludere maiorem eorum partem originis aetate superare Κόλον μάχην.

In libris Ν Ξ Ο amplum locum obtinent res gestae Idomenei, id vero ita ut quo loco in his libris primum inducitur (Ν 210), poëta significet se non dubitare, quin auditores eum inter duces belli Troiani iam cognoverint, nam patriam patrem fortunam omittit. Tamen ex iis quae in superioribus disseruimus [4]) cum sequatur nihil esse cur credamus ullis quae ante Homerum essent de

---

1) p. 221 sq.
2) p. 190 sq., p. 196 sq.
3) p.p. 197 sqq.
4) Cf. p. 139 sqq.

bello Troiano carminibus laudatum esse Idomeneum, fieri non potest quin aliquis ex Iliadis auctoribus primus eum in bellum Troianum induxerit. Inquirendum igitur videtur quibus locis Iliadis ubi primum appelletur in aliquo contextu qui proprio auctori deberi credibile sit [1]), ita proponatur ut simul cum auditoribus communicetur quis sit genere et natione. Sunt autem huius generis nonnisi loci tres. Quorum primus invenitur in Catalogo navium ubi legimus (B 645): Κρητῶν δ' Ἰδομενεὺσ δουρὶ κλυτὸσ ἡγεμόνευε, alter in Τειχοσκοπίᾳ (Γ 230 sqq.): Ἰδομενεὺσ δ' ἑτέρωθεν ἐνὶ Κρήτεσσι θεὸσ ὣσ ἕστηκ' ἀμφὶ δέ μιν Κρητῶν ἀγοὶ ἠγερέθονται, tertius in Ἀγαμέμνονοσ ἐπιπωλήσει (Δ 251 sqq.): ἦλθε δ' ἐπὶ Κρήτεσσι κιὼν ἀνὰ Ϝοὔλαμον ἀνδρῶν, οἱ δ' ἀμφ' Ἰδομενῆα δαΐφρονα 'θωρήσσοντο". Primum locum ex his omittere licebit, neque enim quisquam putaverit in Catalogum receptum esse Idomeneum antequam in cetera Iliade aliquas partes egisset; Τειχοσκοπίαν et Ἀγαμέμνονοσ ἐπιπώλησιν inter ea ἐπεισόδια esse quae maiori parti librorum Γ Δ Ε altera manu addita sint, propterea suspicari licet, quod salvo ceterorum quae in his libri narrantur contextu auferuntur, nihil habent quo illi opus sit; atque aut eidem auctori tribuendae sunt aut Ἐπιπώλησισ recentior est nam Τειχοσκοπίαν quodammodo explet, in hac enim appellantur Agamemnon, Ulixes, Aiax, Telamonius, Idomeneus, in illa rursus eidem sed praeterea Nestor Menestheus, Diomedes, Sthenelus, Aiax alter. Concludimus maiorem partem librorum Ν Ξ Ο origine recentiorem esse quam Τειχοσκοπίαν, fortasse etiam quam Ἀγαμέμνονοσ ἐπιπώλησιν, quae ἐπεισόδια ipsa recentiora sunt quam maior pars librorum Γ Δ Ε quippe cui inserta sint. In hac autem cum iam sequatur fieri non posse ut Idomenei mentio facta sit, quippe quem Τειχοσκοπίασ auctor in Iliadem induxerit, etiam locus Ε 43—47 quo solo praeterquam in Τειχοσκοπίᾳ et in Ἐπιπωλήσει in his libris commemoratur — narratur autem ibi eius certamen cum

1) Cur eiusmodi tantum locorum ratio habenda sit hac in re, exemplo patefiet. Ψ 450 Idomeneus vocatur Κρητῶν ἀγοσ sed Ψ 113 qui primus locus est libri Ψ ubi commemoretur, mentio eius facta erat neque patre neque patria additis. Itaque Ἆθλων ἐπὶ Πατρόκλῳ auctor, qui haud dubie idem est ac Τάφου Πατρόκλου auctor, tamen sibi proposuit eum inter belli Troiani duces cognitum habere auditores. Ut etiam Ν 259 vocatur Κρητῶν ἀγόσ, sed Ν 210, id quod supra monuimus, primum in libro Ν commemoratus, nomine solo indicatus erat.

Phaesto, Bori filio Maeonio — fieri non potest quin recentiore manu insertus sit, eaque fortasse eadem atque Τειχοσκοπία, neque enim quidquam magis in promtu erat quam ut ab eodem qui Idomeneum induxisset in Iliadem, etiam aliquod fortutidinis eius exemplum laudaretur. Accedit, id quod supra monuimus [1]), quod auctor loci E 43—47 cum ab Idomeneo narret necatum esse Phaestum, quem quamvis ex urbe Tarne oriundum tradat ipso nomine suo apparet initio fuisse heroëm eponymum urbis Phaesti in insula Creta sitae, in usum suum convertisse videtur carmen antiquum ad bellum Troianum non pertinens, quod optime convenit ei qui primus Idomeneum belli Troiani participem fecerit. Ceterum cum paene ubicunque Idomeneus in acie prodit iuxta eum comparet comes Meriones, vss. quoque E 59—68 ubi hic narratur interficere Phereclum Tectonis filium, eidem poëtae atque vss. 43—48 tribuendos censeo. At de Merione pauca aliqua addere placet. Hic enim quamquam plerumque Idomenei comes est, in Achilleïde, quam Idomeneum non habuisse èt sequitur ex eis quae modo demonstravimus èt nobis iam apparuit cum illius poëmatis ambitum descripsimus [2]), solus tamen appellatur duobus locis (I 83, T 239) idque ita ut neque addatur patria neque pater, quamvis non magis quam de Idomeneo ullum extet indicium unde efficias eum iam ante Homeri aetatem in bellum Troianum inductum esse, Iliadis autem antiquissima pars ipsa Achilleïs sit. At utroque loco personam agit minoris momenti, altero enim (I 83) est inter septem praefectos custodiarum quorum quisque centum ducit milites, altero (T 239) cum septem aliis eum eligit Ulixes per quos curet Agamemnonis dona Achilli subministranda, cumque simul cum Merione inter illos custodiarum praefectos sit Deïpyrus quidam (I 83), inter donorum administratores Melanippus quidam (T 240), quorum neutrius per totam Iliadem aut pater aut patria commemoratur [3]), nihil vetat credere Irae Cantorem ut sescenties fit apud Homerum ubi aguntur homines de plebe, arripuisse nomen aliquod quod ei sive e carmine aliquo sive aliunde acceptum ob animum versaretur, alios poetas

1) p. 139 sq.

2) Supra p. 187 sqq. cf. imprimis p. 202, cf. etiam p. 205.

3) Alius Melanippus natione Troianus ab Antilocho interfectus filius Hicetaonis dicitur O 547 sqq.

postquam Idomeneus in bellum Troianum receptus esset eodem nomine usos esse ut huic comitem adderent [1]).

Supra vidimus maiorem partem librorum N Ξ O recentiorem esse quam Τειχοσκοπίαν. Sed etiam recentior est quam Τειχομαχία [2]). Nam versu O 3 haud obscure illa spectatur, ubi dicuntur Troiani Iove dormiente e castris Graecorum repulsi esse ad eum locum ubi currus suos reliquisse narrati erant M 80 sqq. Repugnare videtur locus M 113—117 ubi tangitur mors Asii ab Idomeneo trucidati, quae res narratur N 381—401. Sed nihil dubii quin locus ille interpolatus sit, absurdum enim est quod ibi profertur, Asii stultitia factum esse, utpote qui currum relinquere noluisset, ut Idomeneus eum interfecerit. Re vera inter utramque rem nullam intercedere rationem in oculos incidit inspicienti locum N 381—401; alter locus videtur deberi scioli alicuius praeposterae solertiae [3]). Ceterum Τειχομαχία ipsa condita est post quam locus Λ 806—848 ubi narratur Patrocli cura adhibita Eurypylo vulnerato, nam tangitur haec M 1 sqq. Atque haec, id quod demonstratu non opus est, aut eidem debetur aut recentior est quam Νέστορος καὶ Πατρόκλου ὁμιλία (Λ 596—805), cuius auctori etiam tribuendum esse locum Λ 501—520 inde apparet, quod manifesto propterea Alexander Machaonem vulnerasse narratur et Nestor eum secum ex acie abduxisse, ut inseri possit Ὁμιλία. Sed Λ 501 appellatur Idomeneus, idque rursus ita ut haud dubie auditoribus cognitus esse habeatur, qui locus igitur recentiore est origine quam

---

1) Antiquum carmen spectare videntur quae de Merionis galea narrantur ei dono data ab Amphidamante hospite Cythereo K 261 sqq. Ibi patris quoque Moli nomine mentio fit qui semel in Iliade recurrit (N 249). Poëtae qui post Homerum vixerunt cum finxerunt Idomenei fratrem sed galeae ἱστορία indicio est nullam ei initio cum insula Creta intercessisse rationem. — Itaque minus recte in superioribus (p. 140) suspicati sumus Merionem iam Cretensium carminibus simul cum Idomeneo laudatum esse.

2) Perperam in superioribus (p. 125) contrarium perhibuimus. Vide ann. 3 in hanc paginam.

3) Praeter locum M 113—117 etiam hoc speciem praebere possit quasi Τειχομαχία recentior sit quam maior pars librorum NΞO, quod huius auctorem apparet (propter locum N 362 sqq., cf. supra p. 188 sq.) sibi proposuisse res quas narret primo belli anno gestas esse, Τειχομαχίας vero auctor Troiam tradit (M 15) decimo belli anno expugnatam esse. Sed vidimus (supra p. 195, p. 196 ibique in ann 1) poëtam hunc quamvis veri simile sit etiamiram Achillis Hectoris exitum adscripsisse decimo belli anno, non tamen prorsus nec esse esse ut id inde efficiatur, et fieri posse ut auctor maioris partis librorum NΞO non effecerit.

Τειχοσκοπία. Quam recentiorum esse quam librorum Γ Δ Ε partem maiorem supra vidimus, quippe cui inserta sit.

Ab altera parte haec recentior est habenda quam Πατροκλεία idque propter duas causas. Quarum una est quod ubi eius auctor primum appellat Antilochum (Δ 457), eodem modo atque de Idomeneo vidimus ubi hic primum appellaretur ab auctore maioris partis librorum Ν Ο Ξ, solo nomine eum indicat, haud dubie iudicans patrem et patriam auditoribus cognita esse. Iam vero Antilochum cum fratre Thrasymede non magis quam Idomeneum cum comite Merione ulla est causa cur credamus ullis carminibus ante Homeri aetatem conditis in belli Troiani partes receptos esse, imo veri simile videtur omnino nullis ante Homeri aetatem carminibus eos commemoratos esse. In Achilleïde autem semel mentio fit de Nestoris filio Thrasymede (Ι 83), semel etiam de Nestoris filiis (Τ 239) nomine proprio non apposito. Neque in Achilleïde maiores hi partes agunt quam Meriones, nam altero loco Thrasymedes una cum hoc est inter custodiarum praefectos, altero loco „filii Nestoris" rursus cum eodem enumerantur inter Agamemnonis donorum administratores. Addito autem patris nomine Antilochus commemoratur èt ubi primum mentio eius fit in Πατροκλείᾳ (Π 317 sqq.) èt ubi narratur eius missio ad Achillem (Ρ 365 sqq.), quem locum Πατροκλείᾳ insertum esse ostendimus [1]), èt in Ἆθλοισ ἐπὶ Πατρόκλῳ, quod ἐπεισόδιον fieri non posse ut vetustiore sit origine quam Πατροκλεία perspicuum est. Itaque auctor maioris partis librorum Γ Δ Ε Πατροκλείαν cognitam habuit.

Altera autem causa cur hanc illa antiquiorem esse contendimus ea est quod èt illius auctori tribuendum censemus locum Λ 1—83, quem supra demonstravimus recentiorem esse quam ea quae in eodem libro sequuntur [2]), sive potius locos Λ 1—46, 56—83 nam vss. Λ 47—55 interpolati esse videntur; èt versu Λ 56 „Τρῶεσ δ' αὖθ' ἑτέρωθεν ἐπὶ θρωσμῷ πεδίοιο" repetitum esse iudicamus versum Υ 3. Hic versus eo differt a versu Λ 56 quod vox 'θωρήσσοντο quae in hoc aegerrime desideratur in eo facile auditur e versu Υ 1, is igitur loci sui contextu melius se habens ab huius loci auctore excogitatus esse videtur; neque enim cur credamus illud

1) Supra p. 214 sq. 2) p. 194.

Τρῶες δ' αὖθ' ἑτέρωθεν κ. τ. λ. ex antiquo carmine depromptum esse — quod si ita esset vs. Λ 56 antiquior esse posset quam Υ 3 — ulla omnino causa est. Versus autem Λ 47—55, si recte contendimus locos Λ 1—46, 56—83 eidem auctori tribuendos esse atque maiorem partem librorum Γ Δ Ε, fieri non potest quin recentiore manu sint additi nam, id quod etiam iam supra animadvertimus [1]), versus Λ 47 sq. eidem sunt atque Τειχομαχίας locus Μ 84 sq. ubi aptissime duces Troiani castra Graecorum oppugnaturi currus suos apud fossam reliquisse narrantur, cum altero loco omnino nihil sit cur currus apud fossam retineri opus sit, de fonte vero antiquo cogitandi nihilo magis quam loco modo pertractato ulla omnino reperiatur causa. Iam vero Τειχομαχίαν supra vidimus recentiorem esse quam libros Γ Δ Ε. Quo autem iure perhibeamus vss. Λ 1—46, 56—83 assignandos esse eidem auctori cui maiorem partem librorum Γ Δ Ε, nunc demonstrabimus. Libros Ζ Η supra ostendimus [2]), si excipias unum alterumve ἐπεισόδιον quod recentius esse videatur, uni auctori tribuendos esse eique aut eidem atque maiorem partem librorum Γ Δ Ε aut, id quod maluimus, alii qui hanc cognitam habuerit. Atqui sive libri Ζ Η recentiore sunt origine quam Γ Δ Ε, sive referendi sunt ad horum auctorem, hic cum suam poësin Iliadi insereret, Ἀγαμέμνονος ἀριστεία nondum locum suum mutaverat quippe quae mutatio debeatur Κόλου μάχης auctori, quem vidimus cognitam habuisse maiorem partem librorum Γ Δ Ε utpote e qua complures versus repetiverit. Itaque versum qui nunc est Γ 14 tum continuo sequebatur Λ 84 [3]). Sed hic versus („ὄφρα, μὲν ἠὼς ἦν καὶ ἀέξετο ἱερὸν ἦμαρ") neque apte iungitur libri Ε neque libi Η versui postremo, sed ut contextus recte se haberet requirebatur ut huic versui praemitteretur novi diei exordium, quale describitur ipsis versibus Λ 1 sqq. Necesse est igitur ut hi versus inserti sint ab auctore maioris partis librorum Γ Δ Ε sive hic simul auctor est librorum Ζ Η sive minus. Ceterum sub finem libri Η narratur solis occasus, sed si libri Ζ Η recentiores sunt quam maior pars librorum Γ Δ Ε, manifesto fieri non potest quin antequam illi insererentur, solis occasus comme-

1) Cf. p. 194. 2) p. 191.

3) Vide supra p. 194 sq. ubi tamen perperam scripsi pro Γ 14: Γ 15 pro Λ 83: Λ 84 pro Λ 84: Λ 85.

moratus fuerit post ea quae narrantur libro E. Hunc igitur solis occasum quo post dearum Iunonis et Minervae in Olympum reditum diem terminari consentaneum erat, resecavit auctor partis maioris librorum Z H. At cur tandem censemus hos libros recentiores esse quam maiorem partem librorum Γ Δ E? Ob varias causas. Et primum quidem incredibile videtur *ὅρκων σύγχυσιν* et certamen singulare Aiacis et Hectoris ab eodem poëta esse condita. Mitto quod etiam per se spectatum minus veri simile est eundem poëtam sibi duo proposuisse certamina eodem die commissa cum praesertim is dies iam satis superque expletus esset rebus gestis quas habent libri Γ Δ E. Verum hoc nego ullo modo fieri potuisse ut poëta qui certaminis mane habiti leges foede a Troianis violatas narrasset, idem narraverit sub eiusdem diei meridiem alterius certaminis leges nullo pudore ab Hectore propositas (H 67 sqq.) [1]), nulla apud Graecorum principes contumeliae recordatione, ne recentis quidem Menelai vulnere neque ipso neque ceterorum quoquam memore, acceptas esse. Idque cuiusnam certaminis? quod nullam neque necessitatem neque rationem haberet. At inquiunt ea quae leguntur libris Γ Δ E Z H inserta sunt ut adhiberentur argumenta carminum antiquorum ad ornandum et augendum poëma cui insererentur, eoque factum est ut inconcinna aliqua negligerentur. Non refragor; *Ἀλεξάνδρου καὶ Μενελάου μονομαχίαν, Διομήδους ἀριστείαν,* Hectoris cum uxore colloquium, Paridis in proelium reductionem, Nestoris res gestas narratas in libro H, Hectoris Aiacisque certamen, Troianorum contionem de reddenda Hellena habitam, cuncta haec ex antiquis fontibus hausta esse in superioribus demonstrare conatus sum. Sed haec res tantam habet vim ut intellegamus quomodo fieri potuerit ut auctores librorum Γ Δ E et Z H complura ediderint quae minime concinant, non ut credamus potuisse unum eundemque esse. Accedunt enim ad ea quae attulimus

---

1) Hector quid de Pandari fraude censuerit non significat auctor librorum Γ Δ E. Veri simile est eum ne voluisse quidem Hectorem scivisse quisnam sagittam in Menelaum intendisset, nam Agamemnonem saltem id nescisse significat (Δ 206 sqq.) neque non Diomedem et Sthenelum qui tamen de ea re non siluissent cum Pandarum et Aeneam se petere animadverterent (E 241 sqq.). Sed utique duci Troiano etiam si perfidiam indigne ferret vix quidquam reliqui erat nisi ut foedere irrito facto suos in hostem duceret.

alia. Nam nuntius quem Priamus Agamemnoni mittit (H 372 sqq.) nolle Paridem Helenam reddere, si Graecorum imperator flagitasset ut redderet recte se haberet, ultro missus, sicut factum legimus, post vulnus Menelao inflictum et proelium deinde commissum praeposterus ne dicam absurdus est. Expectasset, credo, senex dum rogaretur, quod sane rogare Graeci vix operae pretium ducturi essent. Fugisse hoc auctorem libri H si alius fuit ac librorum Γ Δ Ε facile intellego, si idem fuit incredibile puto. Praeterea hoc notandum. Appellatur (H 165) Idomeneus inter heroës qui surgunt ad certamen cum Hectore ineundum sed rursus ita appellatur ut auditoribus cognitus esse habeatur, cum tamen neque antiquiorum Iliadis partium neque maioris partis librorum Γ Δ Ε auctores eum cognovisse viderimus.

Pertractavimus eas Iliadis partes quas licebat ostendere ante conditas esse quam Κόλον μάχην. Simulque apparuit quo temporis ordine deinceps essent conditae. Vidimus enim originis aetate maiorem partem librorum Ν Ο Ξ e qua illa complures versus repetitos haberet, succedere Τειχομαχίᾳ quae in ea tangeretur, in Τειχομαχίᾳ vero tangi Eurypyli vulnerati curationem atque hanc sequi post Τειχοσκοπίαν in qua Idomeneus quis esset auditoribus proponeretur, qui in hac, sive potius loco (Λ 501) qui eidem auctori esset tribuendus, auditoribus cognitus esse sumeretur, Τειχοσκοπίαν autem recentiorem esse quam maiorem partem librorum Γ Δ Ε utpote cui inserta esset, postremo hanc ob duplicem quam explicavimus causam recentiore origine habendam esse quam Πατροκλείαν cuius auctor Achilleïdem antiquissimam Iliadis partem cognitam haberet. Nunc autem videamus de ceteris Iliadis partibus ecquid statuere liceat quod pertineat ad temporis rationes sive quae inter ipsarum origines intercedant sive cum originibus earum partium quas modo pertractavimus.

Κόλος μάχη quamquam inter recentissimas partes Iliadis habenda est, recentior tamen est Νυκτεργεσία et Δολωνεία. Pro fonte Δολωνείᾳ fuisse supra vidimus [1]) carmen aliquod quod ad bellum Troianum non pertineret sed librum Κ inseri non potuisse nisi cum Πρεσβεία et Πατροκλεία in unum poëma con-

---

1) p. 102.

iunctae essent, per se perspicuum est. Nam neque in Achilleïde ullus locus ei erat, neque in illo poëmate quod in Πρεσβείας locum substitutam haberet Πατροκλείαν. Porro Διάπειρα videtur recentior esse libris Ν Ξ Ο, nam Ν 362 sqq. agi nobis apparuit (cf. supra p. 188 sq.) primum belli annum, in illa vero regum rixam cetera quae in Iliade narrentur, fingi vidimus acta esse belli anno decimo, sed utrum Διάπειρα ante an post Κόλον μάχην Iliadi addita sit sciri nequit, huius enim auctor quid de illa re censuerit non apparet neque aliud extat indicium quo res conficiatur. Neque magis apparet quae temporis ratio intercedat inter Κόλου μάχης et Καταλόγου origines. Sed hic videtur post Διάπειραν insertus esse nam in hac legimus Β 355 τίσασθαι Ἑλένης ὁρμήματά τε στοναχάς τε, qui versus in illo recurrit Β 590. Haustum esse hunc versum ex antiquo fonte in superioribus demonstravimus. Sed vix dubium quin Catalogi auctor repetiverit Διαπείρας locum. Nam in Nestoris oratione magnam vim habet mentio facta de Helenae luctationibus et lamentis, Catalogi vero loco vix ullam. Itaque si rogamus utri poëtae, Διαπείρας an Catalogi auctori, verisimilius sit fontem antiquum animo obversatum esse, responsum dubium esse non potest; neque enim versus noster in eorum numero est qui quasi pro formulis habendi sint. Ab altera parte res fert ut is qui Catalogum confecerit — cuius nuclei fontem fuisse ostendimus [1]) inter carmina antiquissima quae essent de bello Troiano — omnium receperit ducum nomina qui in Iliade qualis esset eius aetate, aliquas partes agerent. Itaque cum in eo desiderentur Asteropaeus dux Paeonum qui obiter commemoratur Ρ 218, 351, et cum Achille congressus ab hoc interfectus esse narratur Φ 135 sqq., — Paeones duce Pyraechme habet Catalogus (Β 848) et nullo duce addito Δολώνεια (Κ 428) —, Rhesus Thracum rex cuius cladem legimus in Δολωνείᾳ (Κ 435 sqq.), — Thracum autem gentem cui Rhesus imperet ante hac ostendimus [2]) distinguendam esse ab iis Thracibus quibus praesint Acamas (Ζ 8) et Pirous (Δ 520, 484) —, Caucones qui commemorantur in Δολωνείᾳ Κ 429 et in ἐπεισοδίῳ quod est de Aeneae et Achillis certamine (Υ 329 sqq.), sequitur ut Δολωνεία, Asteropaei clades, Achillis

---

1) Supra p. 4.

2) Supra p. 36 sq.

cum Aeneae certamen, loci P 218, 351, postea quam Catalogus Iliadi addita sint. Etiam M 102 obiter appellatur Asteropaeus una cum Glauco, hos enim ibi Sarpedon sociis Troianorum praefectus comites in pugnae ductum ascivisse sibi narratur. Sed vss. M 102—104 interpolatos puto; proponitur enim ibi uterque quasi auditoribus iam cognitus sit neque patris neque patriae nominibus additis, cum tamen néque in libro M ante quam nostro loco néque usquam in cetera Iliade nisi locis origine libro M recentioribus compareant, néque quidquam sit cur credamus comparuisse in antiquioribus de bello Troiano carminibus [1]. Δολωνείαν modo vidimus recentiore esse origine quam Κόλον μάχην, de Catalogo sitne idem statuendum iam monuimus latere, inque eadem causa sunt loci quibus Asteropaei mentio fit, et certamen Achillis cum Aenea. Ceterum in Catalogo non tantum desiderantur complures duces et populi qui alibi commemorantur, sed ab altera parte complures etiam populi cum ducibus in Catalogo recensentur qui alibi in Iliade non occurrunt. Nam nonnisi B 603 sqq. inveniuntur Arcades, 748 sqq. Aenianes et Perrhaebi, 750 sqq. Dodonaei, 756 sqq. Magnetes, 671 sqq. incolae insularum Symae, Carpathi, Coi, Calydnarum. Hos igitur aut Catalogi auctor, aut quisquis alius sive poëta recentior sive rhapsodus eos Catalogo addidit, satis habuit inter Graecorum copias appellari nihil curans eos nullas partes agere in cetera Iliade. Quid vero? An inde efficiemus fieri posse ut etiam inter duces populosque Graecorum quos èt Catalogus èt cetera Ilias habet, tamen sint qui quo tempore ille conficeretur in hanc non dum recepti essent? Neque hoc per se verisimile est neque revera ex iis ulli sunt qui non occurrant in eis Iliadis partibus quae aetate superent Διάπειραν, quam ipsam antiquiorem esse quam Catalogum nobis apparuit. Sed videntur Arcades, ceteri quorum causa eadem est, tum additas esse cum multitudo nationum quas cetera Ilias doceret contra Troianos profectos esse, speciem praeberet expeditionis cuius universa fere Graecia particeps fuisset. Sic enim facile intelligitur fuisse qui censerent sine iusta causa illos praeteriri — praesertim si aliqua fama extaret ne eos quidem expertes fuisse expeditionum maritima-

1) De Asteropaeo cf. supra p. 61; de Glauco cf. p. 124 sqq.

rum — neque tamen qualis ipsorum aetate Ilias esset, ullum locum in ea relinqui viderent inserendi aliqua fortia facta ab illorum principibus edita, aut ipsi non essent ea ingenii fertilitate quae talia eis suppeditaret. E Troianorum sociis non populos quidem sed duces aliquos Catalogus habet qui in cetera Iliade non recurrant, qualis est Ciconum dux Euphemus (B 846) Halizonum Epistrophus (B 856), Pelasgorum Pylaeus (B 840), Carum Nastes (B 867). Sed nihil vetat credere Catalogi auctorem hac in re sive liberius sive negligentius egisse praesertim si horum nomina aliunde cognita haberet.

In ἐπεισοδίῳ quod continetur libris Γ Δ Ε ob eandem causam cur Τειχοσκοπίαν et Ἀγαμέμνονος ἐπιπώλησιν, etiam Alexandri et Helenae amores (Γ 383—447) et Tlepolemi et Sarpedonis certamen (Ε 627—698) initio abfuisse veri simile est, quippe quibus, ut nihil molesti habeant, ita nullum necessitatis vinculum cum ceteris intercedat, amplius autem quam ipsa materiae cohaerentia cogeretur non credibile sit ἐπεισοδίου auctorem dilatasse huius ambitum, onerantem non ingratis quidem sed supervacuis additamentis. Sed qui inseruerit Tlepolemi et Sarpedonis certamen, eidem aut etiam recentiori poëtae adscribenda videntur Sarpedonis iurgia quibus Hectorem insectatur (Ε 471—506) quae frigent iactata post Martis adhortationem (Ε 464—470), cum praesertim hanc divellant ab eis quae deinde belli deus agit (Ε 506 sqq.) quacum haec artissime cohaerent, siquidem èt Ε 454 sqq. èt Ε 508 sqq. significatur Apollinis rogatu se interposuisse. Accedit quod per totos libros Γ Δ Ε nisi hic et in certamine cum Tlepolemo, Sarpedon non prodit. Ceterum ante Τειχομαχίαν hoc certamen Iliadi insertum esse statuendum est, si recte supra suspicati sumus [1]) ansam id dedisse Τειχομαχίας auctori laudandi insignem Sarpedonis fortitudinem; de originis aetate eius loci quo aguntur Alexandri et Helenae amores hoc tantum patet recentiorem eam esse quam maioris partis librorum Γ Δ Ε. Restat ut duos locos notemus quos libro Ε insertos censeamus. Nam Ε 384 sqq. Dione ait propterea saepius deos ab hominibus laesos esse, quod dei ipsi inter se mala machinarentur; quibus cum dictis optime cohaerent quae legun-

1) p. 126 sq.

tur vs. 405: „et in te incitavit Minerva Tydei filium"; sed quae mediae inter haec referuntur iniuriae deis a mortalibus illatae, nulla harum eiusmodi est, quam *inimico deo* auctore deus aliquis ab homine mortali acceperit. Itaque vs. 385—404 recentiore manu additos esse satis certum videtur, in quibus rursus vss. 395—702 recentiores ceteris esse iam antehac demonstravimus [1]). Postremo vss. 340—342 vix dubium est quin interpolatori assignandi sint, neque enim is qui modo dixerat (vs. 39) „ῥέε δ' ἄμβροτον αἷμα θεοῖο" dicere potuit (vs. 342) „ἀναίμονές εἰσι [θεοί]." Rursus inter Iliadis auctores quem locum obtineant, si temporis ordo observetur, aut horum versuum aut vss. 385—404 auctores sciri non posse confitendum est.

Libros Z H cum maximam partem uni eidemque auctori tribuendos esse supra demonstraverimus [2]) unum in eis invenitur ἐπεισόδιον quod nescio an potius recentiore manu insertum esse censeas. Est hoc autem Γλαύκου καὶ Διομήδους συμβολή (Z 119 —236). Quod ob nullam aliam causam alii auctori assignandum putamus, nisi quod salvo contextu ceterorum quae libris Z H continentur tollere licet, quam causam tamen sufficere arbitramur. Cumque e Glauci verbis (Z 124) „nequaquam te ante vidi in proelio" [3]) satis fidenter efficere liceat huius ἐπεισοδίου auctorem sibi proposuisse primum belli annum, absurdum enim esset eum cogitare de belli tempore decennali, veri simile est illud neque non — id quod hinc sequitur — maiorem etiam partem librorum Z H conditam esse ante quam Διάπειραν quippe quae decimum belli annum referat [4]). Sed libros Z H recentiores esse origine quam Τειχομαχίαν inde efficiendum videtur quod sub finem libri H (vss. 336—343, 436—443) muri Graecorum castris circumdati narratur aedificatio. Etiam in Achilleïde ter commemoratur murus, id vero duobus locis (I 67, 87) ita coniuncte cum fossa ut si hos locos per se spectes, minime necesse videatur aliud quidquam significatum esse nisi aggerem e fossa erutum, ab interiore eius parte, spatio mediocri interiecto, nam custodes

---

1) p. 137.
2) p. 191.
3) Cf. supra p. 188.
4) Cf. supra p. 112.

considunt (I 87) inter murum fossamque, extructum. Neque repugnat tertius locus (I 232), ubi Troiani dicuntur consedisse ἐγγὺς νηῶν καὶ τείχεος, confirmatur autem res non tantum eo quod in Ἀγαμέμνονος ἀριστείᾳ èt rex vulneratus in campo suos adhortatur (Λ 277) ut defendant naves èt paulo post Aiax (Λ 557) hostibus cedens a poëta dicitur pertimuisse navibus, neutro loco muri mentione facta et quasi illae sicubi in campo male pugnetur salvae esse non possint, murus igitur vix ullius pretii esse videatur — tamen hi loci idcirco minus valent quia veri simile est, id quod in superioribus demonstravimus [1]) ex antiquo carmine Ἀγαμέμνονος ἀριστείαν haustam esse quapropter fieri potest ut illi minus considerate e fonte repetiti sint — sed praesertim inde apparet poetam sibi proposuisse murum humilem, quia O 653 legimus „εἰσωποὶ δ' ἐγένοντο νεῶν". Qualis Ilias nunc est Troiani iam multo ante quam in conspectum navium venissent, murum intraverant (O 384), iam intra eum cum hostibus pugnaverant de navibus se defendentibus (O 387), iam Hector conatus erat navem incendere (O 415 sqq.) quam rem, quia nusquam ne verbo quidem indicatum erat eos deinde repulsos esse, vere dixeris absurdam esse, quapropter in superioribus [2]), cum vss. 653 sqq. adscriberemus Achilleïdi cui etiam tribuebamus vss. 592—595 ubi Troiani ad naves contendere narrabantur, locum 306—591 iudicavimus poëtae deberi recentiori qui totus in ornanda et augenda pugna apud naves non attenderit repugnantiam quam admitteret. Atque vss. 596—652 alias ob causas abnegavimus Irae Cantori [3]) qui igitur postquam narravit (O 592 —595) Troianos in naves ruere, cum nostro loco (O 653) nulla muri mentione facta eos in illarum conspectum venire diceret, deinde, ita enim pergit (O 653 sqq.), nulla mora facta inter naves se effundere — quod recte se habet, optime enim sic festinatio et brevissimum temporis spatium quo res confecta sit, ante oculos ponitur — luce clarius significavit nullius momenti esse aggerem pro navibus extructum, qui neque conspectum earum prohiberet, neque hostium impetum ab iis arcere

---

1) Cf. p. 115 sq.
2) Supra p. 200.
3) Supra p. 199 sq.

posset, ut nihilo magis fossa quae aeque siletur. Prorsus alia imago in Τειχομαχίᾳ proponitur ubi murus latus (M 5) fundamentis lapidibus impositus (M 29, 259), pinnis supra instructus (M 258, 397), fores portae ingenti obice clausae (M 121), turres iuxta institutae (M 36, 332), fossae ultro etiam vallis praeacutis munitae (M 55), crebros Troianorum impetus aliquamdiu sustinent; tantae autem munitionis moles facile poëtam quempiam in cogitationem adduxit opus maius esse quam quod Graeci statim suscepissent cum appulissent classem, ancipiti eventu primae pugnae in campo commissae factum esse ut quo prudentissimo consiliario uteretur exercitus, Pyliorum rex grandaevus in regum consilio id suasisset, eamque rem dignam esse quae ab oblivione vindicaretur; fac contra librorum Z H auctorem non cognovisse Τειχομαχίαν, non intellegis quid eum induxerit ut narraret Graecos consilium inisse aedificandi πύργουσ ὑψηλούσ εἶλαρ νηῶν τε καὶ αὐτῶν (H 338) vel, ut paulo post legimus (H 435 sq.), τεῖχοσ πυργοὺσ θ' ὑψηλούσ cuius rei nullusdum poëta mentionem fecisset in proeliis describendis. Nam etiam auctor eius loci quem modo attuli (O 306—591) non eum murum sibi proposuit quem is qui Τειχομαχίαν condidit, narrat enim Apollinem ut Troianis viam sterneret qua intrarent, pedibus diruisse ὄχθασ καπέτοιο βαθείησ, deinde evertisse murum ῥεῖα μαλ' ὡσ ὅτε τισ ψάμαθον πάϊσ ἄγχι θαλάσσησ ὅσ τ' ἐπεὶ οὖν ποιήσῃ ἀθύρματα νηπιίῃφι ἄψ αὖτισ συνέχευε ποσὶν καὶ χερσὶν ἀθύρων, sed Τειχομαχίασ auctor totidem verbis perhibuit (M 10 sq.) ὄφρα μὲν Ἕκτωρ ζωὸσ ἔεν καὶ ἐμήνι' Ἀχιλλεὺσ καὶ Πριάμοιο τάνακτοσ ἀπόρθητοσ πόλισ ἔπλε τόφρα δὲ καὶ μέγα τεῖχοσ Ἀχαιῶν ἔμπεδον ἦεν. Praeterea totus ille locus nescio quomodo friget si cogitamus Apollinem pedibus deiecisse murum fundamentis lapideis, turribus munitum, qualem Τειχομαχίασ auctor vix vi coniuncta septem fluviorum a duobus deis destructum esse tradidit (M 17 sqq.). Itaque loci O 306—591 auctor, quem quamquam ab eo Achilleïdem abiudicandam esse vidimus, tamen in superioribus iam demonstraveramus [1]) nihil vetare pro antiquiore habere quam auctorem maioris partis librorum N Ξ O, etiam Τειχομαχίασ auctori aetate praeësse videtur, sed hic auctori librum Z H.

---

1) Supra p. 197 sq.

In libris Π Ρ Σ Τ Υ Φ Χ quibus contineatur poësis Πατροκλείας auctori debita, praeterea èt inveniri — idque in libro Τ — quae ad Achilleïdem referenda sint, èt complures locos a recentioribus insertos in superioribus demonstravimus. Hi vero loci inserti utrum uni an pluribus poëtis tribuendi sint, quisnam de singulis dicat? Unum tantum constare videtur, eum qui Antilochi missionem ad Achillem condiderit alium fuisse atque eum qui èt hanc èt Iridis missionem coniuuxerit, illum enim hoc egisse ut Antilochi missionem in Iridis missionis locum substitueret, ab hoc qui ea coniungeret insertum esse responsum Iridi ab Achille datum (Σ 187—201), ab hoc loco suo quem initio obtinuissent mota esse èt Thetidis cum filio colloqnium quod nunc legitur Σ 36—67 èt colloquium Iovis cum uxore (Σ 356—367) èt fortasse contionem Troianorum (Σ 243—314); quibus de rebus in superioribus ea quae satis esse viderentur disseruimus [1]). Iam vero temporis ordinis si habeatur ratio, quo loco in Iliadis auctorum numero collocandus sit aut Antilochi missionis auctor aut is qui eam cum Iridis missione coniunxerit aut ceterorum locorum insertorum aut auctor aut auctores, de ea re rursus maximam partem prorsus incerti haeremus. Pauca aliqua statuere licet. Nam ét per se perspicuum est tam Irae Cantorem quam Πατροκλείας auctorem illis aetate praeire, ét certamen Patrocli et Sarpedonis cum pugna de huius corpore ét fratrum geminorum Mortis et Somni ministerium absportandi id in patriam, condita (Π 419—683) esse post Τειχομαχίαν quippe quae in iis tangatur (Π 558), tum Glauci iurgia quibus insectetur Hectorem (Ρ 140—191) cum in iis Sarpedonis mortem huic obiciat, aut eidem poetae deberi aut recentiori. E locis libris de quibus nunc agimus insertis complurium argumenta hausta esse e carminibus antiquis, ut certamen Achillis et Aeneae (Υ 156—364[a]), eiusdem et Iphitionis (Υ 381—392), Lycaonis ab Achille capti casus (Φ 35 sqq.), Asteropaei cladem ei ab Achille illatam (Φ 135—199), Scamandri cum Achille proelium (Φ 211—382) suo loco ostendimus [2]).

Superest ut agamus de libris Ψ Ω. Hos siquidem Πατροκλείας

---

1) p. 211 sq.
2) Supra p. 45 sqq., 61, 72

auctori abnegandi sunt, id quod supra demonstravimus [1]), a recentiore poëta vel poëtis illius operi esse additos non opus dictu est. Ac neque Ἆθλα ἐπὶ Πατρόκλῳ neque Ἕκτορος λύθρα tota deberi uni poëtae verisimile puto, neque tamen huiusmodi indicia se offerri unde certi quidquam efficere liceat. Unum tantum afferam, loci Ω 347 sqq. auctorem sibi fingere Hectorem primo anni bello occisum, nam narratur ibi Mercurius κούρῳ ϝεϝοικὼς πρῶτον ὑπηνήτῃ Priamo occurrens eum docere se e sex fratribus sortitum esse militiam, quod cum res ferret ut belli initio factum esset, ex ipsa dei specie iuvenili sequitur ut non nisi paulo ante bellum exortum sit; contra poëtam eum qui Helenam proposuerit lamentantem Hectorem mortuum (Ω 762 sqq.) eam facere dicentem „ἤδη γὰρ νῦν μοι τόδ' ἐϝεικοστὸν ϝέτος ἐστί". Quid autem amplius de horum librorum originis aetate? Liquido apparet vix quidquam sciri posse. Solum hoc satis fidenter confirmes habitum et quasi colorem orationis, id quod in superioribus iam monuimus [2]), eum esse ut sermo epicus videatur quodammodo deficere poetas in clare enuntianda mente, et verba rem ut ait Horatius iam invita sequi incipiant. Id autem cum temporis decursu fieri perspicuum sit ut usus paulatim constitutus poëtas quasi vetet nova verba novas elocutionis rationes adhibere, sequitur ut haec Iliadis pars inter recentissimas habenda sit.

Postremo hoc notandum videtur. In superioribus ubi de Idomeneo et rursus ubi de Nestoris filiis tum ubi de Glauco deque Asteropaeo egimus, perhibuimus eos heroës qui non ante Homeri aetatem a poëtis in bellum Troianum inducti essent — qui quidem in principum numero essent nam de hominibus e plebe rem aliter se habere — fieri non potuisse quin poëtae qui primi in Iliade appellarent, ubi primum eos appellarent, addiderint aut patrem aut patriam, ea igitur ἐπεισόδια in quibus, quo loco primum appellentur, addantur neque pater neque patria, non deberi poëtis qui primi eos in Iliadem induxerint. Sed forsitan hic quis roget cur constituentes temporis ordinem quo Iliadis partes conditae sint

1) p. 222.
2) Supra p. 173.

huius legis rationem non habuerimus nisi ubi egerimus de eis ἐπεισοδίοισ in quibus commemorarentur Glaucus, Asteropaeus, Idomeneus, Nestoris filii. Respondendum est heroüm Graecorum et Troianorum qui in Iliade appellentur longe plurimos iam in carminibus antiquioribus quibus bellum Troianum ageretur, celebratos esse eosque non tantum qui primarium in eo locum obtineant Achillem, Diomedem, Ulixem, Aiaces, Hectorem, Paridem, Aeneam, Antenorem ceteros, sed etiam qui secundas vel tertias agant partes Thoantem, Megetem, Menestheum, Peneleum, Medontem, Podarcem alios, id quod suo loco demonstravimus [1]), e perpaucis autem illis qui ab Homero primo in bellum Troianum recepti sint si discedas ab Idomeneo Nestoris filiis Glauco Asteropaeo, ceteros aut omnino non appellari patre et patria non additis, aut non nisi in ἐπεισοδίοισ quae ob alias causas recentiora esse habenda demonstraverimus quam ea ubi appellentur additis. Sic comparatis locis ubi commemoratur Eurypylus, apparet ceteros recentiores esse quam E 76 ubi additur pater Euaemon [2]), omnes ubi Machaon appellatur recentiores sunt quam Δ 193 ubi additur pater Aesculapius [3]). Praeter hos duos nulli sunt qui in eadem causa versentur, eos autem appellare qui in Iliade non commemorentur nisi patria addita, nihil opus videtur.

---

1) De Thoante cf. supra p. 13; de Megete p. 13; de Menestheo, Stichio, Phidante, Abante, Iaso p. 9; de Peneleo, Leïto, Ascalapho, Prothoënore, Promacho, Arcesilao l.l. p. 7; de Medonte et Podarce p. 5; de Antenoris fiils Archilocho, Acamante, Agenore, Laodamante, Pedaeo p. 33, de Polydamante p. 33; de ducibus Ciconum, Halizonum, Pelasgiorum, Maeonum, Mysorum, Phrygum Ascaniorum cf. p. 39.

2) De Eurypylo cf. p. 229. Commemoratur autem B 677, 736, E 76, 79, Z 36, H 167, Θ 265, Λ 575, 579, 582, 591, 661, 808, 818, 821, 837, M 2, O 392, 399, Π 27. Sed versus Π 27 fieri non posse quin spurius sit, ex eis quae demonstravimus l.l. sequitur.

3) Machaon commemoratur B 732, Δ 194, 200, Λ 506, 512, 517, 832, Ξ 3.

e. *Epilogus.*

Ne quid omittamus quod facere possit ad confirmanda ea quae de Iliadis compositione in superioribus disseruimus, etiam refutare conabimur crimina quibus qui de uno totius poëmatis auctore dubitari nolunt, obnoxios esse contendunt quicunque crevisse id putant complurium poëtarum opera. Qua in re si praetermittis quae contra Lachmannianos disseruntur, quos nemo acrius impugnavit quam D. Muelder v. d. (l.l. p. 4 sqq.), nobis non opus est hic attingere cum suo loco exposuerimus (supra p. 163 sqq.) cur ab eis dissentiamus, quae praeterea afferri solent in tria fere capita redigere licet. Quorum primum sic complectemur: „ex Iliade cognoscitur tota fabula Troiana, quod accidere non potuit casu sed necesse est debeatur consilio unius poëtae non complurium, quippe quod absurdum sit [1]). Audiendi igitur non sunt quicunque censent ceteras Iliadis partes accessisse carmini alicui principali cuius argumentum fuerit Ira Achillis; nam ex hoc carmine fabula Troiana non cognoscitur. Accedit quod Ilias exhibet constantiam in singulorum personarum pictura, rationem in rebus narrandis habitam non tantum earum quae praecederent sed sed etiam earum quae sequerentur, partium poëmatis aequabilitatem, proprietates ingenii poëtici ubique eiusdem, quae etiam per se spectata unum auctorem probent [2]).

---

1) E. Bethe („die Einheit unserer Ilias" in Bibl. cui tit. Neue Jhrb. f. d. Klass. Alt. etc. p. 366): „Die Ilias ist nicht eine Achilleïs, sie ist in Wahrheit eine Ilias. Und sie ist das nicht durch Zufall geworden, sondern durch den Willen und durch die Kunst ihres Dichters. Den Groll Achills besingt er, aber das ist ihm nicht eine Episode aus dem Kriege, sondern er konzentriert in dieser Episode den ganzen Krieg, seine Entstehung, seine Vorgeschichte, seinen Ausgang".

2) Bethe l.l. p. 370: „wir erkennen in ihrem Aufbau vom ersten bis zum letzten Buche eben eine Ilias voll Sinn und Plan. Sie ist also das Werk eines bedächtigen und künstlerisch fühlenden Mannes, der ungeheure Massen durch wenige klare Liniën zu gliedern und zur Wirkung zu bringen wusste". vLeeuwen, Comm. Hom. p. 14:

Repugnantiae autem quae a multis notantur, magnam partem ne repugantiae quidem sunt, eae quae tamen extiterunt, inde sunt ortae, quod poëtae cum Achillis iram sibi sumsisset quo quasi cardine totum poëma verteretur, non licuit λογικῶσ omnia componere [1]), tum quod ei non contigit ut omnia quae e fontibus suis hausisset apte coniungeret [2]), neque non quod volens et sciens, ut auditores moveret pingendo mores ingenia res prosperas adversasque virorum et mulierum principes poëmatis partes agentium, perfregit argumenti cohaerentiam [3]), postremo quod nonnulla interpolata sunt".

„Et tempore et loco et ipso rerum narratarum decursu optime cohaeret Ilias, optime etiam — quod nobilioris est artis — poëta sibi constitit in dramatis quas invenit personis pingendis". Rothe l.l. p. 113: „Die in den Gedichten ganz unzweifelhaft hervortretende Einheit, eine grosze Zahl dichterischer Kunstmittel, bestimmte dichterische Eigentümlichkeiten, finden weder eine Erklärung in der Sage ...... noch in Sängerschulen, noch in dem dichtenden Volksgeiste ...... noch in der mechanischen Arbeit eines Sammlers", p. 139: „das Bild das uns der Dichter von Hektor gibt ist so einheitlich wie möglich".

1) Bethe l l. p. 362 sq.: „Dem Groll Achills liegt der Gedanke zu Grunde dasz seine Kampfenthaltung die Niederlage der Achaier herbeiführen werde wie es in Θ—O wirklich geschicht. Aber ihr voran stehen Siege der Achaier Γ—H. Das geht nicht nur über die Ankündigung des Proömiums hinaus, es steht auch zur Idee der Achilleïs in Widerspruch. Aber .... (die Bücher Γ—H) erst führen uns Veranlassung und Zweck des Krieges vor Augen". Bethe l.l. p. 371: „Die Analyse wird nun zu prüfen haben, ob diese Einheitlichkeit auch im einzeln sich bewährt, oder ob wir auf unversöhnliche innere Widersprüche stoszen. Ist das der Fall dann sehe ich keine andere Erklärungsmöglichkeit als die das unsre Ilias zwar von einem Dichter nach groszem Plane mit fester Hand geformt ist, dasz er aber ältere Dichtungen für sie benutzt hat."

2) vLeeuwen l.l. p. 37: „(Poëta) materiem quam prisca illa carmina ei praebebant parum ductilem identidem est expertus, neque semper ei contigit ut in eam imaginem quam mentis oculis videbat, ita componeret omnia ut nulla pars asperior nulla dura aut horrida videretur". D. Muelder l.l. p. 117: „(Das poëtische Gebäude) selbst ist zu einem sehr bedeutenden Teile geschaffen aus fertigen und behauenem Material, sodasz Szenen, Motive, Motivteile, Anregungen, die aus den verschiedenen Quellen entnommen wurden, zu einem Ganzen wieder vereinigt wurden. Natürlich wird dabei Einheitlichkeit intendirt aber es ist zweifellos, dasz diese oft nur ziemlich äuszerlich erreicht wird. Die ursprüngliche Beschaffenheit des Details, seine individuellsten und besten Eigenschaften wehren sich of nadrücklich gegen die aufgezwungene Fremdherrschaft".

3) Bethe l l. p. 363: „(Die Bücher Γ—H) erst veranlassen uns zur Teilnahme für Ilios und die Troer, für Paris und Helena und vor allem für Hektor, der so erst zu einem wahrhaft tragischen Helden, zum Helden des Epos neben Achill wird .... (Der Dichter) konnte aber dies nicht ganz erreichen wenn er nicht Ilios hart be-

Ad haec quae respondeantur non desunt. Nam quaecunque sufficiunt ad cognoscendam causam et exitum belli Troiani, denique totam fabulam Troianam quatenus de ea in Iliade sermo est [1]), inveniuntur in maiore ea parte librorum Γ—E quam vidimus uni deberi auctori [2]), quae aliis locis de ea memorantur nihil novi afferunt; itaque etiamsi dandum sit notitiam illam deberi unius viri consilio, non inde sequitur ut hic auctor sit totius Iliadis. Tamen si auditores fabulam Troianam ignorassent cum Irae Cantor ordiretur opus suum, fieri non potuit quin hic eos de ea doceret, sed cum ab omni dubio remotissimum sit eos ex antiquioribus carminibus eam cognitam habuisse, (vide supra p. 15 sqq., 69 sqq.; p. 103 sqq., 125, 138) tam veri simile vel potius multo vero similius est ut poëta qui Achillis Iram mente conceperit satis habuerit hoc argumentum enarrare, quam ut animum induxerit totius belli addere imaginem quae cum illo ne apte quidem componi posset. Ab altera parte quamvis multae a multis reprehensae sint in Iliade repugnantiae quas negare non oporteat aut ne repugnantias quidem esse aut facilem explicatum habere e natura parum ductili carminum priscorum quorum adhiberetur materia, nonnullae quae locos interpolatos prodant — mittere enim licebit quod perhibetur poëta argumenti cohaerentiam volens nonnusquam perfregisse, quod lubricum videtur [3]) — restant tamen satis multae, quae, nisi diver-

---

drängen liesz. Aus diesem höheren künstlerischen Gesichtspunkt brachte er der straffen folgerechten Entwicklung der Handlung ein Opfer und statt sofort den Sieg der Troer zu erzählen der dem Achill Genugtuung verschaffen sollte, fügt er zunächst einen Achaiersieg ein, damit wir nach Ilios hineinblicken können und in die Seelen ihrer Bürger," p. 369: Man könnte so in gewissem Sinne mit Recht sagen die Exposition reiche bis zum H. Um sie zu geben hat der Dichter nicht nur die logisch strenge Entwicklung von A zum Θ unterbrochen, er hat auch unbekümmert um Chronologie und reale Wahrscheinlichkeit hier Schilderungen aufgenommen die in dem Anfang des Kriegs gehören, die Monomachie des Menelaos und Paris, Helena's Mauerschau, und andere Szenen die eher an das Ende gehören, aber sonst kaum in den Rahmen einzufügen waren, die Procession der Troerinnen, Hektors Abschied".

1) Loci quos volo sunt: Γ 27 sq. 46—49, Δ 39—43, 160—168, E 349, 421 sq.

2) Supra p. 190 sq.

3) Nisi forte recte vidit D. Muelder poëtam ultro nulla necessitate coactum sed cum sic liberet multa protulisse veri dissimilia et inconcinna, quod quasi fastidium vir doctus Teutonice significat voce „souverän"; cf. p. 24 *„souverän* statuierte Vereinigung des Achilleïschen und nicht-Achilleïschen"; p. 34: „wie *souverän* ungeschickt

sitate auctorum non intelleguntur, inter quas imprimis eae referendae sunt quibus cogimur distinguere Irae Cantorem et auc-

der Dichter überträgt"; p. 36: „in seiner phantastischen und *souveränen* Weise, die sich von keiner realen Schranke gebunden erachtet"; p. 88 „ein höchst *souveränes* Decretum" (sic fere etiam p. 146 et p. 175); p. 127: „die *souveräne* Art mit den Himmlischen um zu springen"; p. 129: „Gebilde *souveräner* Laune, l.l. die Marke derselben *souveränen* Laune"; p. 155 „Schalkhaft und *souverän*"; p. 169: „*souveräne* combinatorische Phantasie"; p. 187: „ganz *souverän* herbeigeführt"; p. 195: „mit der gewohnten *Souveränität*," idem fere p. 226); p. 240: „in seiner bekannten Weise *souverän* und nachlässig; p. 244: „zwar ist hier die *souveräne* Ignorierung der Distanz auch irreal"; p. 45: „Die *souveränität* unseres Dichters in der Behandlung des Realen"; p. 260: „Das Niobereferat ist angebracht in derselben *souveränen* Manier"; p. 281: „Das Quellenzitat wird ebenso *souverän* angeknüpft"; p. 332: „*Souveräne* Technik"; p. 337: „das *souveräne* Operieren mit Sinneswechsel". Nimirum Muelder Homerum habet pro ioculatore (l.l. p. 131 in ann. 2: „der Dichter der Schalk") quem nihil magis iuvit quam auditoribus fucum facere, qua in re longe a viro docto dissentio. Et pro exemplis huius rationis nonnullos saltem locos affert quorum sententia eum fugit. Ut ad locum E 290 sqq. animadvertit (l.l. p. 347 sq.): „Die nämliche spöttische Ueberlegenheit mit welcher der Dichter die konventionelle Beziehungen zwischen Heroën und Götter behandelt, verleugnet er auch den heroïschen Kampfleistungen gegenüber nicht .... E 290 ff. zielt Diomedes als Fussgänger auf den Wagenkampfer Pandaros; er trifft ihn bei einer nach Lage der Dinge von unten nach oben gerichtetem Wurfe mit der Lanze derart dasz das Geschosz gerade umgekehrt von oben nach unten senkrecht von der Nasenwurzel bis zum Kinn durchdringt. Es ist ein bekanntes Bonmot dasz der gute Homer zuweilen auch schlafe, mit diesem pflegt man sich hier wie anderswo zu beruhigen sofern man nicht zur Einschläferung seines kritischen Gewissen auf die bequeme Lieder- oder Interpolationstheorie zurückgreift, aber der gute Homer hat hier wie auch sonst oft das Zeichen seines Wachseins weithin sichtbar aufgestellt in dem Zusatze: „in lenkte Athena". Das heiszt doch, das mit Hilfe des Götterapparats eine Verwundung geschaffen wird die alle Wirklichkeit und Möglichkeit zuwider laüfe und darum wie eine Parodie wirkt." Subridicula haec iudicabit quicunque cognovit iam anno p. Chr. n. 1893 simplicissime et verissime expedisse locum nostrum Leafium v. d. (A companion to the Ilias p. 117) animadvertentem „the simplest explanation is to suppose that Pandaros seeing the spear coming ‚ducks' a moment to late, so that he is caught with his face bent downwards. This would quite explain the course of the spear". Neque melius se habent quae disserit Muelder (l.l. p. 38 sq.) ad locum H 894—196: „Wenn sich einer der im Lager beratenden Helden zu dem gefährlichen Schritt entschlosz den Kampf mit dem Riesen — ita vir doctus Hectorem significat — zu bestehen, so wird er keine Chance verachten. Vielleicht wird es möglich sein den Gegner der auf einen Angriff nicht gefaszt ist, der im Bewustsein seiner Unangreifbarkeit vielleicht nicht alle Vorsicht anwendet, überraschend anzugreifen, wenn man auch nur den Vorteil des ersten Angriffs davon trüge. In unserm Zusammenhange ist so etwas nicht möglich da Hektors Herausforderung förmlich angenommen ist, da dieser schon darauf wartet dasz der Gegner einerlei wer, erscheint. Wenn also Aias in einer Stille durch die die Troer auf seine Vorbereitungen nicht aufmerksam werden, etwas für sich erwartet (v. 194 f.), so entspricht das wohl dem vermuteten Original — vult vir

torem Πατροκλείας. Quod quam certum sit cum in superioribus nobis ample demonstrasse videamur (p. 175 sqq.) nunc sufficiat monere ex iis viris doctis qui utique Homerum unum esse velint, loci Π 84 sqq. omnino rationem non habere Nitschium et Muelderium, frustra Leeuwenium eum ad Πρεσβείαν aptare studere [1]), locum Π 72 alium horum aliter conari expedire [2]), utrumque locum interpolatum censere Rothium [2]) alios, quod quo iure fiat neminem videre cum contra sic mire frigeant verba ἀλλά (vs. 80) et μηδέ (vs. 90). Atque omnino non Rothe tantum sed alii quoque qui Iliadem e minore poëmate increvisse negent, tam multa pro interpolatis habent ut vix eis de uno auctore loqui liceat [3]). Praeter autem ea quibus discrepare

---

doctus fontem e quo Homerus hic hauserit — aber nicht unserer Version. Wäre nun die Vermutung richtig dasz der Neubearbeiter hier Détail beibehalten hat, was eigentlich nur in der Vorlage vollen Sinn hatte, so würden wir hier auch einen Blick tun in die Technik durch welche solches sich nicht mehr recht eignendes Détail der Vorlage aptiert wurde. Der Bearbeiter läszt den Aias das vernünftige vorsichtige Wort sofort zurücknemen als wäre es ein Lapsus, eine momentane Schwäche die dann sofort durch ein vollmundig Prahlwort redressiert wird (vs. 196)". Hoc obscurum, quomodo Graecorum *silentio* Troiani celandi sint de Aiacis artificiis, cum contra diceres avertendos ab his esse eorum animos *clamoribus alia ex parte sublatis.* Sed verbis non opus est nam quis non videt vs. 195 Aiacem fingi metuentem ne hostes si Graecos precantes audirent, sive precibus contrariis sive incantamentis eorum preces irritas facere conarentur, versu autem sequenti quae dixisset retrahere ne pusilli animi videretur?"

1) Ad versum 84 sqq. haec annotat in Commentario vir clarissimus: „Non ab *Agamemnone* Briseïdem sibi reddi vult Achilles aut dona offerri — ἐχρῆα γὰρ τοῦ δῶρα — sed ab ipsis *Achivis* (πρὸσ πάντων Δαναῶν, cf. vs. 56—58) mulierem ad se reduci splendidis donis additis." Itaque si Agamemnon sibi virginem redderet, accipere nolle Achillem, si vero Agamemnon eam exercitui traderet, exercitus sibi, accipere velle poëta significavit! Quod subridiculum videtur. Praeterea revera exercitus verbis egerant legati, cf. I vs. 300 sqq , 602 sqq., 638 sqq.

2) Nitsch (die Sagenpoësie der Griechen p. 248) aut vss. 74—79 delendos censet et vs. 73 pro: ἤπια: ἄρτια legendum, aut eiciendos vs. 69—79. Muelder l.l. p. 171 verba εἴ μοι κρείων Ἀγαμέμνων ἤπια εἰδείη, sic Teutonice vertit: wäre Agamemnon nur kein solcher Neiding", qua ratione neque eorum vis redditur neque tamen repugnantia tollitur. vLeeuwen (in Commentario) eadem verba sic interpretatur „si Agamemnon mihi mansisset amicus, si despicatui me non habuisset" quod nihilo magis recte se habet. Apparet igitur quam male viros doctos habeat noster locus; nisi enim ita esset, quis dubitaret vertere: si benevolus mihi esset Agamemnon?

3) Rothe interpolata censet catalogum, Γλαύκου καὶ Διομήδουσ συμβόλην, Αἰνείου καὶ Ἀχιλλέωσ μονομαχίαν, Θεομαχίαν, partes non exiguas librorum Ν Ξ Ο Π. Nitsch (die Sagenpoësie der Griechen p. 131) Β 434—779, 816—877, Λ 664—672, Τ 95—133, Υ 64—74, Φ 385—514, vLeeuwen Θεομαχίαν cf. Comm. Exeg. ad Φ 389 sqq.

apparet Achilleïdem et Πατροκλείαν, multa etiam alia notavimus quae in uno eodemque auctore ferri nequeant de quibus cf. Mnem. 1914, p. 66 sqq., p. 291 sqq.. At multa diversis adscripsimus auctoribus, quae nihil haberent cur non ab eodem poëta condita esse possent. An debuimus eidem auctori assignare quaecunque per se spectata nihil habebant quo id vetemur? Ne potuisse quidem ex his vide. Neque Antilochi ad Achillem missioni, neque versibus insertis ab eo qui illam cum Iridis missione coniungeret quidquam inest quod non possit conditum esse vel a maioris partis librorum Γ Δ Ε vel a maioris partis librorum Ζ Η, vel a maioris partis librorum Ν Ξ Ο vel a Διαπείρασ auctore. Sed èt hos omnes distinguendos vidimus èt Antilochi missionem ab alio inventam esse, ab alio coniunctam cum Iridis missione. Τειχοσκοπία nihil habet cur non vel eidem auctori atque maior pars librorum Ν Ξ Ο vel eidem atque Διαπείρα possit tribui. Sed Διαπείρα alii est tribuenda auctori atque maior pars librorum Ν Ξ Ο nam in hac poëmatis argumentum refertur ad primum anni belli Troiani, in illa ad decimum. Cuius generis multa alia exempla afferri possunt, sed haec sufficiunt ut intellegatur nisi quis ea tantummodo eidem auctori tribuat quae ob praecipuas causas aliquam eius rei aut necessitatem prodant — quemadmodum locos Λ 1—46, 56—83 auctori maioris partis librorum Γ Δ Ε dandos esse supra demonstravimus [1]) — aut saltem veri similitudinem — ut Τειχοσκοπίασ auctori suspicati sumus [2]) locos Ε 43—47, 59—68 assignandos esse — non habere quo se vertat. Accedit, id quod in singulis tractandis iam saepius monuimus, quod ipsa ratio fert ut quicunque aliquid attulit ad poëma augendum et ornandum, tale quid attulerit quod cohaereat et uno quasi cardine vertatur. Restat ut ostendamus nonnulla quae in suam rem convertant adversarii non minus apte quadrare ad rationem nostram. Nam constantiam quam laudant picturae singularum personarum si consideras, mox vides Agamemnonis virtutem bellicam spiritus mox superbos mox fractos, Achillis eximiam fortitudinem iracundiam animum generosum (Α 333 sqq.), Aiacis in proeliis stabilitatem, Diomedis

1) p. 231.
2) p. 227 sq.

ferociam (Λ 312 sqq.), Nestoris gravitatem facundiam, Ulixis prudentiam (T vs. 154 sqq.) ita in lucem prodire in Achilleïde nostra ut ea χαρακτηριστικά, quae haud dubie maximam partem etiam antiquioribus carminibus vulgata fuerint, recentiores Iliadis auctores nullo negotio potuerint servare. Ex his Τειχοσκοπίας auctor primus, si quo ordine Iliadis partes deinceps sint conditae in superioribus recte suspicati sumus, Helenae poenitentiam nobis proposuit Priamique erga eam benignitatem, et post eum librorum ZH auctor Hectoris in poenitentem mulierem benevolentiam eiusque amorem coniugalem, quae repetuntur in extrema Iliadis parte quam arbitramur recentiorem esse [1]). Alexandri autem sive Paridis et fortitudinem et mores delicatos, quam duplicem eius indolem nec non duplex nomen e diversitate fontium in superioribus explicavimus [2]), quamvis nolimus afferre ad probandam Iliadis auctorum diversitatem, saltem haec eis non repugnat. Tum vero afferunt in rebus narrandis in Iliade non solum accurate rationem haberi narratarum sed saepius spectari quae nondum narratae sint. Sed quid mirum quicunque poetae quidpiam poëmati addiderunt rationem habuisse non tantum eorum quae praecederent sed etiam quae sequerentur in poëmate quale id haberent? Non tantum Τειχομαχίας auctorem commemorasse vulnerationem Eurypyli, Sarpedonis cladem qui narravit, egregiam huius virtutem in Τειχομαχίᾳ laudatam, sed etiam Patrocli ad Nestorem missionem qui inseruit, spectasse Πατροκλείαν, auctorem libri Θ multa tetigisse quae narrata demum sunt in libris Π Ρ Σ? ne alia afferamus eiusdem generis. Quod autem nonnulli contendunt, versus I 66—88 ubi legimus praesidia disponi ducibus Thrasymede et Merione, ita cohaerere cum versibus K 56, 126 sq., 180 sqq. ubi de eisdem plura aliqua narrantur ut poëmati principali eos qui librum K demant ne illos quidem versus assignare oporteat, ne levissima quidem dispicitur causa cur non potuerint commemorari praesidia disposita nisi ab eo qui de eis alio loco plura narraturus esset, cum praesertim nihil magis in promptu esset quam ut disponerentur praesidia, etiam Troianis post suam victoriam cui nox finem

1) cf. supra p. 240 sq.
2) p. 57 sq., p. 79.

fecisset, in armis manentibus (I vs. 1). Neque verius est quod contendit D. Muelder v. d. (l.l. p. 187) propterea poëtam Patrocli corpus a Graecis servari voluisse, ut narrari possent ludicra honoris causa ei habita, quod ita se habere non potest nisi Ἆθλα ἐπὶ Πατρόκλῳ eidem poetae debentur atque Πατροκλεία [1]). Revera nihil omnino est cur ita ratiocinemur quoniam re per se spectata poëtae Graeco multo magis in promtu erat fingere Patrocli corpus ad Achillem relatum, quam ab hostibus absportatum. Sed paulo alia est res quod Shewan v. cl. [2]) versus Ξ 9 sq. ubi Nestor e tabernaculo exiturus clipeum filii Thrasymedis arripuisse dicitur, ita coniungit cum loco K 257, ubi hic clipeum suum Diomedi commodasse narratur, ut poëtam voluisse censeat iuvenem, quem I 81 dixerat cum Merione praesidiis praefuisse, ne nudus militaret alium clipeum per ministrum aliquem e castris petivisse, Nestorem autem suum clipeum ei misisse quo instructum illum prandio in excubiis sumto deinde in aciem progressum esse, ipsius clipeum interim referendum curavisse Diomedem in Nestoris filiorumque tabernaculum. Haec si recte se habent, frustra librum K recentiorem esse libro Ξ demonstravimus [3]). Iamvero ipsi ei qui negant Iliadem diversis deberi auctoribus saepius idque iure suo ubi adversarios haerere vident in pusillis repugnantiis, poëtam aiunt non curare minima. Ab altera parte sescenties videmus Homerum multum esse in singulis quasi depingendis quae ad narrationis contextum non faciant, sed quo florem et colorem ei addat, ut ubi narrat (K 316 sq.) Dolonem speculatorem Troianum indecora fuisse figura et inter quinque filias solum filium, vel (Λ 221 sqq.) Iphidamantem amita in matrimonium ducta statim a nuptiis in bellum profectum esse, vel (N 363 sqq.) Othryoneum pollicitum esse opem suam ad pellendos hostes dum Cassandram gratis in matrimonium acciperet, alia innumera eiusmodi, qua propter veri similius videtur ut nostro loco poëta nullum aliam ob causam nisi ut proponeret senis festinationem clipeum quod primum

1) Arma Muelder censet propterea abrepta narrari a Troianis ut possit inseri Ὁπλοποιία libri Σ. Ne hoc quidem do. Sed consentio cum viro d. Πατροκλείας auctorem voluisse sibi facultatem facere narrandi arma divina Achilli ministrasse matrem.

2) Shewan the Lay of Dolon, p. 144.

3) cf. supra p. 226, p. 233 sq.

offenderet arripientis, eum narraverit arripuisse filei clipeum, postea vero libri K auctor casu quodam in cogitationem inciderit fingendi Thrasymedem quem legerat (I 80 sqq.) armatum fuisse in excubiis, Diomedi commodantem suum clipeum, quam ut Shewanii ratiocinatio tortuosior recte se habeat. Verum ubi in exordio Πρεσβείας quam Achilleïdi principali adscripsimus [1]) Diomedem legimus (I 34—40) Agamemnomen perstringere quod se antea imbellem et ignavum dixisset, quae res narratur in Τειχοσκοπία quam Achilleïde multo recentiorem esse invictis argumentis nobis ostendisse videmur [2]), nulli dubitamus locum I 34—40 qui etiam per se spectatus non optime se habet, non aliter atque complures Πρεσβείας locos de quibus in superioribus egimus [3]) interpolatum dicere sive ab eo qui Achilleïdem et Πατροκλείαν in unum poëma coniunxerit sive a poëta recentiore. Quid vero de partium Iliadis aequabilitate? quod Πρεσβεία et Μηνιδὸς ἀπόρρησις poëma dividunt in partes tres fere aequales? quod paria paribus respondent: res gestae multorum Graecorum in libris E Z Achillis rebus gestis in libris Υ—Χ, navium Catalogus in libro B, ludicris in libro ψ, Thetidis preces in libro A quibus a Iove impetrat ut hic Achillis iniuriam vindicet, eiusdem precibus in libro Ω quibus Iovis mandatu filii animum in Hectorem mitigat? [4]) Vix quidquam his tribuendum puto, nisi quatenus consentaneum erat incrementum poëmatis ab omni parte aucti et dilatati eo ipso aequabiliter processisse. Postremo autem nonnulli in Iliade cernunt proprietates ingenii poetici ubique eiusdem, cuius rei tamen ceteri viri docti vix alia documenta afferunt nisi quod passim prodeat poetae amor patriae [5]), tum studium et notitia omnium rerum quae pertineant ad vitam animantium [6]), quibus ex partibus tamen etiam

---

1) cf. supra p. 179 sqq.

2) cf. supra p. 227 sq.

3) Supra p. 182 sq., ubi tamen neglexisimus hunc quoque locum pertractare.

4) Bethe l.l. p. 365.

5) Bethe l.l. p. 363: „Zugleich aber war dabei gewisz auch Rücksicht auf den Nationalstolz der Griechen gegenüber den Asiaten im Spiel" (cf. etiam p. 364). Rothe l.l. p. 135: „Der Dichter ist wie es ja natürlich ist Nationalist".

6) Rothe l.l. p. 130: „Aber die sorgfältige Beobachtung der Tierwelt und ihre Schilderung in der Dichtung ist doch nur ein kleiner wenn auch sehr bezeichnender Zug der Individualität des Dichters, zu ungewöhnlicher ja fast unerreichter Höhe stellt sich der

diversi poëtae ex eadem orti patria neque aetate ita dispares ut non status vitae atque morum fere idem fuerit, consentire potuerunt, unus Muelder v. d. peculiare hoc quo sibi per totum poëma constet Iliadis auctor, ei assignat, quod diversissimis fontibus qui haberent laudes heroum temporum praeteritorum [1]), cum ipse nobilitatem contemneret et non nisi εἰρωνικῶσ eius merita augeret [2]), ita tamen usus sit ut quam plurima ad verbum inde hauriret [3]), de suo autem tantum intermisceret quantum satis esset quo materies ex iis deprompta naturam snam mutaret et accomodaretur ad contextum prorsus novum [4]). Qua de re nemo cum viro doctissimo poterit consentire qui nobiscum de natura atque usu fontium in Iliade conspicuo, diversa ab eo sentiat. Quod ut appareat non opus est omnia quae eo pertineant commemorare, documenti satis est hoc quod Muelder censet auctorem Iliadis narrationem belli Troiani mutuatum esse partim a carmine quod ageret de bello Thebano [5]), partim ab aliis fontibus nihilo magis spectantibus urbem Troianam, nomen autem Ilium

---

Dichter wenn wir sehen dasz sein umfassender Geist mit derselben Naturtreue alle Verhältnisse des menschlichen Lebens umfasst hat".

1) „Sie werden nicht mehr gesungen, aber sie erzählen doch mit offenbarem Respect Schicksale und Grosztaten der Helden vergangener Zeit".

2) l.l. p. 360: „Die Ilias durchflutet ein ganz anderer demokratischer Geist, der in überlegener Ironie alle Prärogative von den adeligen Figuren abstreift".

3) l.l. p. 335: „So grosz ist .... das Anlehnungsstreben im Formellen, dasz .... der Dichter unerschöpflich ist in raffinierten und doch wie selbstverständlich anmutenden Erfindungen, welche die Verwendung geformten Materials auf Umwegen gestatten".

4) l.l. „Es ist in der Tat so dasz neue Darstellungsziele mit geformten, aber ursprünglich ganz anders tendierenden und anders verwandten Versgruppen vermittels einer nie verlegenen Technik erreicht werden, l.l. p. 75: „Uebergangspartien ist der Dichter der Natur der Sache nach selbständiger und freier zu formen gezwungen".

5) Documento huic rei Muelder putat esse (l.l. p. 94 sq.) quod Catalogus Navium oritur a Boeotis ducesque eorum quinque habet qui ceteroquin in Iliade exiguas partes agunt. At perquam incredibile est navibus profectos fingi Argivos Thebas oppugnaturos. Itaque navium notitia Homero debetur? Id nihilo magis credibile. Nam illam prorsus alienam esse ab Iliadis loco ubi inserta est, itaque ipsam eam e fonte antiquo esse depromptam, inter omnes fere constat. Fontem autem hunc fuisse carmen quo copiae Boeotorum Locrorum aliarum gentium vicinarum narrarentur Aulide profectas esse in Asiam, demonstravimus in superioribus, pp. 4, 7 sq., 13 sqq. Quod autem in Catalogo urbs Thebae desideratur ita Muelder explicat (l.l. in ann. 1, ad p. 95): „Der Dichter muszte Theben zerstört sein lassen, weil er es doch nicht gegen sich ins Feld rücken lassen könnte". Sed nihil opus est his ambagibus, nam si poëta ex antiquis carminibus cognoverat Thebas deletas esse mani- festo in suo carmine rem non aliter proponebat.

petisse e carmine ioculari quo edita essent facinora Herculis et alia et expeditio contra regis Laomedontis urbem Ilium. Vix opus est monere nostro iudicio non, quemadmodum Muelderi, *ab auctore Iliadis,* sed carminibus *ante Homeri aetatem* conditis, multas heroum res gestas initio ad omnia alia pertinentes in bellum Troianum receptas esse cuius veram memoriam antiqui cantores conservassent, atque carmina illa non ab omnibus auctoribus Iliadis eadem ratione esse adhibita sed ab aliis aliorum aut nonnisi argumenta esse usurpata aut etiam integros versus ac versuum fasciculos. Quod si recte demonstravimus quaesitior illa Muelderi sententia sponte concidit [1]. Quam ne per se quidem spectatam probare poterit nisi qui dederit Iliadem esse conditam quo tempore iam Lacedaemonii ceteros fere Peloponnesios in societatem coniunxissent, huius enim συμμαχίας Muelder perhibet Iliadis auctorem ostendere notitiam [2]. Qua in re hoc mirum videtur quod eum vir doctus sub finem, saeculi a Chr. n. septimi vixisse perhibet [3], quamquam notissimum est συμμαχίαν illam medio fere saeculi sexto a Chr. n. institui coeptam esse neque consummatam multo ante saeculi finem, cumque sic Muelderi sententia etiam veri dissimilior fiat, ab altera parte nihil magis in promptu erat cum deinceps permulti reges a poetis in bellum Troianum arcesserentur quam ut summus dux fuisse crederetur rex omnium potentissimus isque Mycenis collocaretur propter pristinam huius urbis gloriam [4]. Praeterea hoc constat non

---

1) Muelder l l p. 6: „Es musz die Uebertragung des Nichttroïschen ins Troïsche einen nicht unwesentlichen Teil der Arbeit des Dichters ausgemacht haben. Eine derartige Arbeit kann weder durch den Zufall noch durch organische Weiterbildung noch durch einen Bearbeiter geleistet sein; sie erfordert einen D i c h t e r". Cur non crescente fama belli Troiani plures deinceps poëtae cum eo coniungere potuerint heroum res gestas initio nihil ad id pertinentes, ex his dictis non apparet.

2) l.l. p. 63 in ann. p. 296.

3) l.l. p. 14.

4) cf. supra p. 90. Prope eidem tempori ac Muelder, Iliadis originem assignat Gruppe v. d. qui eam paulo post annum quingentesimum octogessimum a Chr. n. conditam vult (gr. Myth. u. Relig. G. p. 650). Gruppii sententia duobus maxime nititur fundamentis, altero hoc, quod Agamemnonis persona informata sit secundum imaginem Phidonis Argivorum tyranni qui fere medio saeculo a Chr. n. septimo floruerit, altero quod auctor hymni primi in Apollinem significaverit Homerum aequalem suum esse maiorem natu. Sed cur potius si rem per se spectas, Agamemnonem celebrans poëta Phidonis tempora quam pristinam Mycenarum gloriam spectasse credatur, nemo videt. Ea vero quae de hymno in Apollinem disputat v. d. permira videntur.

potuisse evincere Muelderum carmina elegiaca medio septimi a Chr. n. saeculo edita inter fontes fuisse Iliadis. Neque enim, id quod vult vir doctissimus [1]), Iliadis versibus X 74 sq. *ἀλλ' ὅτε δὴ πολιόν τε κάρη πολιόν τε γένειον αἰδόα τ' αἰσχύνωσι κύνεσ κταμένοιο γέροντοσ* pro exemplo fuisse poësin Tyrtaei (fragm. 10 vs. 23 sqq.), sed aut hunc illos imitatum esse aux ex eodem hausisse fonte antiquiore, inde liquido apparet quod in Tyrtaei versu *ἤδη λευκὸν ἔχοντα κάρη πολιόν τε γένειον* propter metrum *πόλιον ἔχοντα κάρη* ferri nequibat, contra apud Homerum tam *λευκόν* quam *πόλιον* conveniebat sed *λευκόσ* nondum de barba vel capillis dicitur. Praeter quam hoc loco versu M 243 et in libris N Ξ O imitationem elegorum cernere sibi videtur [2]) Muelder, sed nihil affert ad rem probandam. Quod autem censet Homerum favisse plebi, irrisisse principes ac nobiles, summo iure animadvertit Rothe [3]), si ita res se habeat permirum esse quod nus-

---

Quem primum quidem Pisistrati demum aetate esse conditum sine ulla necessitate statuit, nam Thucydides cum narrasset (I. c. 104) Pisistratum insulam Delum pro parte purgandam curasse, Attheniénses autem belli Peloponesii temporibus purgasse totam, sic pergit „*ἦν δέ ποτε καὶ τὸ πάλαι μεγάλη ξύνοδοσ*" eumque coetum solemnem ait hymno illo celebrari, quibus in verbis nihil est cur ad Pisistrati aetatem referantur; neque praeterea ullus alius eius rei auctor extat. Tum vero Gruppe cur hymni auctorem Homeri aequalem dicat intellegi nequit. Is enim virgines alloquens dicit (172 sqq,) „*ἐμεῖο δὲ καὶ μετόπισθε μνήσασθ' ὅπποτέ κέν τισ ..... ἀνείρηται, τίσ δ' ὔμμιν ἀνὴρ ἥδιστοσ ἀοιδῶν ἐνθάδε πωλεῖται, καὶ τεῷ τέρπεσθε μάλιστα, ὑμεῖσ δ' εὖ μάλα πᾶσαι ὑπόκρινασθ' εὐφήμωσ „Τυφλὸσ ἀνὴρ, οἰκεῖ δὲ Χίῳ ἔνι παιπαλοέοσσῃ.*" Unde sequitur ut si *τυφλὸσ ἀνήρ*, id quod vult Gruppe, Homerus est, item hymni auctor Homerus sit. Nam quod Gruppe dicit (in ann. 1 ad p. 649) „es ist allerdings wahrscheinlich dasz der Dichter des Prooimions" (i. e. hymni) sich mit den Chiischen Dichter identifiziert" et paulo infra „vielleicht spricht der Rhapsode der zugleich Dichter des Prooimions ist im Namen des Dichters dessen Werke er sich anschickt zu rhapsodieren" ex hymni verbis minime licet id colligere. Postremo cur Gruppe „caecum illum cantorem Chium" Homerum esse vult? Non propterea quod Thuc. dicit (I. c. 104) *hymni* auctorem Homerum esse, nam Gruppium modo vidimus distinguere poëtam caecum et hymni auctorem. Sed quia Simonides Ceus (fr. 85 Bergh II p. 1146) laudans versum Z 146 tribuit caeco cantori Chio. Quid autem? Quoniam ex antiquis plurimi censuerunt Homerum fuisse caecum cantorem Chium, num inde sequitur ut vere id censuerint. Nullam igitur video causam cur discedamus ab iis quae argumentati sunt Grote v. d. (hist. of. greec. Lond. 1867 II. 1. c. 31) Naber v. cl. (Quaestiones Hom. p. 7) Rothe v. cl. (die Ilias als Dichtung p. 119 sq.), alii, ut demonstrarent Iliadem aut totam aut paene totam extitisse ante medium saeculum octavum a Chr. n.

1) l.l. p. 157 sq.

2) l.l. p. 150 sqq.

3) Die Ilias als Dichtung, p. 122 sq.

quam multitudini ullam vim in proeliis tribuit vel ullam gloriam ab ea reportatam memorat qualem Atheniensium multitudo reportavit apud Marathonem, neque homines e plebe aut in pugna aut in consilio quidquam valere ita Ulixen dicentem facit (B 201 sq.) ut videatur loqui poëtae verbis, Polydamantem proponit (M 212) pronuntiantem non decere δῆμον ἐόντα παρὲξ ἀγορευέμεν, Thersitem quem solum e plebe fingit principibus obloquentem, tradit auditoribus ridendum. Haec delectare potuisse quo tempore iam nobilium potestas fracta esset intellegimus, potuisse eo tempore excogitari, intellegi nequit. Ceterum hoc quoque contra Muelderum est, quod ad expediendas discrepantias quas nemo ipso plures in Iliade notavit, necesse ei est contendere poëtam omnino nihil curasse narrationem constanter et aequabiliter ingredientem [1]), dummodo materiem e fontibus haustam ita adhiberet ut commoveret auditorum animos aut risum moveret [2]).

1) l.l. p. 118: „In der ganzen poëtischen Welt der Ilias steht alles auf Widerruf" i. e. omnia hiant, omnia quasi precaria sunt, quidquid modo poëta narravit, mox ita agit quasi omnia alia narraverit. De singulis quae huc pertinent vide locos quos recensuimus in. ann. 3. ad p. 75, ubi monuimus eam rationem Muelderum quam poëtae tribuit, Teutonice dicere „souverän".

2) l.l. p. 70: „Man kann wohl sagen dasz das in der Ilias bemerkbare Variirungs- und Modernisierungsstreben vielfach besteht in einer Erfüllung originaler Motive mit starkem Pathos", p. 343: „So empfindet man auch gleich beim Eingang in das Werk dasz die pathetischen Töne nicht gedämpft sondern fortissime angeschlagen werden sollen" et paulo infra „komische Intermezzi durchziehen die Handlung überall, und es sind auch nicht wenige Spezies des Komischen die ebenso souverän gehandhabt werden, wie die Formen des Pathetischen", p. 322: „auf das Pathos des tiefsten und lautesten Schmerzes folgt immer sehr bald dröhnendes Gelächter". Seria et ludicra apud Homerum misceri negabit nemo, hoc negandum poëtae pectus immotum manere atque cuncta niti ratiocinatione sola. Quod autem Muelderus dicit (l.l. p. 113): „es stellt sich der aufgeklärte Dichter wohl in bewustem Gegensatz zum älteren Volksglauben", vel alio loco (p. 120): „In welches moralische Licht die Handlänger seiner poëtischen Pläne und Bedürfnisse — his verbis vir doctus significat deos — dabei gelangen ist dem Dichter völlig gleichgültig, der poëtisch technische Effekt ist alles. Vielleicht entspricht es auch den Absichten des Dichters das gerade das verblüffend Waghalsige dieser Konstructionen — quibus nempe, si Muelderi fides, dei „ex machina" prodeunt — mit dem Lächeln des Verständnisses genossen wird", libenter damus poetas quibus Ilias debetur minime a deis postulare ut sint sancti et bene morati neque ullo modo vereri petulantius interdum tractare coelestia. Sed minime inde efficere licet non agnosci deorum potestatem nedum carpi religionem antiquam. Si ita res se haberet revera cogeremur unum Iliadis auctorem nobis proponere, vix enim credibile eiusmodi impietatem multis poetis communem esse. Sed potius nobis cum credas humiliorem eam de deis opinionem sponte apud poëtas extitisse nondum conscios divinam naturam altiorem et erectiorem esse debere quam humanam. Itaque

Nimirum multis poëtis Iliadem deberi malis quam uni poëtae ingenium tribuas ita insolitum [1]).

Alterum autem caput triplicis quam supra diximus criminationis huc redit: „Fieri non potest ut ex Iliade promatur quasi nucleus qui iusti poëmatis nomine dignum sit." Id vero quicunque contendunt viri docti ad unum omnes ita ratiocinantur quasi necesse sit ut Iliadis nucleo Πατροκλείαν assignes, Πρεσβείαν adimas. Itaque summo iure Rothe (l.l. p. 93) „An Achilles" inquit „sicubi ei contigit quod a Iove petiit, Patroclum misit qui a Graecis perniciem defenderet? An supersedit expectare dum Graeci se adirent suumque implorarent auxilium? Intellegi nequit." Sed hoc nihil ad nos qui multi fuimus in demonstrando id non posse intellegi [2]). Nam omnia alia censentes poëmatis nucleum ita definivimus ut Πρεσβεία in eius partem veniret Πατροκλεία non veniret [3]), qua re concidit adversariorum argumentatio. Tamen utique ieiunum et tenue censent qualislibet nuclei argumentum quo, ut rursus utar Rothii verbis; de causa belli de exitu de casibus nihil cognoverimus [4]). Sed neque

---

quod Muelder (l.l. p. 128) dicit: „dasz diese (i.e. Homeri) Götterwelt den Volksglauben schliesslich infizirt hat", contra dixerim poetarum inventa quadrare ad communes aequalium opiniones. Postremo si forte dicere licet deos apud Homerum saepius quasi e machina intercedere rebus humanis, id ita explicandum videtur, poetas naturas divinas quibus mundum repletum esse quisque persuasum haberet, usurpasse quo fingerent res inexpectatas et mirabiles quae earum ope essent factae.

1) Praeter illud ingenium peculiare et insolitum Homero tributum, nihil in Muelderi libro invenire potui quod pertineret ad demonstrandum nonnisi unum Iliadis auctorem admittendum esse. Nisi forte hoc quod totam fere Graeciam belli Troiani participem fuisse — „die universal-Idee" ait vir doctissimus —, necessario *unius* viri inventum sit. Sed nihil obstat quin haec cogitatio sensim paulatimque apud multos extiterit. Quod autem dicit (l.l. p. 6): „Die Entstehungshypothese verkennt und unterschätzt ganz unglaublicher Weise die (wenigstens beabsichtigte) Einheitlichkeit und Geschlossenheit des Gesamtplanes der Dichtung" satis est hic repetere quod saepius demonstravi in superioribus, ex argumenti cohaerentia minime sequi ut poema principale non potuerit a compluribus poetis auctum et dilatatum esse. Idque non ita se habere nusquam probavit vir doctissimus. Ut ea quae exponit de libris Ν Ξ Ο (cf. l.l. p. 145—158) maximam partem, si discedis a conatu praepostero indicandi imitationem elegiarum, acute et vere animadversa, etiam melius se habent si proprio auctori illi libri assignantur quam si eidem auctori atque ea quae praecedunt. Neque alia est causa eorum quae disserit Muelder de libro Ω (l.l. p. 249—261).

2) Vide supra p. 179 sqq.

3) l.l.

4) Eodem modo Bethe v. cl. p. 363: „Alsbald wird man innenwerden dasz die Entfernung dieser anstöszigen — weil der durch A B erweckten Erwartung zuwider-

opus fuit quod idem in simili re monuimus, Achillis ira cani cum inciperetur, auditores facere certiores de fabula Troiana, quippe quam cognitam haberent, neque Achilleïdis materiem qualem in superioribus descripsimus, non copiose demonstravimus satis uberem et abundantem esse [1]). Quod autem addidit Rothe: „sed minus etiam intellegi potest Iovis consilium. Propter preces unius e Graecis de cuius eximia virtute nihil audivimus eius populi hostibus victoriam concesserit? Hoc nimirum narraverit poëta Graecus" si ullam vim habet, contra eos modo habet qui ab Achilleïde Thetidis preces abiudicant. Sed unicuique auditorum notum erat e carminibus antiquioribus quo iure Achilles se omnium ὄχ' ἄριστον appellaret, neque poëta Graecis obtrectabat, quos ne Achillis quidem iudicio, etiamsi ipse quiesceret, a Troianis vinci posse fingeret nisi his Iuppiter vires adderet.

Tertio loco iis qui diversos Iliadis auctores destinguunt obicitur quod „pro certo habeant" ut utar Leeuwenii verbis [2]) „opera musiva esse Iliadem et Odysseam" et „usque quaque vitia errores ampullas oratorias quaeque praeterea artis ingeniique defectum arguere solent, deprehendere sibi videantur." De musivis operibus crimini re vera nemo magis obnoxius est quam Muelder qui tamen unus omnium maxime contendit Homerum unum esse. Velle enim Muelderum vidimus Iliadis auctorem ex diversissimis fontibus quam plurima potuit ad verbum deprompta conflavisse [3]). Ceteroquin quae vLeeuwen accusat, iis tantum iure iniunguntur qui censent e magno numero sive carminum sive fragmentorum carminum undique collectorum Iliadem et Odysseam compositas esse, idque a poëtis parum artificiosis, complementis ieunis poësin alienam conglutinantes. Alia prorsus est ratio eorum qui nobiscum persuasum habeant, e poëmate minoris ambitu neque tamen minimo Iliadem crevisse cantorum opera aut minime malorum aut optimorum, quamvis primum poëmatis auctorem vix quisquam aequaverit; qui tan-

laufenden — Achäersiege in Γ—H die Ilias als Dichtung zerstört. Dürftig und mager sieht sie auf einmal aus."

1) Vide supra p. 184 sqq.

2) Ed. Il. p. xxii.

3) Supra p. 252.

tum non omnes insererent nonnisi sua inventa partim nova partim derivata ex antiquis fontibus, quodque destinatum ad eum locum explendum quo insereretur; perpauci — neque enim hoc ad alios pertinet nisi ad duos numero quorum alterum Iridis et Antitlochi ad Achillem missiones, alterum Achilleïdem principalem et eam poësin quae Πατροκλείαν et Ἕκτορος ἀναίρεσιν contineret coniunxisse vidimus [1]) — aliena inventa componerent. „Horum omnium poëtarum", ita in eandem sententiam Ben. Niese v. cl. [2]), „nemo erat quin poëma spectaret totum, unum erat poëma quod quisque successori suo tradidit, ut unum ipse acceperat ab eo cui successerat; nihil est cur credamus Iliadem esse poëma collecticium vel qua forma eam habemus deberi διορθώτῃ; verum is qui ei postremam particulam addidit simul postremus fuit qui ei operam navavit." Quibus ita assentimur ut neque Iliadem nostram διορθώτῃ deberi censeamus (vide supra p. 171), neque negemus duos illos auctores quos modo diximus non iure διασκευάστας sive διορθώτας vocari [3]), eosque coniunxisse quae non eo consilio condita essent ut una in eodem poëmate adessent, nam Πρέσβειαν qualis in Achilleïde principali extiterit repugnare contra Πατροκλείαν et Iridis missionem contra Antilochi missionem. Atque praeter haec quoque in Iliade hic illic bini loci reperiri videntur non eiusmodi ut una in ea adessent, cuius generis sunt loci E 59—68, N 643—672 quorum hic illi simillimus est uterque autem destinatus fuisse videtur ei loco quo nunc ille invenitur [4]), tum duo loci quorum alter continetur versibus E 392—394 [5]), 403—404, alter versibus E 399—402, altero Hercules dicitur Amphitryonis, altero Iovis filius; tum Π 358—371, Π 372—393 i. e. Hector frustra petitus altero loco ab Aiace, altero a Patroclo [6]), tum P 262—273, P 274—287 quo utroque loco depingitur Troianorum impetus contendentium Patrocli corpore potiri et Graecorum constantia in eo defendendo, fortasse alii nonnulli. Verum hac

1) cf. supra p. 211 sq., p. 224 sq.
2) Die Entwicklung der Hom. poësie p. 139.
3) Supra p. 171.
4) cf. supra p. 36 in ann.
5) cf. supra p. 236 sq.
6) cf. supra p. 206.

in re non est cur cogitemus de διασκευάστῃ, nihil enim hic est transpositum neque quidquam additum ad conglutinanda quae sine eo hiarent, iuxta posita hic sunt quae se invicem excludunt; et satis veri simile videtur haec e diversis poëmatis exemplaribus confluxisse in exemplaria quae deinde conficerentur.

Antequam huic scriptioni finem faciamus paucis agendum videtur etiam de recensione quae fertur Pisistratea, cuius fidem a compluribus virorum doctorum principibus impugnatam, vacillantem iam vel potius iacentem, his postremis annis Cauer [1]) et Rothe [2]) vv. cll. denuo vindicare studuerunt. Atque confitendum est parum veri simile videri rem prorsus e nihilo confictam esse. Sed utique cavendum ne cum Wolfio Lachmannio aliis, in quorum sententiam etiam Cauer it, Pisistratum censeas litteris consignasse carmina Homerica. Cuius rei ne testimonium quidem extat nisi levissimum grammatici cuiusdam ex iis qui interpretati sunt scholia Dionysii Thracis [3]). Is nobis auctor est Homeri poësis cum interiret ut quae nondum scripta esset sed viva voce modo traderetur, Pisistratum eam scripto ut conservaret certamen publicum instituisse securitate proposita (δόντα ἀδείαν) per praecones, si quis versus Homericos sciret et vellet proferre, mercede constituta unius oboli pro singulis versibus, ea autem quae ita collegisset peritis hominibus ordinanda tradidisse. Hoc quam ineptum sit, neminem fugit [4]). Quod autem legimus apud Ioseph. contr. Apion. I. 2

1) Grundfr. der Hom. Krit.³ p. 123 sqq.

2) Die Il. als Dicht. p. 7.

3) Apud Villois. in ed. Codd. Marc. p. 182.

4) Nihil de scribendi studio ceteroquin similia eaque magis etiam absurda proferunt alii. Nam alius ex interpretibus Dionysii (Villoi. l l.) certaminis quod instituerit Pis. eam fuisse causam narrat, quod Homeri poësis absumta esset incertum igne an motu terrae an aquis. Atque auctor lexici Vindobonensis (edid. Nauck) p. 279 „Pisistratus" ait „inordinata adhuc et confusa poësi Homeri praemio sollicitare proposuit qui eam ordinarent inque praemii nomine in singulos versus singulos obolos constituit". Addit autem uterque mercede inductos pauperes multos qui abundarent ingenio plurimos fingendo versus operis nobilitatem corruppisse, hos deinde Aristarchum obelo notasse utpote amore obelorum inventos! Sed eos Dionysii interpres ille quem primum citavimus insania superat narrando pergens, Pisistratum LXXII viros designasse qui versus allatos in iustum redigerent ordinem, inter quos primum tenuisse locum Zeno-

φασὶν οὐδὲ Ὅμηρον ἐν γράμμασι τὴν αὑτοῦ ποίησιν καταλιπεῖν, ἀλλὰ διαμνημονευομένην ἐκ τῶν ᾀσμάτων ὕστερον συντεθῆναι, sive recte se habet sive minus, minime opus est ad Pisistratum referre. Neque per se credibile Homeri poësin non ante eius tempora scripto mandatam esse. Wolf enim ceteri qui Iliadem, ut Odysseam mittamus, e carminibus brevioribus conflatam putarent sponte adducebantur ut putarent ea carmina tum demum scripto mandata esse cum in unum poëma coniungerentur, idque faciendum curasse Pisistratum. Quod ne sic quidem probabile, recte enim monuit Volkmann v. d. [1]) rhapsodos si sibi non expedire arbitrarentur ea scripta habere, vix cogi potuisse ut ea quae memoria tenerent cum Pisistrato communicarent ad describendum, contra si conducere putarent permirum fore si non sua sponte scripto mandarent. Utique vero a Wolfii, Lachmannii, Caueri sententia discedendum est iis qui Iliadem totam uni tribuunt auctori, neque non qui de eius compositione nobiscum faciunt. Rectissime enim Rothe contra Cauerum affert [2]) nulli magno poëmati argumenti cohaerentiam non per longum tempus dilui ac deperire nisi scriptum tradatur, nostra autem Achilleïs eo ambitu est adeoque artificiose composita, ad quam haec non minus pertineant quam ad Iliadem ipsam, cum praeterea ex iis quae poëmati principali a recentioribus poëtis insererentur, vix quidquam locum sibi destinatum servare potuerit sine ope scripturae, neque ullo modo accuratissime, id quod factum esse in superioribus vidimus, contaminare licuerit Achilleïdem et Πατροκλείαν cett. nisi utraque poësis conscripta extitisset. Sed Dionysium Thracem quem antiquissimum habemus recensionis testem, Aristarchi discipulum florentem exeunte saec. a Chr. n. II [3]), his verbis usum: λέγεται ὅτι συνεῤῥάφη ὑπὸ Πεισιστράτου

---

dotum et Aristarchum. Eadem de LXXII viris in quorum numero fuerint Zenodotus et Aristarchus, omissis ceteris nugis, habent Heliodorus (apud Tzetzam in proleg. ad Aristoph. Keil Rhein. Mus. 1848, p. 116, 118), Tzetzes in Exegesi Iliad. p. 772 Bachmann; Eusthatius in comment. ad Iliad. Postremo anonymus qui scripsit περὶ κωμῳδίας (Cramer Anecd. Par. I, p. 6) ceterorum commenta corrigere sibi videtur cum narrat Zenodotum et Aristarchum qui inter grammaticos LXXII fuissent, diversos fuisse a bibliothecariis Alexandrinis ὁμωνύμοις.

1) Gesch. und Krit. der Wolf. Proleg. 1874, p. 317.

2) l.l. p. 7 sq.

3) Cf. Car. Muell. fr. H. G. III, p. 189.

τοῦ τῶν Ἀθηναίων τυράννου τὰ Ὁμήρου ποιήματα, καὶ κατὰ τάξιν συνετέθη τὰ πρὶν σποράδην καὶ ὡς ἔτυχεν ἀναγιγνωσκόμενα διὰ τὸ τὴν ἁρμόγην αὐτῶν τῷ χρόνῳ διασπασθῆναι liquido apparet agere de restituto poëmatis partium ordine, qui cum initio extitisset temporis iniuria turbatus esset [1]). Quod idem significat de cetero meras nugas agens Dionysii interpres, qui Homerica carmina absumta esse tradidit incertum igne an motu terrae an aquis [2]). Neque repugnant verba Ciceronis (de Orat. III 34): „Pisistratus primus Homeri libros confusos antea sic disposuisse dicitur ut nunc habemus", neque Pausanias (VII 26, p. 594): Πεισίστρατος ἔπη τὰ Ὁμήρου διεσπασμένα τε καὶ ⟨ἄλλα⟩ ἀλλαχοῦ μνημονευόμενα ἠθροίζετο. E ceteris quidem scriptorum locis huc pertinentibus potius colligas agi de ordine instituto quam de restituto, sed haec vix ullius pretii sunt. Epigrammate enim prorsus incertae aetatis, quod nonnulli serae antiquitatis scriptores ridicule retulerunt in tyranni nescio qua statua exculptum esse, revera autem procul dubio mere ἐπιδεικτικῷ, Pisistratus dicitur collegisse poësin Homericam ante nullo ordine descriptam [3]). Neque aliter res proponitur in Aeliani Var. Hist. (XIII 14) scriptoris III p. Chr. n. saeculi; saeculo post a Libanio in Paneg. in Iulianum (I, p. 170. Reisk.); apud Suidam, X p. Chr. n. saeculo, s. v. Ὅμηρος. In Tzetzae Byzantini, XII p. Chr. n. saeculi, prolegomenis ad Aristophanem, quae duo continent commentarios non tam re quam verbis distantes [4]), quatuor recensentur viri docti quorum opera usus Pisistratus carmina Homerica collegerit [5]). Sed uterque locus manifesto cor-

---

1) Tria sunt Scholia Dion. Thr. (e codd. Marc. ed. a Villoisono) quae ad Pisistrati Homeri curam pertinent, non duo ut perhibent Volkm. l.l. p. 332, Flach. Pis. u. seine litter. Thätigkeit 1885, p. 7 in ann. 23. Quod hic laudavi ceteris est brevius.

2) cf. supra p. 259 in ann. 4.

3) Invenitur hoc epigramma in codd. Marc. 489 et 652 cf. Villois. Anecdot. Graec. II, p. 3 et p. 182 (Bekker Anecdot. Graec. II, p. 768).

4) Legitur uterque commentarius apud Keil. Rhein. Mus. 1848, p. 110—122. Utrumque a Tzetza esse conscriptum alio tempore aliter suis scholiis praefato, neque nos habere hic excerpta ab aliis ex uno Tzetzae commentario, invictis argumentis demonstravit Keil.

5) Latine rem reddidit Scholiasta Plautinus (apud Ritschel. die Alex. Bibl. p. 4; Cramer Anecdota Par. I, p. 12): „Ceterum Pisistratus sparsam prius Homeri poësin ante Ptolemaeum Philadelphum annis ducentis et eo etiam amplius, sollerti cura in

